BIBLIOTHECA ECCLESIASTICA

QUAM

MODERANTE

D. AUGUSTO NEANDRO

ADORNAVIT

HERM. THEOD. BRUNS.

VOLUMEN PRIMUM.

CANONES APOSTOLORUM ET CONCILIORUM SAEC. IV - VII.

BEROLINI

TYPIS ET SUMPTIBUS G. REIMERI

MDCCCXXXIX.

CANONES

APOSTOLORUM ET CONCILIORUM

SAECULORUM IV. V. VI. VII.

RECOGNOVIT

ATQUE INSIGNIORIS LECTIONUM VARIETATIS

NOTATIONES SUBIUNXIT

HERM. THEOD. BRUNS Dr.

PARS ALTERA.

BEROLINI
TYPIS ET SUMPTIBUS G. REIMERI
MDCCCXXXIX.

PRAEFATIO.

Jam habes, lector benevole, alteram collectorum a nobis canonum ecclesiae antiquae partem, in qua conciliorum Hispaniae, Galliae, Italiae, Angliae, Hiberniae decreta exhibitum iri promisimus. Quae quidem foras edentes rogatos velimus, quicunque in hoc rerum ecclesiasticarum genere tractando versantur, viros doctos, ut nobis intiment cum quid omnino de hac nostra collectione censeant, tum si quae corrigenda putent vel mutanda vel addenda, maxime autem numquid e re videatur iis esse, ut vel conciliorum, quae inde ab initio seculi octavi usque ad Tridentinum sunt celebrata, canones collectos ceteris jamjam editis adjiciamus.

De auxiliis quibus in adornanda collectione nostra usi sumus haecce praemonenda videntur. Primum ad concilia ecclesiae Hispanae edenda duas istas collectiones, quas in prioris partis praefatione uberius recensuimus, Matritensem (*Gonzalezii*) et Mansianam adhibuimus. Deinde inter Gallicanorum conciliorum collectiones primum tenet locum editio Benedictina quae inscribitur:

> Conciliorum Galliae, tam editorum quam ineditorum, collectio, temporum ordine digesta, ab anno Christi 177 ad ann. 1563, cum epistolis pontificum, principum constitutionibus et aliis ecclesiasticae rei gallicanae monimentis. Opera et studio *Monachorum congregationis sancti Mauri.* Tomus primus ab anno 177 ad annum 591. Parisiis, sumptibus Petri Didot, filii primogeniti, MDCCLXXXIX. fol. (Coll. 1384 cum indice pag. 1385—1434.)

in qua quidem textum ex recensione Sirmondi receperunt editores, adjecerunt tamen lectionum variantium suppellectilem satis amplam e codicibus haustam, quorum en habes indicem, appositis literis quibus singulos in notis designavimus:

*

I. *Ex Bibliotheca Parisiensi Regia.*

A 1451 [1]. Membranaceus X. seculi ut videtur; fuit olim monasterii sancti Petri Fossatensis, deinde Nicolai Fabri, tum Colbertinus 1868, denique regius 3887. 9. 9.

B 1452. Membranaceus X seculi, olim Aniciensis capituli, deinde Colbertinus 449, tum reg. 3887; praeter Dionysianam collectionem Symmachi et Gregorii II decretis auctam antiqua Galliae concilia multa continet ab Arelatensi I ad Matisconense I.

C 1454. Membran. X sec., olim Guilelmi Sacherii, deinde Mazarinaeus, tum regius 4241.

D 1455. Membran. X sec., olim Jacobi Tavelli Senonensis, deinde Colbertinus 3368, tum regius 3887; post alia multa continet antiquae Galliae concilia ab Arel. I ad Matiscon. I; in omnibus fere consentit cum eo quem Sirmondus in notis suis *Bellovacensem* vocat.

E 1458. Membranaceus, olim Colbertinus 2576, deinde regius 3887; liber pluribus aliis compactus, qui plurium seculorum characteres referunt; continet quoque maximam partem statutorum synodi Nemausensis a. 1260.

F 1460. Membranaceus, olim Colbertinus 540, deinde regius 3665, Hispanicam collectionem exhibens, in qua XVIII concilia Galliae continentur ab Arelat. I ad Arvern. II; liber eleganti manu exaratus et picturis ornatus, sed posterioris aevi, quippe qui sec. XIV characteres exhibeat.

K 1536. Membranaceus X seculi, olim Colbertinus 1588, deinde regius 3887, continet Aquisgranensis concilii a. 816 librum 1, tum post collectionem Dionysii concilium Agathense circa finem corrosum et mutilum.

R 1563. Membranaceus XV seculi, olim Colbertinus 1567, deinde regius 3887, collectionem conciliorum Hispanicam continens, in qua concilia Galliae ab Arelat. I ad Arel. IV.

S 1564. Membranaceus IX seculi, olim Colbertinus 1863, deinde regius 3887, idem ipse ut videtur

---

[1]) Hisce numeris codices illi in vulgato bibliothecae regiae catalogo signantur.

quem Sirmondus in notis *Pithoei* codicem vocat; plurium documentorum collectio, quibus permixta sunt antiqua Galliae concilia ab Arelat. I—IV.

a 3846. Membranaceus seculi X, olim monasterii sancti Amandi, dioecesis Tornacensis, deinde Tellerii archiepiscopi Remensis 262, tum regius 3665; post collectionem Dionysii, quam cum additamentis Adriani papae exhibet, antiqua Galliae concilia multa continet ab Arelat. I usque ad Cabilonense a. 650; initio et circa finem vacantibus foliis inserta sunt documenta recentioris aevi.

b 3849. Membranaceus X seculi, a Nicolao de Cusa (de concordia catholicorum III, 35) notatus ut folio primo annotatur, olim Petri Pithoei, deinde Mazarinaeus, tum regius 3989.

c 3855. Membran. XIV seculi, olim Colbertinus 628, deinde regius 3887, Isidori mercatoris collectio decretalium et conciliorum, Galliae quidem ab Arel. I ad Aurelian. I.

II. *Duo mss. bibliothecae Cottonianae.*

Prior XI seculo exaratus signatur: Claudius D. IX; alter XII seculi: Claudius E. V., uterque optimae notae, nisi quod in Claudio E. V. vox *papa* ubicunque titulus ille pontifici Romano tribuebatur erasa est; prior ille antiquiora Galliae concilia ab Arelat. I ad Arel. IV continet.

III. *Ex bibliotheca Sancti Germani a Pratis.*

Corbejensis olim n. 26, nunc 936 signatus, membranaceus in 8vo sexti seculi, semiuncialibus literis exaratus, continens synodorum orientalium canones, epistolas Romanorum pontificum multas, regum Francorum constitutiones quasdam, canones multos antiquiorum Galliae conciliorum, etc. etc.

IV. *Mss. codices Jesuitarum* [1]).

A 563. Membranaceus in 4to, initio et in fine mutilus, sec. VIII aut IX, uncialibus aut rusticis ut ajunt literis exaratus; idem ipse quem Sirmondus *Lugdunensem* vocat.

---

1) „quos anno 1764 priusquam venales essent uni ex nostris evolvere et cum editis conferre licuit. Numeros quibus in catalogo bibliothecae Jesuitarum eodem anno vulgato signantur adhibemus." Nota Benedict.

B 569. Membranaceus in fol. sec. VIII, olim sancti Remigii Remensis.

C 570. Membranaceus in 4to seculo IX exeunte exaratus, olim s. Benigni Divionensis, collectionem canonum et libros III concilii Aquisgranensis II ad Pippinum regem continens.

D 574. Membranaceus in 8vo sec. XII diversis manibus exaratus; fuit olim D. de Hauteserre de Salvaison, et collectione canonum in tres libros distributa constat.

E 571. Membranaceus in 8vo, sec. IX exeunte diversis manibus exaratus, olim Corbejae, *Virdunensis* a Sirmondo vocatus.

At tumultus illi quibus exeunte seculo proximo Gallia concutiebatur impediverunt, quominus Monachi opus egregium ultra partem primam perducerent. Quae igitur in hoc volumine deerant (vide pag. 255 not. 2) Mansii ex opere nobis erant repetenda: unde Romanorum quoque conciliorum descripsimus canones. Britannicos denique Hibernicosque canones inclyta *Wilkinsii* nobis praebuit collectio cui titulus:

Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae, a synodo Verolamensi a. d. CCCCXLVI. ad Londinensem a. d. MDCCXVII. Accedunt constitutiones et alia ad historiam ecclesiae Anglicanae spectantia: a *Davide Wilkins*, S. T. P. archidiacono Suffolciensi et canonico Cantuariensi collecta. Vol. I. Ab anno CCCCXLVI ad. a. MCCLXV. Londini MDCCXXXVII. fol.

Faciliorem utriusque partis in usum, omnium conciliorum, sicut in parte priori chronologicum, ita hic elenchum secundum literarum ordinem dispositum adjecimus, atque asterisco notavimus concilia quae in canonum collectionem Hispanam, quippe quae amplissima sit ex antiqua ecclesia nobis tradita, recepta sunt.

Scribebamus Berolini die sancti Michaelis
anno MDCCCXXXIX.

CONCILIUM ELIBERITANUM[1]

DECEM ET NOVEM EPISCOPORUM[2] CONSTANTII TEMPORIBUS EDITUM EODEM TEMPORE QUO ET NICAENA SYNODUS HABITA EST[3].

Cum consedissent[4] sancti et religiosi episcopi in ecclesia Eliberitana[5], hoc est: Felix episcopus Accitanus[6], Osius episcopus Cordubensis, Sabinus episcopus Hispalensis, Camerimnus[7] episcopus Tuccitanus, Sinagius[8] episcopus Epagrensis[9], Secundinus[10] episcopus Castulonensis[11], Pardus[12] episcopus Mentesanus, Flavianus[13] episcopus Eliberitanus[14], Cantonius[15] episcopus Urcitanus[16], Liberius episcopus Emeritensis[17], Valerius episcopus Caesaraugustanus[18], Decentius episcopus Legionensis, Melantius[19] episcopus Toletanus, Januarius episcopus de Fibularia[20], Vincentius episcopus Ossonobensis, Quintianus episcopus Elborensis, Successus episcopus de Eliocroca[21], Eutychianus episcopus Bastitanus[22], Patricius episcopus Malacitanus; item presbyteri[23], Restitutus[24] presbyter de Epora, Natalis presbyter Ursona, Maurus presbyter Iliturgi, Lamponianus de Carbula, Barbatus de Astigi, Felicissimus de Ateva, Leo Acinippo, Liberalis de Eliocroca, Januarius a Lauro, Januarianus Barbe, Victorinus Egabro, Titus Ajune, Eucharius Municipio,

---

1) *Eliberritanum* Codices Hispani. — In mss. plerisque teste Harduino *Elibertinum* vel *Elibertanum*. — 2) *Conc. Eliberitanum Iduam Majarum sanctorum episcoporum numero XLIII.* dicitur in veteri codice Ms. Petri Pithoei. — 3) *era* 362. Æ. T. 1. 2., et M. — 4) *convenissent* in m. M. — 5) *Eliberina* vel *Illiberitana* Mendoza in tractatu suo: De confirmando concilio Illiberitano ad Clementem VIII. libri tres. — 6) Al. *Auxitanus* vel *Aquitanus*. — 7) *Camerinus* M. 8) *Sanagius* M. — 9) Al. *Bigerrensis* vel *Bigertensis*. — 10) *Secundus* BR. — 11) Al. *Cataleucrensis*. — 12) *Pardius* in m. M. — 13) *Flavius* T. 1. 2., et M. — 14) *Eliberinus*, *Elibertinus* in m. M. — 15) *Catonus* ibid. — 16) *Corsicanus* M. — 17) *Emeritanus* in m. M. 18) *Caesaraugustensis* M. — 19) *Melanthius* M. — 20) *de Salaria* M. Al. *de Siblaria*, *Sibariensis*, *Salariensis*. — 21) *de Eliocrota* in t., *Eliocrotensis* in m. M. — 22) Al. *Bassitanus*. — 23) vide not. 1. pag. seq. — 24) Presbyterorum nomina desumpta sunt e codicibus U. et G., in quibus nonnulla locorum nomina depravata reperiuntur, quae prout in ipsis extant exprimere satius duximus. Nota Editor. Coll. Hisp. —

Silvanus Segalvinia, Victor Ulia, Januarius Urci, Leo Gemella, Turrinus Castelona, Luxurius de Drona, Emeritus Baria, Eumantius Solia, Clementianus Ossigi, Eutyches Carthaginensis, Julianus Corduba; die Iduum Majarum apud Eliberim residentibus cunctis, adstantibus [1]) diaconibus et omni plebe, episcopi universi [2]) dixerunt:

I. *De his qui post baptismum idolis immolaverunt.*

Placuit inter eos: Qui [3]) post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idolaturus [4]) accesserit, et fecerit quod est crimen capitale [5]), quia est summi sceleris [6]), placuit nec in finem [7]) eum communionem accipere [8]).

II. *De sacerdotibus gentilium* [9]) *qui post baptismum immolaverunt* [10]).

Flamines qui post fidem lavacri et regenerationis [11]) sacrificaverunt, eo quod geminaverint scelera accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohaerente moechia, placuit eos nec in finem [12]) accipere communionem.

III. *De iisdem si idolis munus tantum dederunt.*

Item flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinuerint [13]) sacrificiis, placuit in finem [14]) eis praestare [15]) communionem, acta tamen legitima poenitentia. Item ipsi si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne illusisse [16]) de dominica communione videantur.

IV. *De iisdem si catechumeni adhuc immolant* [17]) *quando baptizentur* [18]).

Item flamines si fuerint catechumeni et se a [19]) sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.

V. *Si domina per zelum ancillam occiderit.*

Si qua foemina [20]) furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut intra [21]) tertium diem animam cum cruciatu effundat [22]), eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos; si casu, post quinquennii tempora [23]), acta legitima poenitentia, ad communionem placuit admitti; quod si infra [24]) tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem.

---

1) *residentibus etiam viginti et sex presbyteris adstantibus etc.* (omissis nominibus presbyterorum) M. — 2) *universi* deest ap. M. — 3) *Placuit ut quicumque* in m. M. — 4) *idololatraturus* (om. voce *idoli*) M. — 5) *principale* Æ. BR. T. 1. 2., et M. — 6) *summum scelus* M. — 7) *in fine* M. — 8) *ad communionem suscipere* in m. M. 9) *gentium* in m. M. — 10) *sacrificant* ibid. — 11) *post baptismum regenerationis* U. G. — 12) *in fine* M. — 13) *abstinuerunt* M. — 14) *in fine* M. — 15) *praestari* M. — 16) *lusisse* Æ. BR. T. 1. 2. U. G. et. M. — 17) *immolarent* U. G. — 18) *baptizabuntur* M. — 19) *a* deest ap. M. — 20) *domina* T. 2., et M. — 21) *infra* U. G. et Hard., *in* M. — 22) *emittat* Hard. — 23) *post quinquennium* T. 1. 2. — 24) *intra* in m. M. —

VI. *Si quicumque per maleficium*[1] *hominem interfecerit.*

Si quis vero maleficio[2] interficiat alterum, eo quod sine idolatria[3] perficere scelus non potuit, nec in finem[4] impertiendam illi[5] esse[6] communionem.

VII. *De poenitentibus moechiae si rursus moechaverint*[7].

Si quis forte fidelis post lapsum moechiae, post tempora constituta, acta[8] poenitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit nec in finem[9] habere eum communionem.

VIII. *De foeminis quae relictis viris suis aliis nubunt.*

Item foeminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint[10], nec in finem[9] accipiant communionem.

IX. *De foeminis quae adulteros maritos relinquunt et aliis nubunt.*

Item foemina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit[11] non prius accipiat communionem, nisi quem reliquit[12] de saeculo exierit, nisi forte necessitas infirmitatis dare compulerit.

X. *De relicta catechumeni*[13] *si alterum duxerit.*

Si ea quam catechumenus relinquit[14] duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti: hoc et circa foeminas catechumenas erit observandum. Quodsi fuerit fidelis quae ducitur, ab eo qui uxorem inculpatam relinquit[14], et cum scierit illum habere uxorem[15], quam sine causa reliquit, placuit in finem hujusmodi dari communionem[16].

XI. *De catechumena si graviter aegrotaverit.*

Intra quinquennii autem tempora catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit, non denegari.

XII. *De mulieribus quae lenocinium fecerint.*

Mater vel parens vel quaelibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in finem[17] accipere communionem[18].

---

1) *malitiam* in m. M. — 2) *veneficio* in m. M. — 3) *idololatria* M. 4) *in fine* M. — 5) *ei* U. G. — 6) *nisi in fine impertiendam non esse* in m. M. — 7) *peccaverint* in m. M. — 8) *accepta* M. — 9) *in fine* M. — 10) *alteri se cop. et in hoc permanere voluerint* in m. M. 11) *et alterum duxerit*, omissis iis quae sunt interjecta. Aguirre. — 12) *nisi quem reliquerit prius* M., *quam is quem reliquit.* Hard. — 13) *catechumena* M. — 14) *reliquit* M. — 15) *et cum cluerit illum ab uxore.* Aguirre. — 16) *huic nec in finem dandam esse communionem* T. 1. 2., et M. — *huic in finem non dandam etc.* BR. — In codice quodam membranaceo posterior hujus canonis pars sic legitur: *Quod si ducitur ab eo qui inculpatam reliquit uxorem et eum scierit habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit nec in fine hujus dari communionem.* Mansi. — 17) *eas nec in fine* M. — 18) Ita etiam Regino et Ivo; at Burch.: *nisi in fine non accipiat comm.* Mansi.

XIII. *De virginibus deo sacratis si adulteraverint.*

Virgines quae se deo dicaverunt [1], si pactum perdiderint [2] virginitatis atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid admiserint [3], placuit nec in finem [5] eis dandam esse communionem. Quodsi semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae omni [4] tempore vitae suae hujusmodi foeminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in finem [5] communionem accipere debere.

XIV. *De virginibus saecularibus si moechaverint.*

Virgines quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem qui eas violaverint duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine poenitentia reconciliari debebunt [6]; vel si alios cognoverint viros, eo quod moechatae sunt [7], placuit per quinquennii tempora, acta legitima poenitentia, admitti eas ad communionem oportere.

XV. *De conjugio eorum qui ex gentilitate veniunt.*

Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines Christianae, ne aetas in flore tumens in adulterium [8] animae resolvatur.

XVI. *De puellis fidelibus ne infidelibus conjungantur.*

Haeretici si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam [9], nec ipsis catholicas dandas esse puellas; sed neque Judaeis neque haereticis [10] dare placuit, eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli: si contra interdictum fecerint parentes, abstineri [11] per quinquennium placet.

XVII. *De his qui filias suas sacerdotibus gentilium conjungunt.*

Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas junxerint, placuit nec in finem [12] iis dandam esse communionem.

XVIII. *De sacerdotibus et ministris si moechaverint.*

Episcopi, presbyteres et diacones si in ministerio positi detecti fuerint quod sint moechati, placuit propter scandalum et propter profanum [13] crimen nec in finem [14] eos communionem accipere debere.

XIX. *De clericis negotia et nundinas sectantibus.*

Episcopi, presbyteres et diacones de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias quaestuosas nundinas sectentur [15]: sane ad victum sibi conquirendum aut

---

1) *dicaverint* M. — 2) *prodiderint* in m. M. — 3) *quod amiserint* M. 4) *Quod si semetipsas poenituerint, quod infirmitate corporis lapsae fuerint et toto* in m. M. — 5) *in fine* M. — 6) *post poenitentiam unius anni reconcilientur* in m. M. — 7) *sint* M. — 8) *in adulterio* M. 9) *qui erant ab ecclesia catholica* Aguirre. — 10) Forte legendum *ethnicis* 2 Cor. 6, 15. M. — 11) *abstinere* in m. M. — 12) *in fine* M. — 13) *nefandum* in m. M. — 14) *in fine* M. — 15) *ne . . . sectantes in periculo incurrant* U. —

filium aut libertum aut mercenarium aut amicum aut quemlibet [1]) mittant, et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

XX. *De clericis et laicis usurariis.*

Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari et abstineri [2]). Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, et promiserit correptus [3]) jam se cessaturum nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui: si vero in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia esse [4]) projiciendum.

XXI. *De his qui tardius ad ecclesiam accedunt.*

Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco [5]) tempore abstineatur [6]), ut correptus esse videatur.

XXII. *De catholicis in haeresim transeuntibus, si [7]) revertantur.*

Si quis de catholica ecclesia ad haeresim transitum fecerit rursusque recurrerit, placuit huic poenitentiam non esse denegandam eo quod cognoverit peccatum suum; qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post decem annos praestari communio debet; si vero infantes fuerint transducti, quod non suo vitio peccaverint incunctanter recipi debent [8]).

XXIII. *De temporibus jejuniorum.*

Jejunii [9]) superpositiones [10]) per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Julii et Augusti propter [11]) quorumdam infirmitatem.

XXIV. *De his qui in peregre [12]) baptizantur, ut ad clerum non veniant.*

Omnes qui in peregre [12]) fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis.

XXV. *De epistolis communicatoriis confessorum.*

Omnis qui attulerit literas confessorias [13]) sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria passim [14]) concutiant simplices, communicatoriae ei dandae sunt literae [15]).

XXVI. *Ut omni sabbato jejunetur.*

Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones [16]) celebremus.

XXVII. *De clericis ut extraneas foeminas [17]) in domo non habeant.*

Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem dicatam deo tantum secum habeat; extraneam nequaquam habere placuit [18]).

---

1) *quemlibet fidelem* U. — 2) *abstinere* in m. M. — 3) *correctus* M. 4) *sciat se esse* Aguirre. — 5) *tanto* in m. M. — 6) *abstineat* M. 7) *si non* in m. M. — 8) *debebunt* BR. — 9) *jejuniorum* M. — 10) *superimpositiones* Æ. T. 2. — *jejunia seu abstinentias* in m. M. — 11) *ob* M. — 12) *peregre* in t., *in peregrinatione* in m. M. — 13) *confessionis* M. — 14) *partim* in m. M. — 15) cf. Conc. Arelat. I. c. 9. — 16) *jejuniorum superpositionem* in m. M. — 17) *extraneam mulierem* in m. M. — 18) *secum habeat* in m. M. —

XXVIII. *De oblationibus eorum qui non communicant.*

Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munus [1]) accipere non debere.

XXIX. *De energumenis qualiter habeantur in* [2]) *ecclesia.*

Energumenus qui ab erratico spiritu exagitatur, hujus nomen neque ad altare cum oblatione esse [3]) recitandum, nec permittendum ut sua manu in ecclesia ministret.

XXX. *De his qui post lavacrum moechati sunt* [4]), *ne subdiacones fiant.*

Subdiaconos eos ordinari non debere qui in adolescentia sua fuerint moechati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt [5]) in praeteritum ordinati, amoveantur.

XXXI. *De adolescentibus qui post lavacrum moechati sunt.*

Adolescentes qui post fidem lavacri salutaris fuerint moechati, cum duxerint uxores, acta legitima poenitentia placuit ad communionem eos [6]) admitti.

XXXII. *De excommunicatis presbyteris ut* [7]) *in necessitate communionem dent.*

Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud episcopum: cogente tamen infirmitate necesse est presbyterem communionem praestare debere, et diaconem si ei jusserit sacerdos [8]).

XXXIII. *De episcopis et ministris, ut ab uxoribus abstineant* [9]).

Placuit in totum prohibere [10]) episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a conjugibus suis et non generare filios: quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

XXXIV. *Ne cerei in coemeteriis incendantur* [11]).

Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint arceantur ab ecclesiae communione.

XXXV. *Ne foeminae in coemeteriis pervigilent.*

Placuit prohiberi ne foeminae in coemeterio pervigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis latenter scelera committunt [12]).

---

1) *Episcopos ... munera* M. — *munera* Æ. BR. T. 1. 2. G. — 2) *ab* M. 3) *esse* om. a M. — 4) *moechaverint* M. — 5) *ad alt. gradum non sit promovendus. Si autem aliqui sunt.* Aguirre. — 6) *eos* deest ap. M. — 7) *De presbyteris ut excommunicatis* in m. M. — 8) Hic canon sic legitur in editione Cardinalis de Aguirre: *Si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere sine episcopi consultu, sed potius apud episcopum agat, cogente tamen infirmitate. Non est presbyterorum aut diaconorum, communionem talibus praestare debere, nisi eis jusserit episcopus.* Mansi. — 9) *se abstineant* M. — 10) *prohiberi* M. — 11) *cereum .. incendatur* M. — 12) *committant* M. —

XXXVI. *Ne picturae in ecclesia fiant.*

Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne [1]) quod colitur et [2]) adoratur in parietibus depingatur.

XXXVII. *De energumenis non baptizandis* [3]).

Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si fideles fuerint, dandam esse communionem. Prohibendum etiam ne lucernas hi publice accendant; si facere contra interdictum voluerint, abstineantur [4]) a communione.

XXXVIII. *Ut in necessitate et fideles baptizent.*

Loco [5]) peregre navigantes aut si ecclesia proximo [6]) non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici [7]) possit.

XXXIX. *De gentilibus si in discrimine baptizari expetunt* [8]).

Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi et fieri Christianos.

XL. *Ne id quod idolothytum est* [9]) *fideles accipiant.*

Prohiberi placuit, ut cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, accepto non ferant [10]): si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos.

XLI. *Ut prohibeant domini idola colere servis suis* [11]).

Admoneri placuit fideles, ut in quantum possunt [12]) prohibeant ne idola in domibus suis habeant: si vero vim metuunt servorum, vel se ipsos puros conservent; si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

XLII. *De his qui ad fidem veniunt quando* [13]) *baptizentur.*

Eos qui ad primam fidem credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium temporum [14]) placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coegerit ratio velocius [15]) subvenire periclitanti vel gratiam postulanti.

XLIII. *De celebratione pentecostes.*

Pravam institutionem emendari placuit juxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem pentecostes celebremus, ne si quis non fecerit [16]), novam [17]) haeresim induxisse notetur.

---

1) *nec* Æ. BR. E. 3. T. 1. 2. — 2) *aut* Aguirre. — 3) *baptizatis* M. 4) *abstineant* M. — *abstineantur* in ms. hoc tantum. Hard. — 5) *loco* deest ap. M. — 6) *in proximo* M. — 7) *proficere* M. — 8) *Ut gentilibus desiderantibus manus imponatur* in m. M. — cf. Conc. Arelat. I. c. 6. — 9) *Ne de hoc quod idolis datum est* in m. M. — 10) *acceptum non referant* M., *inferant* Aguirre. — 11) *suis* deest ap. M. — 12) *possint* M. — 13) *quomodo* in m. M. — 14) *temporum* om. a M. 15) *vel ocius* in t., *vel socio* in m. M. — 16) *diem pentec. post pascha celebremus, non quadragesimam nisi quinquagesimam: qui non fecerit* M. et T. 1. — 17) *quasi novam* in m. M. —

XLIV. *De meretricibus paganis si convertantur.*

Meretrix quae aliquando fuerit [1]) et postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

XLV. *De catechumenis qui* [2]) *ecclesiam non frequentant.*

Qui aliquando fuerit catechumenus et per infinita tempora nunquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod veterem hominem dereliquisse [3]) videatur.

XLVI. *De fidelibus si apostaverint quamdiu poeniteant.*

Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idolator [4]), post decem annos placuit [5]) communionem accipere.

XLVII. *De eo qui uxorem habens* [6]) *saepius moechatur.*

Si quis fidelis habens uxorem non semel sed saepe fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus: quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio: si resuscitatus rursus fuerit moechatus, placuit ulterius non ludere eum [7]) de communione pacis.

XLVIII. *De baptizatis* [8]) *ut nihil accipiat clerus.*

Emendari placuit ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, numos in concha non mittant [9]), ne sacerdos quod gratis accepit pretio distrahere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel [10]) clericis.

XLIX. *De frugibus fidelium ne a Judaeis benedicantur.*

Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos a deo percipiunt cum gratiarum actione [11]), a Judaeis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem: si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abjiciatur.

L. *De Christianis qui cum Judaeis vescuntur.*

Si vero quis clericus vel fidelis cum Judaeis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstineri [12]), ut debeat emendari.

LI. *De haereticis ut ad clerum non promoveantur.*

Ex omni haeresi fidelis si venerit [13]), minime est ad clerum promovendus: vel si qui sunt in praeteritum ordinati, sine dubio deponantur.

---

1) *pagana aliquando fuerit* U. — 2) *si ad* M. — 3) *in veterem hominem deliquisse* Æ. T. 1. 2. U. et M., *in vetere homine deliq.* in m. M. 4) *idololatra* M. — 5) *eum* add. in m. M. — 6) *habet si* in m. M. 7) *edere eum*, al. *illudere alios* in m. M. — 8) *baptizandis* in m. M. 9) *in concham non immittant* M. — 10) *sed* T. 1., et M. — 11) *cum grat. act.* om. a M. — 12) *abstinere* M. — 13) *qui ad nos fidelis venerit* Aguirre. —

LII. *De his qui in ecclesia libellos famosos ponunt.*

Hi qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere anathematizentur.

LIII. *De episcopis qui excommunicato alieno communicant* [1].

Placuit cunctis ut ab eo episcopo quis recipiat [2] communionem a quo abstentus in crimine aliquo quis [3] fuerit; quod si alius episcopus praesumpserit eum admitti, illo adhuc minime faciente [4] vel consentiente a quo fuerit [5] communione privatus, sciat se hujusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo praestaturum.

LIV. *De parentibus qui fidem sponsaliorum frangunt.*

Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur [6]; si tamen idem [7] sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, erunt excusati parentes: si in iisdem fuerit vitium et polluerint se, superior [8] sententia servetur.

LV. *De sacerdotibus gentilium qui jam non sacrificant.*

Sacerdotes qui tantum coronas [9] portant nec de suis sumptibus aliquid ad idola praestant, placuit post biennium accipere communionem.

LVI. *De magistratibus et duumviris* [10].

Magistratus [11] vero uno anno quo agit duumviratum, prohibendum placet [12] ut se ab ecclesia cohibeat.

LVII. *De his qui vestimenta ad ornandam pompam dederunt* [13].

Matronae vel earum mariti vestimenta [14] sua ad ornandam saeculariter pompam non dent; et si fecerint, triennio abstineantur.

LVIII. *De his qui communicatorias literas portant, ut de fide interrogentur.*

Placuit ubique et maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt, an omnia recte habeant suo testimonio comprobata [15].

LIX. *De fidelibus ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant.*

Prohibendum ne quis Christianus ut [16] gentilis ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et videat; quod si fecerit, pari crimine teneatur: si fuerit fidelis, post decem annos acta poenitentia recipiatur.

---

1) cf. Conc. Arelat. I. c. 17. — 2) *accipiat* M. — 3) *quis* om. a M. 4) *sciente* in m. M. — 5) *fuerat* M. — 6) *abstineant se a communione* in m. M. —. 7) *iidem* M. — 8) *superioris* in m. M. — 9) *coronam* in t., *sacrificantium coronam* in m. M. — 10) *duumviratis* in t., *dominantibus* in m. M. — 11) *magistratum* M. — 12) *placuit* T. 1. 2., et M. — 13) *dederint* M. — 14) *ut vestimenta* M. — 15) *suo test. comprobati* in t., *et suo testimonio comprobent* in m. M. — 16) *aut* in m. M. —

LX. *De his qui destruentes idola occiduntur.*

Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quatenus[1]) in evangelio scriptum non est neque invenietur sub[2]) apostolis unquam factum, placuit in numero[3]) eum non recipi martyrum.

LXI. *De his qui duabus sororibus copulantur.*

Si quis post obitum uxoris suae sororem ejus duxerit et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte velocius dari pacem necessitas coegerit infirmitatis.

LXII. *De aurigis* [4]) *et pantomimis si convertantur.*

Si auriga [4]) aut [5]) pantomimus credere voluerint, placuit ut prius artibus [6]) suis renuntient, et tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius ad ea non revertantur: qui si facere contra interdictum tentaverint, projiciantur ab ecclesia.

LXIII. *De uxoribus quae filios ex adulterio* [7]) *necant.*

Si qua [8]) per adulterium absente marito suo [9]) conceperit, idque post facinus occiderit, placuit nec in finem [10]) dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.

LXIV. *De foeminis quae usque ad mortem cum alienis viris adulterant* [11]).

Si qua [8]) usque in finem mortis suae cum alieno viro fuerit moechata, placuit, nec in finem [12]) dandam ei esse communionem. Si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat [13]) communionem acta legitima poenitentia.

LXV. *De adulteris uxoribus clericorum.*

Si cujus clerici uxor fuerit moechata et scierit eam maritus suus moechari et non eam statim projecerit, nec in finem [12]) accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonae conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.

LXVI. *De his qui privignas* [14]) *suas ducunt.*

Si quis privignam [14]) suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem [12]) dandam esse communionem.

LXVII. *De conjugio catechumenae foeminae.*

Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comatos aut viros cinerarios [15]) habeant: quaecumque hoc fecerint, a communione arceantur.

---

1) *quatenus quia* G. — 2) *ab* in m. M. — 3) *in numerum* Aguirre. 4) *auguribus* . . *augur* in m. M. — cf. Conc. Arelat. I. c. 4. 5. — 5) *et* M. — 6) *actibus* M. — 7) *de adulteris* in m. M. — 8) *mulier* add. M. — 9) *suo* deest ap. M. — 10) *neque in fine* in t., *vix in fine* in m. M. — 11) *adulterantur* in m. M. — 12) *in fine* M. — 13) *recipi ad* Aguirre. — 14) *praevignam* M. — *Si quis antenatam privignam* T. 1. — 15) *comicos aut viros scenicos* in m. M. — *cenerarios* A. E. 3., *generarios* T. 2. —

LXVIII. *De catechumena adultera quae filium necat.*

Catechumena, si per adulterium conceperit et [1]) praefocaverit, placuit eam [2]) in fine baptizari.

LXIX. *De viris conjugatis postea in adulterium lapsis.*

Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennium agere debere [3]) poenitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coegerit ante tempus dari [4]) communionem: hoc et circa foeminas observandum.

LXX. *De foeminis quae consciis maritis adulterant.*

Si cum conscientia mariti [5]) uxor fuerit moechata, placuit nec in finem [6]) dandam ei [7]) communionem, si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam cum sciret adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit [8]).

LXXI. *De stupratoribus puerorum.*

Stupratoribus puerorum nec in finem [6]) dandam esse communionem.

LXXII. *De viduis moechis si eumdem postea maritum duxerint.*

Si qua vidua fuerit moechata et eumdem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima poenitentia placuit, eam communioni [9]) reconciliari: si alium duxerit relicto illo, nec in finem [6]) dandam esse communionem; vel si fuerit ille fidelis quem accepit, communionem non accipiet [10]), nisi post decem annos acta legitima poenitentia, vel si [11]) infirmitas coegerit velocius dari [12]) communionem.

LXXIII. *De delatoribus.*

Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem ejus aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec [13]) in finem accipere communionem; si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem; si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittetur [14]) ad baptismum.

LXXIV. *De falsis testibus.*

Falsus testis prout est crimen abstinebitur: si tamen non fuerit mortale quod objecit, et probaverit [15]) quod non tacuerit, biennii tempore abstinebitur [16]); si autem non probaverit convento clero [17]) placuit, per quinquennium abstineri.

---

1) *et* om. a M. — *conceperit et conceptum necaverit* (om. voce *praefoc.*) in m. M.
2) *eam* deest ap. M. — 3) *de ea re* M. — 4) *dare* M. — 5) *conscio marito* in m. M. — 6) *in fine* M. — 7) *eis* BR. U. G. *esse* M.
8) Verba : *si eam sqq.* desunt ap. M., sed leguntur apud Ivonem in Decret. p. 8, c. 264 ex conc. Elib. et c. 206 ex conc. Moguntino. —
9) *communione* in m. M. — 10) *accipiat* M. — 11) *nisi* M. —
12) *dare* M. — 13) *nonnisi* in m. M. — 14) *admittatur* M. —
15) *exprobraverit* in m. M. — 16) *abstineatur* M. — 17) *conventui clericorum* M. —

LXXV. *De his qui sacerdotes vel ministros accusant nec probant.*

Si quis autem episcopum vel presbyterum vel diaconum falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec [1]) in finem [2]) dandam ei esse communionem.

LXXVI. *De diaconibus si ante honorem peccasse probantur* [3]).

Si quis diaconum se permiserit ordinari et postea fuerit detectus in crimine mortis quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima poenitentia post triennium accipere communionem: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta poenitentia accipere communionem laicam debere.

LXXVII. *De baptizatis qui nondum confirmati moriuntur.*

Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit: quod si ante de saeculo recesserint [4]), sub fide qua quis credidit poterit esse justus.

LXXVIII. *De fidelibus conjugatis si cum Judaea vel gentili moechatae fuerint.*

Si quis fidelis habens uxorem cum Judaea vel gentili fuerit moechatus, a communione arceatur: quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta legitima poenitentia poterit dominicae sociari communioni.

LXXIX. *De his qui tabulam ludunt.*

Si quis fidelis aleam, id est tabulam, luserit numis [5]), placuit eum abstineri; et si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni [6]) reconciliari.

LXXX. *De libertis.*

Prohibendum ut liberti, quorum patroni in saeculo fuerint, ad clerum non promoveantur.

LXXXI. *De foeminarum epistolis.*

Ne foeminae suo potius absque [7]) maritorum nominibus laicis scribere audeant, quae [8]) fideles sunt vel literas alicujus pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant.

---

1) *nonnisi* in m. M. — 2) *in fine* M. — 3) *qui . . probantur* in t., *si probentur* in m. M. — 4) *recesserit* in m. M. — 5) *alea . . . tabula . . . nummos* M. — 6) *communione* in m. M. — 7) *quam absque* in m. M. — 8) *qui* ibid. —

CONCILIUM CAESARAUGUSTANUM PRIMUM
DUODECIM EPISCOPORUM QUARTO NONAS OCTOBRIS ERA CCCCXVIII. [1]

Caesaraugusta [2] in secretario residentibus episcopis Fitadio [3], Delfino [4], Eutychio [5], Ampelio, Auxentio [6], Lucio, Itacio [7], Splendonio [8], Valerio, Symposio, Cartherio et Idacio [9], ab universis dictum est [10]: Recitentur sententiae. Lucius episcopus legit:

I. *Ut [11] foeminae fideles a virorum alienorum coetibus separentur.*

Ut mulieres omnes ecclesiae catholicae et fideles a virorum alienorum lectione et coetibus separentur, vel [12] ad ipsas legentes aliae studio vel docendi vel discendi conveniant, quoniam hoc apostolus jubet [13]. Ab universis episcopis dictum est: Anathema futuros qui hanc concilii sententiam non observaverint.

II. *Ut diebus dominicis nullus jejunet nec diebus quadragesimae ab ecclesia absentet [14].*

Item legit: Ne quis jejunet die dominica causa temporis [15] aut persuasionis aut superstitionis, et quadragesimarum die [16] ab ecclesiis non desint nec habitent latibula [17] cubiculorum ac montium qui in his suspicionibus perseverant, sed exemplum et praeceptum custodiant sacerdotum et ad alienas villas agendorum conventuum causa non conveniant. Ab universis episcopis dictum est: Anathema sit qui hoc commiserit.

III. *Ut qui eucharistiam in ecclesia accipit et ibi non eam sumit anathematizetur [18].*

Item legit: Eucharistiae gratiam si quis probatur acceptam in ecclesia non sumpsisse [19], anathema sit in perpetuum. Ab universis episcopis dictum est: Placet.

IV. *Ut tribus hebdomadis quae sunt ante Epiphaniam ab ecclesia nemo recedat.*

Item legit: Viginti et uno [20] die quo a XVI. Kalendas Januarias [21] usque in diem Epiphaniae, qui [22] est VIII. Idus

---

1) *Exemplum sententiarum episcoporum concilii Caesaraugustani* M. — 2) *Caesaraugustae* M. — 3) *Stradio* in m. M., *Hitadio* U. — 4) *Delphino* M. — 5) *Ralicejo* in m. M. — 6) *Augentio* M. — 7) *Etacio* U., *Ithacio* in t., *Italio* in m. M. — 8) *Splendinio* BR. — 9) *Catherio et Italio* in m. M. — *Hidacio* U. — 10) *est* om. a M. — 11) *Ut* deest ap. M. — 12) *nec* in m. M. — 13) 1 Cor. 14, 34. 35. 1 Tim. 2, 11. 12. — 14) *se absentet* M. — 15) *timoris* in m. M. — 16) *et de quadr. diebus* M. — 17) *nec quadragesimae diebus ab eccl. fideles desint nec habitent in latibulis* in m. M. — 18) *accipiunt .. sumunt anathema sint* M. cf. Conc. Toletan. I. c. 14. — 19) *consumpsisse* in m. M. — 20) *vicesimo et primo* in m. M. — 21) *Januarii* M. — 22) *quae* M. —

Januarias [1]) continuis diebus nulli liceat de ecclesia absentare [2]), nec latere in domibus, nec secedere in [3]) villam, nec montes petere, nec nudis pedibus incedere, sed concurrere ad ecclesiam: quod qui non observaverit de susceptis [4]), anathema sit in perpetuum. Ab universis episcopis dictum est: Anathema sit.

V. *Ut qui a suis episcopis privantur* [5]) *ab aliis non recipiantur.*

Item lectum est: Ut hi qui per disciplinam aut sententiam episcopi ab ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sint recipiendi; quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem. Ab universis episcopis [6]) dictum est: Qui hoc commiserit episcoporum, non habeat communionem.

VI. *Ut clericus qui propter licentiam* [7]) *monachus vult esse excommunicetur.*

Item legit: Si quis de clericis [8]) propter luxum vanitatemque praesumptam [9]) de officio suo [10]) sponte discesserit, ac se [11]) velut observantiorem legis in monacho [12]) videri voluerit esse [13]) quam clericum, ita de ecclesia repellendum ut nisi rogando atque observando [14]) plurimis temporibus satisfecerit, non recipiatur. Ab universis episcopis dictum est: Ita fiat.

VII. *Ut doctoris sibi nomen non imponat cui concessum non est.*

Item lectum est: Ne quis doctoris sibi nomen imponat praeter has personas quibus concessum est, secundum id quod scriptum est [15]). Ab universis episcopis dictum est: Placet.

VIII. *Ut ante quadraginta annos sanctimoniales virgines non velentur* [16]).

Item lectum est: Non velandas esse virgines quae se deo voverint, nisi quadraginta annorum probata aetate, quam sacerdos comprobaverit. Ab universis episcopis dictum est: Placet.

---

1) *Januarii* M. — 2) *se absentare* M. — 3) *ad* M. — 4) *his decretis* Æ. T. 2., et M. — *de suspectis* in m. M. — 5) *communione priv.* in m. M. — 6) Verba: *non habeant sqq.* desunt ap. M. — 7) *luxum* in m. M. — 8) *quis clericus* ibid. — 9) *vanitatisque praesumptum* ibid. — 10) *suo* deest ap. M. — 11) *se* deest ap. M. — 12) *observatorem legis monachum* M. — 13) *voluerit esse magis* in t., *maluerit esse* in m. M. — 14) *obsecrando* T. 1. 2. U., et M. — 15) *secundum quod scriptum* M. Matth. 23, 8—10. — 16) Deest hic canon in U. —

CONCILIUM TARRACONENSE [1]

DECEM EPISCOPORUM HABITUM ERA DLIV. ANNO SEXTO THEODORICI [2] REGIS CONSULATU PETRI SUB DIE OCTAVO IDUS NOVEMBRIS [3].

Antiqua [4] patrum statuta de his censuisse videntur, quae in tempore aut ad illos relata pervenerunt aut certe acta testimonio proprio comprobaverunt: cujus rei et nos sequentes exemplum, illa quae nunc fiunt placuit observanda decernere, ut praeterita absque ambage custodiantur, et praesentia [5] observatione sint firma. Igitur cum in unum pariter convenissemus in urbem Tarraconensem, quae est metropolitana [6], titulos subter annexos conscripsimus observandos [7].

I. *Ut etiam ad proximas sanguinis clerici cum testimonio vadant.*

De his, quibus cura pro parentelae proximitate habere [8] permittitur [9], ut ea cautela earum [10] necessitates sustentent [11], ut [12] pietatis beneficia quae eis sunt necessaria a longius [13] praebeant: ipsi vero pro visendis eis cum ingressi fuerint celeri salutatione recurrant nec inibi faciant mansionem: qui tamen cum ad earum visitationem pergunt, testem solatii sui fide et aetate probatum [14] adhibeant secum. Si quis haec a nobis statuta contempserit, si clericus est, loci sui dignitate privetur; si [15] vero religiosus vel monachus, in cella monasterii reclusus poenitentiae lamentis incumbat [16], ubi singulari afflictione panis et aquae victum ex abbatis ordinatione percipiat.

II. *Ut clerici emendi vilius vel vendendi carius non permittantur* [17].

Sicut canonum statutis firmatum est, quicumque [18] in clero esse voluerit, emendi vilius vel vendendi carius studio non utatur: certe [19] si haec voluerit exercere, cohibeatur a clero.

III. *Ut clerici si solidum praestiterint sine usura recipiant* [20].

Si quis vero clericus solidum in necessitate praestiterit, hoc [21] de vino vel frumento accipiat, quod mercandi causa

---

1) Mansi contulit hoc concilium cum vetusto codice Lucensi 124. — 2) *In nomine Christi habita synodus Tarracone anno sexto Theuderici* M. 3) *Incipit synodus habita Tarracone sub die VIII. Id. Nov. consulatu Petri v. c. cos.* Luc. — 4) *Antiquorum* M. — 5) *hac* add. in m. M. — 6) *observantissime fundata* add. in m. M., *observatione fundata* add. in A. E. 3., et Luc. — 7) *in titulos ... observanda* Luc. — 8) *haberi* M. 9) *committitur* (om. voce *habere*) Luc. — 10) *ut cautela eorum* M. — 11) *sustineant* in m. M. — 12) *ut* deest ap. M. — 13) *a longius* deest ap. M. — 14) *providum* in m. M. — 15) *sin* G. — 16) *intendat* Luc. — 17) *Ut clericis ... non permittatur licentia* in m. M. 18) *ut quic.* ibid. — 19) *quod certe* ibid. — 20) *Ut quantum clericus praestiterit tantum recipiat* in m. M. — 21) *ut hoc* M. —

tempore statuto decretum fuerit venumdari [1]: ceterum si speciem non habuerit necessariam, ipsum quod dedit sine ullo augmento recipiat.

IV. *Ut nullus episcopus vel infra positus die dominico causas judicare praesumat.*

Ut nullus episcoporum aut presbyterorum vel clericorum die dominico propositum cujuscumque causae negotium audeat judicare [2], nisi hoc [3] tantum ut deo statuta solemnia peragant: ceteris vero diebus conniventibus [4] personis illa quae justa sunt habeant licentiam judicandi [5], excepto criminalia negotia [6].

V. *Ut qui in metropolitana civitate non ordinatur episcopus post duos menses se metropolitano praesentet.*

Si quis in metropolitana civitate non fuerit episcopus ordinatus, posteaquam suscepta benedictione [7] per metropolitani literas honorem fuerit episcopatus [8] adeptus, id optimum esse decrevimus, ut postmodum statuto tempore, id est impletis duobus mensibus, se metropolitani sui repraesentet aspectibus, ut ab illo monitis ecclesiasticis instructus plenius quod [9] observare debeat recognoscat: quod si forte haec implere neglexerit, in synodo increpatus a fratribus corrigatur; quod si [10] infirmitate aliqua ne hoc impleat fuerit praepeditus, hoc suis literis metropolitano indicare procuret.

VI. *Ut episcopus, qui a metropolitano commonitus ad synodum non venerit, excommunicetur.*

Si quis episcoporum [11] commonitus a metropolitano ad synodum nulla gravi intercedente necessitate [12] corporali venire contempserit, sicut statuta patrum sanxerunt [13], usque ad futurum concilium cunctorum episcoporum caritatis communione privetur.

VII. *Ut dioecesani clerici septimanas teneant et die sabbati omnes in unum conveniant.*

De dioecesanis ecclesiis vel clero id placuit definiri, ut presbyteri vel diaconi qui ibi [14] constituti sunt cum clericis septimanas observent; id est ut presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei diaconus similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis clerus die sabbati [15] ad vesperas [16] sit paratus, quo facilius die dominico solemnitas cum omnium praesentia celebretur: ita tamen, ut omnibus diebus

---

1) *venumdare* in m. M. — 2) *vendicare*, al. *ventilare* in m. M. — 3) *nisi ut hoc* (forte *ad hoc*) M. — 4) *convenientibus* M., *cohibentibus* Luc. — 5) *vindicandi* in m. M. — 6) *exceptis criminalibus negotiis* in t., *excepto criminali negotio* in m. M. — 7) *postea cum susceperit benedictionem* M. — *ordinatione* Æ. T. 2. — 8) *episcopi* in m. M. — 9) *quid* Æ. E. 3. U. G. — 10) *forte* add. M. — 11) *episcopus* T. 1. 2. U., et M. — 12) *infirmitate* Luc. — 13) *censuerunt* M. — 14) *inibi* Æ. BR. E. 3., et M. — *in vico* U. G. — 15) *sabbato* M. — 16) *vesperam* M. —

vespera et matutina celebrentur 1), quia desistente clero, quod est pessimum, comperimus in basilicis nec luminaria ministrari. Si qui sane negligentiae vitio haec implere noluerint, noverint se secundum statuta canonum pro modo personarum canonicae disciplinae subdendos.

VIII. *Ut annis singulis episcopi dioecesim* 2) *visitent et ut non plus quam tertiam de parochiis* 3) *accipiant.*

Multorum casuum experientia magistrante reperimus nonnullas dioecesanas esse ecclesias destitutas: ob quam rem 4) id 5) constitutione decrevimus, ut antiquae consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus 6) ab episcopo dioeceses 7) visitentur, ut 8) si qua forte basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparetur 9); quia tertia 10) ex omnibus per antiquam traditionem ut accipiatur ab episcopis 11) novimus statutum.

IX. *De clericis et ostiariis qui adulteris mulieribus admiscentur, ut a clero projiciantur* 12).

Si quis lectorum adulterae mulieri 13) voluerit misceri vel adhaerere consortio, aut relinquat adulteram, aut a clero habeatur extraneus: similis sententia ostiariorum manebit scholam 14).

X. *Ut nullus episcopus pro judiciis munera accipiat.*

Observandum quoque decrevimus ne quis sacerdotum vel clericorum more saecularium judicum audeat accipere 15) pro impensis patrociniis munera, nisi forte in ecclesia oblata gratuita, quae non favore muneris videantur accepta, sed collatione devotionis illata; quia si qua 16) ista probantur accipere, veluti exactores foenoris aut usurarum possessores secundum statuta patrum se noverint degradandos 17).

XI. *Ut monachus missus alicubi ministerium clericatus agere non praesumat, nec negotiator nec executor existat.*

Monachi a monasterio foras egredientes ne aliquod ministerium ecclesiasticum praesumant agere prohibemus, nisi forte cum abbatis imperio: similiter ut nullus eorum id est monachorum forensis negotii susceptor vel executor existat, nisi id quod monasterii exposcit utilitas, abbate sibi nihilominus imperante, canonum ante omnia Gallicanorum de eis constitutione servata.

---

1) *vesperas et matutinas celebrent* M. — 2) *dioecesani* M. — 3) *de parochis* M. — 4) *pro qua re* in m. M. — 5) *id hac* M. — 6) *annis singulis* Luc. — 7) *dioecesano* M. (v. not. 2.) — 8) *et* M. 9) *ordinatori ejus reparari praecipiatur* in m. M. — 10) *tertia pars* ibid. 11) *ex principibus* add. ibid. — 12) *ut projiciantur* in t., *ut prohibeantur* in m. M. — 13) *lector adulterae mulieris* in m. M. — 14) *simili sententia ostiariorum lascivia punietur* ibid. — 15) *exigere* ibid. 16) *quia sic qui* G., *quia si qui* M. — 17) Ex ceteris codicibus (Hispanis) praeter A. in quo legitur: *denegandos.* —

XII. *Ut si episcopus intestatus obierit, inventarium de rebus ejus clerici faciant et nullus exinde aliquid auferat.*

Sicubi defunctus fuerit episcopus intestatus, post depositionem [1]) ejus a presbyteris et diaconibus de rebus ipsius [2]) breve [3]) fideliter conscribatur a minimo usque ad maximum, id est de utensilibus [4]) vel omni supellectile, ita tamen ut si quis exinde vel praesumpsisse [5]) vel occulte fuerit tulisse convictus, secundum furti tenorem restituat universa.

XIII. *Ut episcopus dioecesanos presbyteros et quosdam ex laicis convenire ad synodum literis moneat.*

Epistolae tales per fratres a metropolitano sunt dirigendae, ut non solum a cathedralibus ecclesiis presbyteros [6]), verum etiam de dioecesanis ad concilium trahant, et aliquos de filiis ecclesiae saecularibus secum adducere debeant.

CONCILIUM GERUNDENSE [7])

SEPTEM EPISCOPORUM HABITUM ERA DLV. [8]) ANNO SEPTIMO [9]) THEODORICI REGIS SEXTO IDUS JUNIAS AGAPETO VIRO CLARISSIMO CONSULE.

I. *Ut unaquaeque provincia in officio ecclesiae unum ordinem teneat.*

De institutione missarum, ut quomodo in metropolitana ecclesia fiunt [10]), ita in dei nomine in omni Tarraconensi [11]) provincia [12]) tam ipsius missae ordo quam psallendi vel ministrandi consuetudo servetur.

II. *Ut litaniae post pentecosten a quinta feria usque in sabbatum [13]) celebrentur.*

De litaniis [14]), ut expleta solemnitate pentecostes sequens [15]) septimana a quinta feria usque in sabbatum [16]) per hoc triduum abstinentia celebretur.

---

1) *definitionem*, al. *defunctionem* in m. M. — 2) *ipsis* M. — 3) *inventarium* in m. M. — 4) *utensilitis* G. — 5) *aliquid* add. ibid. — 6) *presbyteri* M. — *e cathedralis ecclesiae presbyteris* in m. M. — 7) Contulit Mansi hoc concilium cum cod. Lucensi 124. — 8) *In nomine Christi synodus habita Gerundae* M. — 9) *tertio* BR. — 10) *fuerit* M. — 11) *civitatum* Luc. — 12) *in omnibus provinciis* Harduin. e ms. antiquae collectionis canonum existentis in Collegio Paris. S. J. — 13) *in sabbato* in m. M. — 14) *De litania* M. — 15) *sequenti* i m. M. — 16) *a quarta usque ad sextam feriam* Luc. —

III. *De secundis litaniis faciendis Kalendis Novembribus* [1].

Item secundae litaniae faciendae [2] Kalendis Novembribus [1], ea tamen conditione servata, ut si iisdem diebus dominica intercesserit, in alia hebdomada secundum prioris abstinentiae observantiam a quinta feria incipiantur, et in sabbato [3] vespere missa facta [4] finiantur: quibus tamen diebus a carnibus et à vino decrevimus abstinendum.

IV. *Ut pascha tantum et natali domini* [5] *baptismus detur, exceptis his qui in languore consistunt.*

De catechumenis baptizandis id statutum est, ut quia [6] in paschae solemnitate vel natalis domini [7], quando magis solemnitatis [8] celebritas major est, rariores [9] ad baptizandum veniunt [10], ceteris solemnitatibus infirmi tantummodo debeant baptizari, quibus quocumque tempore convenit baptismum non negari.

V. *Ut unius diei infans si in discrimine est baptizetur.*

De parvulis vero qui nuper materno utero editi sunt placuit constitui, ut si infirmi, ut assolet, fuerint et lac maternum non appetunt, etiam eadem die qua nati sunt, si oblati fuerint, baptizentur.

VI. *Ut conjugati ab episcopo usque ad subdiaconum non sine testimonio vivant* [11].

De conversatione vitae [12] a pontifice usque ad subdiaconum post suscepti honoris officium, si qui ex conjugatis [13] fuerint ordinati, ut sine testimonio alterius fratris non utantur auxilio: cum sorore jam ex conjuge facta non habitent [14]; quod si habitare voluerint [15], alterius fratris utantur [16] auxilio, cujus testimonio vita eorum [17] debeat clarior apparere.

VII. *Ut qui sine uxoribus ordinantur extraneas in domo non habeant.*

De his vero qui sine conjugibus [18] ordinantur et familias domus [19] habent, habito secum pro vitae conversatione fratre in testimonium, non per quamcumque foeminei sexus personam ejus substantia gubernetur, nisi aut per puerum aut per amicum suam domum debet ordinare: si vero matrem in domo habuerit aut sororem [20], secundum priorum canonum statuta per earum personas ejus debet contutari substantia.

---

1) *Novembris* M. — 2) *sunt* add. M. — 3) *sabbati* in m. M. — 4) *facta* deest in Luc. — 5) *Ut in pascha tantum et pentecoste* M. — 6) *quia* deest ap. M. — 7) *vel pentecostes* M. — 8) *quanto majoris celebritatis* M. — 9) *tanto magis* M. — 10) *veniant* M. — 11) *Ut qui ex conjugibus ordinati sunt sine testimonio communiter non habitent* in m. M. — Ex Æ. desumptus canon hic qui in reliquis codicibus neque sensum neque syntaxin praebet. Nota Editor. Coll. Hisp. 12) *De conversione id statuere placuit* M. — *De conversatione id statui placuit* Hard. — 13) *conjunctis* M., *junctis* Hard. — 14) *ut sine conjuge habitent* (om. verbis *testimonio alter. etc.*) M. — 15) *noluerint* M. — 16) *utatur* M. — 17) *ejus* M. — 18) *uxoribus* Hard. 19) *domi* M., *domasque* Luc. — 20) *nisi matrem aut sororem in domo habuerit ut* in m. M. —

VIII. *De laicis* [1] *qui viduam aut dimissam acceperint, ut in clerum non admittantur.*

Si quis vero de laicis post uxorem aliam cujuscumque conditionis cognoverit mulierem, in clero nullatenus admittatur.

IX. *De his qui publice poenitentiam non accipiunt sed tantum viaticum, ut in clero promoveantur.*

Is vero qui aegritudinis languore depressus poenitentiae benedictionem, quod [2] viaticum deputamus [3], per communionem acceperit, et postmodum revalescens [4] caput poenitentiae in ecclesia publice non subdiderit, si prohibitis vitiis non detinetur obnoxius, admittatur ad clerum.

X. *De discretione poenitentium qui possunt ad ecclesiasticos ordines promoveri vel qui non possunt* [5].

Hi qui in discrimine constituti poenitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum peccatores se praedicantes; hujusmodi si revaluerint possunt etiam per morum probitatem ad gradus ecclesiasticos pervenire: qui vero ita poenitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publice fateantur, ad clerum vel honores ecclesiasticos pervenire nullatenus possunt, quia se confessione propria notaverunt.

XI. (X.) *Ut omnibus diebus vespertinis et matutinis oratio dominica dicatur.*

Ita nobis placuit, ut omnibus diebus post matutinos et vesperas [6] oratio dominica a sacerdote proferatur.

CONCILIUM ILERDENSE [7]

OCTO EPISCOPORUM GESTUM ERA DLXXXIV. [8] ANNO DECIMO QUINTO THEODORICI [9] REGIS SUB DIE VIII. IDUS AUGUSTAS [10].

I. *De his qui altario ministrant, ut a sanguine omni* [11] *se abstineant.*

De his clericis qui in obsessionis necessitate positi fuerint id statutum est, ut qui altario ministrant et Christi [12] san-

---

1) *Nec laici* (om. verbis *ut* et *non*) in. m. M. — 2) *quam* M. — 3) *dicimus* Hard. — 4) *reconvalescens* M. — 5) Deest hic canon in A. et ceteris codicibus Hispanis praeter Æ., nec non in collectione Aguirre et Mansi. — 6) *matutinas et vespertinas* M. *matutinos et vesperos* Hard. — 7) Contulit Mansi cum codice Lucensi 124. —
8) *Synodus habita in conventu Ilerdensi* in t., *in basilica S. Eulaliae* in m. M. — 9) *Teudi* BR. G., *Theuderici* U., *Theuduredi* M., *Theoderici* in m. M. — 10) *Incipit synodus habita in conventu Ilerdensi ad basilicam sanctae Eulaliae anno X. regni domini nostri Theuderici regis sub die VIII. Id. Augusti.* Luc. — *die VIII. mensis Augusti* M. —
11) *hominis* M. — 12) *corpus et* add. in m. M. —

guinem tradunt vel vasa sacro officio deputata contrectant, ab [1]) omni humano sanguine etiam hostili abstineant: quod si in hoc inciderint, duobus annis tam officio quam communione priventur, ita ut his duobus annis vigiliis, jejuniis, orationibus et eleemosynis pro viribus quas dominus donaverit expientur, et ita demum officio vel communioni reddantur, ea tamen ratione [2]), ne ulterius ad officia potiora promoveantur; quod si infra praefinitum tempus negligentiores circa salutem suam extiterint [3]), protelandi [4]) ipsius poenitentiae tempus in potestate maneat sacerdotis.

II. *De his qui abortum faciunt vel natos suos extinguunt.*

Hi vero qui male conceptos ex adulterio factos [5]) vel editos necare studuerint, vel in uteris matrum potionibus aliquibus colliserint [6]), in utroque sexu adulteris post septem annorum curricula communio tribuatur, ita tamen, ut omni tempore vitae suae fletibus et humilitati insistant [7]), officium eis ministrandi recuperare non liceat [8]); attamen in choro psallentium a tempore receptae communionis intersint: ipsis veneficis in exitu tantum, si facinora sua omni tempore vitae suae defleverint, communio tribuatur.

III. *De monachis ut clerici ordinentur cum voluntate abbatis, et quae monasterio offeruntur non auferantur, et de basilicis quas laici fecerint.*

De monachis vero id observari placuit quod synodus Agathensis vel Aurelianensis [9]) noscitur decrevisse, hoc tantummodo adjiciendum, ut pro ecclesiae utilitate quos episcopus probaverit in clericatus officium [10]) cum abbatis voluntate debeant ordinari. Ea vero quae in jure monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo dioecesana lege ab episcopis contingantur. Si autem ex laicis quisquam a se factam basilicam consecrari [11]) desiderat, nequaquam sub monasterii specie, ubi congregatio non colligitur vel regula ab episcopo non constituitur, eam a dioecesana lege audeat segregare.

IV. *De incestis, ut quamdiu in scelere sunt inter catechumenos habeantur.*

De his, qui se incesti [12]) pollutione commaculant placuit, ut quousque in ipso detestando et illicito carnis contubernio perseverant, usque ad missam tantum catechumenorum in ecclesia admittantur; cum quibus etiam nec cibum sumere ulli [13]) Christianorum, sicut ait apostolus [14]) vel jussit, oportet.

---

1) *ut ab* M. — 2) *ratione servata* Æ., et M. — 3) *extiterunt* M. — 4) *proadjiciendi* Æ. — 5) *foetus* M. — 6) *consumpserint* in m. M. 7) *Si vero clerici fuerint* add. M. — 8) *licet* M. — 9) *Arelatensis* BR. — *vel Aurelianensis* abest a ms. Hard. — cf. Conc. Agathens. c. 27. Aurelianens. I. c. 15—17. — 10) *officio* M. — 11) *consecrare* M. 12) *incesta* M. — 13) *ullum* M. — 14) *apostolus jussit* M. — 1 Cor. 5, 11.

V. *De his qui altario serviunt, si subito carnis fragilitate corruerint.*

Hi qui altario dei deserviunt, si subito flenda [1]) carnis fragilitate corruerint et domino respiciente digne poenituerint, ita ut [2]) mortificato corpore cordis contriti sacrificium deo offerant, maneat in potestate pontificis vel veraciter afflictos non diu suspendere, vel desidiosos prolixiori tempore ab ecclesiae corpore segregare; ita tamen ut sic officiorum suorum loca recipiant, ne possint ad altiora officia ulterius promoveri: quod si iterato velut canes ad vomitum reversi fuerint [3]), non solum dignitate officii careant, sed etiam sanctam communionem nisi in exitu percipiant [4]).

VI. *De his qui viduae poenitenti vel religiosae virgini stuprum intulerint* [5]).

Qui poenitenti viduae vel virgini religiosae vim stupri intulerit, si se ab eo [6]) sequestrare [7]) noluerit, pariter a communione et a Christianorum consortio segregetur: si vero illa quae vim pertulit ad sanctam religionem redierit, in illo solo quoadusque publice poeniteat data sententia perseveret.

VII. *De his qui sacramento se obligant ne ad pacem redeant.*

Qui sacramento se obligaverit ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo [8]) redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis et sanguinis domini segregatus [9]) reatum suum eleemosynis, fletibus et quantis potuerit jejuniis absolvat [10]): ad *caritatem* vero *quae operit multitudinem peccatorum* [11]) celeriter festinet venire.

VIII. *Si clericus servum vel discipulum de ecclesia traxerit, ut poenitentiam agat.*

Nullus clericorum servum aut discipulum suum ad ecclesiam confugientem extrahere audeat vel flagellare praesumat; quod si fecerit, donec digne poeniteat a loco cui honorem non dedit segregetur.

IX. *De his qui rebaptizati sunt quantum poeniteant.*

De his qui in praevaricatione rebaptizati [12]) sine aliqua necessitate vel tormento delapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicaenae synodi statuta [13]) serventur, quae de praevaricatoribus censita esse noscuntur, id est ut septem annis inter catechumenos orent, et duobus inter catholicos, et postea moderatione et clementia episcopi fidelibus in oblatione et eucharistia [14]) communicent.

---

1) *in flenda* M. — 2) *ut* deest ap. M. — 3) *et veluti sues in volutabris luti jacuerint* add. in m. M., *et velut sues in voluptabris caeni emersi jacuerint* add. Luc. — cf. Prov. 26, 22. 2 Petr. 2, 11. — 4) *non percipiant* M. — 5) *De eo qui . . intulerit* M. — 6) *ab ea* Luc. — 7) *sequestrari* M. — 8) *ut litiget cum quolibet ne ad pacem ullo modo* in m. M. — 9) *a corpore et sanguine domini segregetur et* ibid. — 10) *abluat* Æ. T. 2., et M. — 11) 1 Petr. 4, 8. — 12) *rebaptismi* in m. M., *baptismi* Luc. — 13) Conc. Nicaen. c. 10. — 14) *in oblatione eucharistiae* in m. M. —

X. *De his qui jubente episcopo omissa*[1] *culpa ab ecclesia exire contemnunt.*

Qui jubente sacerdote pro quacumque culpa ab ecclesia exire contempserint[2], pro noxa contumaciae[3] tardius recipiantur[4] ad veniam.

XI. *De clericis qui in mutuam caedem prorumpunt.*

Si clerici in mutuam caedem proruperint, prout dignitas officiorum in tali excessu contumeliam pertulerit, a pontifice districtius vindicetur.

XII. *De his qui contra canones ordinati sunt, ut deponantur.*

Qui contra decreta canonum indiscrete clericos usque nunc ordinaverunt[5], eis dominus vel sancta et[6] ecclesiastica caritas ignoscat: amodo vero si in talia[7] ausu proruperint, decretum canonum, quod circa eorum personas statutum est, id est ut nullum ordinare audeant, observetur, vel qui deinceps ordinati fuerint deponantur; hi vero qui tales hactenus ordinati sunt, nullo tempore promoveantur[8].

XIIII. *De catholicis qui filios suos baptismati haereticorum dederunt.*

Catholicus qui filios suos in haeresi baptizandos obtulerit, oblatio illius in ecclesia nullatenus recipiatur.

XIV. *De catholicis, ut cum rebaptizatis non conversentur.*

Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

XV. *Ut clerici cum extraneis mulieribus non habitent.*

Familiaritatem extranearum mulierum licet ex toto sancti patres antiquis monitionibus praeceperint ecclesiis[9] evitandam, id nunc tamen nobis[10] visum est, ut qui talis probabitur, post primam et secundam commonitionem si[11] emendare neglexerit, donec in vitio perseverat officii sui dignitate privetur; quod si se deo juvante correxerit, sancto ministerio restauretur.

XVI. *Si sacerdos moritur, quid de rebus ecclesiae observetur.*

Licet de re hujuscemodi quam constituere salubri ordinatione decernimus[12] prisca auctoritas canonum nequaquam siluerit, sed evidenti sanctione praeceperit, ut cujuscumque ecclesiae pontifice defuncto non passim pro libitu suo in earum rerum direptionem[13], quas obiens derelinquit, quisquis[14] irruat domumque subvertat, sed sacerdos qui exequiarum tempore adest omnia quae ad utilitatem et conservationem pertinent debeat diligenti circumspectione munire: tamen quia haec ipsa sanctio, quod pejus est, a multis clericis cognoscitur violari, ita ut occumbente sacerdote, expectorato affectu totaque disciplinae severitate posthabita, immaniter quae in domo pon-

---

1) *remissa* ibid. — 2) *contempserit* M. — 3) *contumeliae* in m. M. 4) *recipiatur* M. — 5) *ordinaverint* M. — 6) *et* deest ap. M — 7) *tali* M. — 8) *amoveantur* Æ. T. 2., et in m. M. — 9) *ecclesiasticis* in t., *clericis* in m. M. — 10) *nobiscum* Hard. — 11) *si post . . se* M. — 12) *decrevimus* M. — 13) *de . . . direptione* M. — 14) *quisquam* M. —

tificali reperiuntur invadant et abradant [1]), id nunc omnes [2]) hujus placiti vel constituti [3]) inter nos censura [4]) placuit custodire [5]): ut defuncto antistite vel etiam adhuc in supremis agente, nullus clericorum cujuslibet ordinis, officii gradusve sit, quidquam de domo auferre praesumat, vel de utilitate quae instrumenti domus esse noscitur, id est mobili vel [6]) immobili rei ecclesiasticae conetur invadere, nihil furto, nihil vi, nihil dolo supprimens, auferens atque abscondens; sed is cui domus commissa est, subjunctis sibi cum consilio cleri uno vel duobus fidelissimis [7]), omnia usque ad tempus pontificis substituendi debeat conservare, vel his qui in domo inveniuntur clericis consuetam alimoniam administrare. Substitutus antistes suscepta ea, prout decessor suus ordinavit vel huic deus [8]) imperaverit [9]), uti [10]) cum his debeat quos cognoverit disciplinae et caritati decessoris sui fideliter paruisse. Quod si quisquam post haec cujuslibet ordinis, ut superius dictum est, clericus quacumque occasione de domo ecclesiae vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abstulisse vel forsitan dolo aliquo suppressisse, reus sacrilegii prolixiori anathemate condemnetur, et vix quoque peregrina ei communio animae [11]) concedatur: quia durum est ut hi quos constat in servitio domini cum primae sedis antistite desudasse, illorum qui suarum rerum incubatores vel utilitatibus servientes atque vacantes fuisse noscuntur, despectibus [12]) aliquatenus crucientur.

CONCILIUM VALLETANUM [13])

SEX EPISCOPORUM HABITUM ERA DLXXXVII. [14]) ANNO DECIMO QUINTO THEODORICI [15]) REGIS SUB DIE II. NONAS DECEMBRIS.

I. *Ut evangelium post apostolum legatur.*

In nomine domini nostri Jesu Christi Valles [16]) in concilio congregati dum [17]) de ecclesiastica regula [18]) tractaremus,

---

1) *invadunt et abradunt* M. — 2) *ideo nunc haec* in t., *id nunc* in m. M. — 3) *constitutionis* in m. M. — 4) *placiti constitutione inter nos censorta* ibid. — 5) *custodiri* M. — cf. Conc. Valletan. c. 2. — 6) *et* M. — 7) *clericis* (om. voce *cleri*) add. in m. M. — 8) *susceptae sedis commoda ordinabit velut deus* in m. M. — 9) *inspiraverit* U., *imperavit* M. — 10) *ut eis uti* in m. M. — 11) Non est haec vox in mss. Hard. — 12) *ab his qui suarum rerum incubitatores atque vagantes fuisse noscuntur, despecti* in m. M. — 13) *Valentinum* Aguirre et Mansi. cf. Conc. Toletan. VII. c. 3. Tres sunt in Hispania Valentiae. — 14) *era 584.* Æ. BR. T. 1. 2. U. G. — 15) *Theuderici* U. 16) *Valentiae* M. — 17) *cum* M. — 18) *dum ecclesiasticas regulas* in m. M.

antiquos canones relegentes inter cetera hoc[1] censuimus observandum, ut sacrosancta evangelia ante munerum illationem vel missam[2] catechumenorum in ordine lectionum post apostolum legantur, quatenus salutaria praecepta domini nostri Jesu Christi vel sermonem sacerdotis non solum fideles sed etiam catechumeni ac poenitentes, sed[3] et omnes qui e diverso sunt audire licitum habeant: sic enim pontificum praedicatione audita nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus.

II. *Ut defuncto episcopo de rebus ipsius vel ecclesiae nullus quidquam praesumat*[4].

Hoc etiam placuit ut episcopo ab hoc saeculo, jubente domino, arcessito[5] clerici ab omni omnino supellectile vel quacumque[6] in domo ecclesiae vel episcopi in libris, in speciebus, utensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus vel omni omnino re rapaces manus abstineant et nihil latronum more diripiant; qui si nec canonum auctoritate cohibiti[7] fuerint, omnia quae pervaserint, metropolitani vel omnium comprovincialium sacerdotum districtione coacti, in pristinum statum redintegrare[8] cogantur, ut nihil antistiti vel dispensatori futuro necessariorum sub hac justa constitutione depereat. Quod ut confidentius justitia manente servetur, secundum Regiensis[9] synodi constituta, episcopo a corpore recedente, vicinior illi accedat episcopus, qui ex more exequiis celebratis statim ecclesiae ipsius curam districtissime gerat, ne quid ante ordinationem futuri pontificis inhiantium[10] clericorum subversioni vel direptioni jam liceat: ita ut de repertis omnibus inspectior censitio descriptioque fidelissima[11], si fieri potest, intra octavas defuncti sub diligentia praesentis episcopi peragatur: dehinc ad metropolitani notitiam habita ordinatio vel descriptio[12] deferatur, ut ejus electione talis persona ordinandae domus ecclesiasticae procuretur, quae valeat consueta clericis stipendia dispensare[13], et creditarum sibi rerum, si forsitan tarditas in episcopo ordinando successerit, metropolitano congruis temporibus reddere[14] rationem: ut sub hac salubri constitutione clerici stipendiis suis omnino contenti labores non diripiant episcopi decedentis, et ad[15] vacuam ecclesiae domum futurus pontifex non sine dolore succedat, sed magis de praedecessoris sui dimisso possit et ipse gaudere et aliis ministrare.

III. *Ut propinqui morientis episcopi de rebus ejus nihil usurpent sine metropolitani et comprovincialium conscientia.*

Simili quoque modo parentibus et propinquis decedentis

---

1) *haec* M. — 2) *in missa* (om. voce *vel*) in m. M. — cf. Conc. Araus. c. 18. Laod. c. 19. — 3) *sed* deest ap. M. — 4) *invadere* add. in m. M. 5) *accersito* M. — 6) *vel quaecumque sunt* M. — 7) *prohibiti* in m. M. 8) *reddere integra* M. — 9) *Regensis* M. — Can. 6. — 10) *remanentium* in m. M. — 11) *ita ut directis hominibus inspectio certior et descriptio fidelior* ibid. — 12) *ordinate descriptio* ibid. — 13) *quae vel . . . dispenset* M. — 14) *possit* add. M. — 15) *in* M. —

episcopi, si intestatus obierit, denuntietur ut sine metropolitani vel comprovincialium sacerdotum conscientia nihil de rebus defuncti occupare [1]) pertentent, ne forte in [2]) haereditariis rebus etiam aliqua ad ecclesiam pertinentia vel permixta usurpent, sed aut usque ad ordinationem futuri expectent antistitis aut certe si longum fuerit ad metropolitani, ut dictum est, ordinationem recurrant. Si quis autem immemor [3]) divini timoris contra haec sancita [4]) synodica clericus quisque [5]) vel laicus venire improba mente tentaverit, et communione et consortio privetur ecclesiae, quia durum est ut ad illam conveniat quam expoliare non metuit, nisi forte spiritu meliori correptus [6]), dum a praesumptione cessaverit, recuperet indulgentiam: si autem rationabiliter modesteque unusquisque repetat [7]) quod sibi jure debetur, ei absque aliqua animadversione a metropolitano vel cui injunxerit aut res aut ratio non negetur. Hoc etiam omnes canone constringendi, qui in praeteritum [8]) res ecclesiae vel episcopi usurpantes diripuerunt [9]).

IV. *De exequiis morientis episcopi qualiter* [10]) *humetur.*

Illud etiam provido consilio decernentes [11]), ut quia saepe sanctorum antistitum per absentiam commendatoris episcopi exequiae differuntur, ita ut veneranda pontificis membra, dum tardius funerantur, injuriae omnino subjaceant, episcopus qui post mortem fratris ad sepeliendum eum solet invitatus occurrere, infirmum magis et adhuc in corpore positum admonitus visitare non differat: ut aut de relevatione [12]) consacerdotis amplius gaudeat, aut certe de ordinatione domus suae fratrem admoneat ejusque probabilem voluntatem in effectum transmittat, ac recedentem a saeculo post oblatum in ejus commendationem [13]) sacrificium deo, mox sepulturae tradat diligentissime et superius constituta canonica [14]) non differat adimplere. Si autem, ut fieri solet, antistes obitu repentino discesserit, et collimitanei sacerdotes de longinquo minime adesse potuerint, uno die tantum cum nocte exanimatum corpusculum sacerdotis [15]), non sine fratrum ac religiosorum frequentia vel psallentium excubatione servatum, a presbyteris cum omni diligentia in loculo [16]) conditum seorsum non statim humetur, sed honorifice commendetur, donec sine mora invitato undecumque pontifice [17]), ab ipso ut condecet solemniter tumuletur, ut et injuriae tollatur occasio et mos antiquus in sepeliendis sacerdotibus servetur [18]).

V. *De vagis et inobedientibus clericis.*

Hoc etiam placuit, ut vagus atque instabilis clericus sive

---

1) *aucupare* in m. M. — 2) *cum* ibid. — 3) *contemptor* ibid. — 4) *sancta* ibid. — 5) *quisquam* M. — 6) *correctus* M. — 7) *reperit* (? *repetit* Aguirre) M. — 8) *qui tam in praeteritum quam in futurum* in m. M. — 9) *diripuerint* M. — 10) *et qualiter* M. — 11) *decretum est* M. — 12) *revelatione* M. — 13) *commendatione* M. — 14) *canonice* in m. M. — 15) *maneat* add. M. — 16) *loco* in m. M. — 17) *sacerdotis corpus* add. in m. M. — 18) *observetur* M. —

etiam in diaconii ministerio vel presbyterii [1]) officio constitutus, si episcopi a quo ordinatus est praeceptis non obedierit, ut in delegata sibi ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit et [2]) communione et honore privetur.

VI. *Ut clericum alienum nullus ordinet, nec sit clericus qui non spoponderit locum ubi sit delegatus.*

Ut nullus alienum clericum secundum decreta canonum sine consensu episcopi sui audeat ordinare, sed nec illum sanctorum sacerdotum quispiam ordinet, qui localem se futurum primitus non spoponderit [3]), ut per hoc nullus a regula vel disciplina ecclesiastica deviare permittatur impune.

CONCILIUM BARCINONENSE PRIMUM [4]).

Cum convenissent in dei nomine Barcinone [5]) sancti episcopi, id est Sergis [6]) metropolitanus, Nibridius Barcinonensis, Casontius [7]) Empuritanus, Andreas Ilerdensis, Stafilius Gerundensis, Joannes Caesaraugustanus, Asellus Dertosanus, haec observanda constituerunt [8]):

I.

Ut psalmus quinquagesimus ante canticum dicatur.

II.

Ut benedictio in matutinis fidelibus sicut in vespera tribuatur.

III.

Ut nullus clericorum comam nutriat aut barbam radat [9]).

IV.

Ut diaconus in consessu presbyteri nullatenus sedeat.

V.

Ut episcopo praesente orationes presbyteri in ordine colligant.

VI.

Poenitentes viri tonso capite et religioso habitu utentes jejuniis et obsecrationibus vitae tempus peragant.

VII.

Ut poenitentes epulis non intersint nec negotiis operam dent in datis et acceptis, sed tantum in suis domibus vitam frugalem agere debeant.

---

1) *diaconi* .. *presbyteri* M. — 2) *a* M. — 3) *ostenderit* G. — 4) Deest hoc concilium in reliquis codicibus Hispanis praeter Æ. ex quo desumptum est. — 5) *Barcinonae* M., *Barcinona* Aguirre. — 6) *Sergius* M. — 7) *Casotius* M. — 8) *statuerunt* M. — 9) cf. Stat. eccl. ant. c. 44. (I., pag. 146). —

VIII.

De his qui in infirmitatibus poscunt poenitentiam et a sacerdote accipiunt, si postea convaluerint, vitam poenitentium peragant, excepta manus impositione, segregati a communione quamdiu probabilem sacerdos eorum approbaverit vitam.

IX.

Jubemus vero in infirmitate positis, viaticam [1] benedictionem percipiant.

X.

De monachis vero id observari praecipimus, quod synodus Chalcedonensis constituit.

De fisco Barcinonensi [2].

Dominis sublimibus et magnificis filiis aut fratribus numerariis Artemius [3] vel omnes episcopi ad civitatem Barcinonensem fiscum inferentes: Quoniam ex electione domini et filii ac fratris nostri Scipionis comitis patrimonii in anno feliciter septimo gloriosi domini nostri Reccaredi regis in officium numerarii in civitatem Barcinonensem provinciae Tarraconensis electi estis, et a nobis sicut consuetudo est, consensum ex territoriis, quae nobis administrare consueverunt, postulastis; idcirco per hujus consensi [4] nostri seriem decrevimus, ut tam vos quam agentes sive adjutores vestri pro uno modio canonico ad populum exigere debeatis; hoc est siliquas octo, et pro laboribus vestris siliquam unam, et pro inevitabilibus damnis vel inter pretia specierum siliquas quatuor, quae faciunt in uno siliquas quatuordecim. Inibi hordeo, quod pro nostra definitione, sicut diximus, tam vos quam adjutores atque agentes exigere debeant, nihil amplius praesumant vel exigere vel auferre. Si quis sane secundum consensum nostrum acquiescere noluerit vel tibi inferre minime procuraverit in specie quod tibi convenerit, fiscum suum inferre procuret. Quod si ab agentibus vestris aliqua superexacta fuerint, quam hujus consensi [4] nostri tenor demonstrat, vos emendare et restituere cui male ablata sunt ordinetis.

In quo consensu subter qui consensimus manibus nostris subscripsimus. Factum consensum sub die pridie Nonas Novembres anno septimo regni domini nostri.

---

1) *beatificam* in t., *beaticam* in m. M. — 2) Hoc decretum in collectione Mansi positum est post Concilium Caesaraugustanum a. 592. cum inscriptione: *De fisco Barcinonensi aera DCXXX.* — 3) *episcopus Tarraconensis* add. M. — 4) *consensus* M. —

CONCILIUM BRACARENSE PRIMUM [1]) OCTO EPISCOPORUM HABITUM ERA DXCIX. ANNO TERTIO ARIAMIRI [2]) REGIS DIE KALENDARUM MAJARUM.

Cum Gallaeciae [3]) provinciae episcopi, id est [4]) Lucretius, Andreas, Martinus, Cottus, Ildericus [5]), Lucetius [6]), Timotheus, Maliosus ex praecepto praefati gloriosissimi Ariamiri regis in metropolitana ejusdem provinciae Bracarensis ecclesia convenissent, considentibus simul episcopis, praesentibus quoque presbyteris, adstantibusque ministris vel universo clero, Lucretius memoratae metropolitanae ecclesiae episcopus dixit:

Diu est, sanctissimi fratres, quod secundum instituta venerabilium canonum et decreta catholicae et apostolicae disciplinae desiderabamus sacerdotalem inter nos fieri debere conventum, qui non solum ecclesiasticis regulis et ordinibus opportunus [7]) est, sed etiam stabilem semper efficit caritatis fraternae concordiam, dum congregati simul in nomine domini sacerdotes ea inter se salutifera collatione requirunt, quae secundum doctrinam apostolicam unitatem spiritus in vinculo pacis obtineant. Nunc igitur quoniam optatum nobis hujus congregationis diem gloriosissimus atque piissimus filius noster, adspirante sibi domino, regali praecepto concessit, et simul positi considemus [8]), prius, si placet, de institutis [9]) fidei catholicae perquiramus, tum [10]) deinde sanctorum patrum instituta recensitis canonibus innotescant, postremo quaedam etiam quae ad obsequium dei vel officium pertinent clericale diligentius pertractentur, ut si qua fortasse vel [11]) per ignorantiae desidiam vel per longi temporis incuriam aut varia inter nos habentur aut dubia, ad unam sicut decet rationis ac veritatis formulam revocentur.

Omnes episcopi dixerunt: Prosecutio tuae beatitudinis justa est, ea namque de causa convenimus ut aliqua nobis ecclesiasticae constructionis utilitas commodetur.

Lucretius episcopus dixit: Prius ergo de statutis fidei, sicut superius dictum est, proferamus [12]), nam licet jam olim Priscillianae haeresis contagio Hispaniarum provinciis detecta sit et damnata, ne quis tamen aut per ignorantiam aut aliquibus, ut assolet, scripturis deceptus apocryphis aliqua adhuc

---

1) Concilium Bracarense *secundum* appellat Mansi quia genuinum censeri illud posse ratus est, quod ad 411. e capitulo II. libri VI. Monarchiae Lusitanae F. Bernardi de Brito, monachi ordinis S. Benedicti, ceteris conciliis addidit. — 2) *Argemiri* Æ. T. 2. sicque postea in iisdem scribitur. — 3) *Galliae* U., *Gallicinae* M. — 4) *id est* om. a M. — 5) *Gildericus* in m. M. — 6) *Lucentius* M. — 7) *quia ... opportunum* in m. M. — 8) *ut ... consideremus* ibid. — 9) *statutis* in t., *statu* in m. M. — 10) *tunc* M. — 11) *vel* deest ap. M. — 12) *conferamus* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2. U. G., et M. —

ipsius erroris pestilentia sit infectus, manifestius ignaris hominibus declaretur, qui in ipsa extremitate mundi et in ultimis hujus provinciae regionibus constituti aut exiguam aut paene nullam rectae eruditionis notitiam contigerunt. Credo autem vestrae beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianae sectae venena serpebant, beatissimus papa urbis Romae Leo, qui quadragesimus fere extititit apostoli Petri successor, per Turibium notarium sedis suae ad synodum Gallaeciae [1] contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit [2]. Cujus etiam praecepta [3] Tarraconenses et Carthaginenses episcopi, Lusitani quoque et Baetici, facto inter se concilio, regulam fidei contra Priscillianam haeresim cum aliquibus capitulis conscribentes ad Balconium tunc hujus Bracarensis ecclesiae praesulem direxerunt. Unde quia et ipsum praescriptae fidei exemplar cum suis capitulis prae manibus hic habemus, pro instructione ignorantium, si vestrae placet reverentiae, recitetur.

Omnes episcopi dixerunt: Valde necessaria horum capitulorum est lectio, ut dum simplicioribus quibusque pristina sanctorum patrum statuta panduntur, abominata jam olim a sede beatissimi Petri apostoli et damnatae Priscillianae [4] haeresis figmenta cognoscant.

Lectum est exemplar fidei cum capitulis suis, quae ne prolixitatem facerent his gestis minime sunt inserta. Post lectionem capitulorum omnes episcopi dixerunt: Licet horum capitulorum [5] lectio necessaria recensita sit, tamen evidentius et simplicius ea quae sunt execrabilia ita praepositis etiam modo capitulis declarentur, ut et qui minus est eruditus intelligat, et sic sub anathematis sententia explosa jam olim Priscilliani erroris figmenta damnentur; ut quisquis clericus vel monachus sive laicus tale aliquid sentire adhuc vel defendere fuerit deprehensus, tanquam vere putre membrum continuo de corpore abscidatur [6] catholicae ecclesiae, ne aut societas ejus maculam suae pravitatis recte credentibus ingerat, aut amplius [7] de permixtione talium aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

Proposita contra Priscillianam haeresim capitula et relecta continent haec:

I. Si quis patrem et filium et spiritum sanctum non confitetur tres personas unius esse substantiae et virtutis ac potestatis, sicut catholica et apostolica ecclesia docet, sed unam tantum ac solitariam dicit esse personam, ita ut ipse sit pater qui filius, ipse etiam sit paracletus spiritus, sicut Sabellius et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

---

1) *Galliciae* M. — 2) Vide in priori hujus voluminis parte pag. 405. additamenta ad concilia Tolet. I. et II. — 3) *praecepto* M. — 4) *damnata Priscilliani* M. — 5) *horum capitulorum* om. in m. M. — 6) *abscindatur* M. — 7) *ne aut societatis aut pravitatis ejus macula recte credentibus* in m. M. —

II. Si quis extra sanctam trinitatem alia nescio quae divinitatis nomina introducit, dicens quod in ipsa divinitate sit trinitas trinitatis [1]), sicut Gnostici et Priscillianus [2]) dixerunt, anathema sit.

III. Si quis dicit filium dei dominum nostrum antequam ex virgine nasceretur non fuisse, sicut Paulus Samosatenus et Photinus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

IV. Si quis natalem Christi secundum carnem non vere [3]) honorat sed honorare se simulat jejunans in eodem die et in dominico, quia Christum in vera hominis natura natum esse non credidit [4]), sicut Cerdon, Marcion, Manicheus et Priscillianus dixerunt [5]), anathema sit.

V. Si quis animas humanas vel angelos ex dei credit substantia extitisse, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VI. Si quis animas humanas dicit prius in coelesti habitatione peccasse, et pro hoc in corpora humana in terram dejectas, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

VII. Si quis dicit diabolum non fuisse prius bonum angelum a deo factum nec dei opificium fuisse naturam ejus, sed dicit eum ex chao et tenebris [6]) emersisse, nec aliquem sui habere auctorem, sed ipsum esse [7]) principium atque substantiam mali, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

VIII. Si quis credit quia aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit [8]), et tonitrua et fulgura et tempestates et siccitates ipse diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.

IX. Si quis animas et corpora humana fatalibus stellis [9]) credit adstringi, sicut pagani et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

X. Si qui duodecim signa de sideribus [10]), quae mathematici observare solent, per singula animi [11]) vel corporis membra disposita credunt et nominibus patriarcharum adscripta dicunt, sicut Priscillianus dicit, anathema sit.

XI. Si quis conjugia humana damnat et procreationem nascentium perhorrescit, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XII. Si quis plasmationem humani corporis diaboli dicit esse figmentum, et conceptiones in uteris matrum operibus dicit daemonum figurari, propter quod et resurrectionem carnis non credit, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

---

1) *quod ipsa divinitas sicut sit trinitas* in m. M. — 2) *Priscilliani* M. 3) *bene* M. — 4) *credit* M. — 5) *dixerunt* deest ap. M. — 6) *ex tenebris* in m. M. — 7) *ipsum a se* ibid. — 8) *fecit* M. — 9) *fatali signo* in m. M. — 10) *de sideribus* deest ap. M. — 11) *animae* M. —

XIII. Si quis dicit creationem universae carnis non opificium dei sed malignorum [1]) esse angelorum, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt, anathema sit.

XIV. Si quis immundos putat cibos carnium quos [2]) deus in usus hominum dedit, et non propter afflictionem corporis sui sed quasi immunditiam putans, ita ab eis abstineat ut nec olera cocta cum carnibus praegustet, sicut Manicheus et Priscillianus dixerunt [3]), anathema sit.

XV. Si quis clericorum vel monachorum praeter matrem aut germanam vel thiam vel quae proxima sibi consanguinitate [4]) junguntur, alias [5]) aliquas quasi [6]) adoptivas foeminas secum retinent et cum ipsis cohabitant, sicut Priscilliani secta docuit, anathema sit.

XVI. Si quis quinta feria paschali, quae vocatur [7]) coena domini, hora legitima post nonam jejunus in ecclesia missas non tenet, sed secundum sectam Priscilliani festivitatem ipsius diei ab hora tertia per missas defunctorum soluto jejunio colit, anathema sit.

XVII. Si quis scripturas quas Priscillianus secundum suum depravavit errorem, vel tractatus Dictinii quos ipse Dictinius antequam converteretur scripsit, vel quaecumque haereticorum scripta [8]) sub nomine patriarcharum, prophetarum vel apostolorum suo errori consona confixerunt [9]), legit et impia eorum figmenta sequitur aut defendit, anathema sit.

Propositis his capitulis et relectis Lucretius episcopus dixit: Quoniam ea, quae catholicis [10]) abominanda sunt et damnanda [11]), manifestius et apertius etiam ignorantibus declarata sunt, necessarium post hoc arbitror, si vestrae fraternitati videtur, ut instituta nobis sanctorum patrum recensitis antiquis canonibus innotescant, quae etsi non omnia certe vel pauca quaedam, quae ad instructionem clericalis disciplinae pertinent, relegantur. Omnes episcopi dixerunt: Placet hoc dictum [12]), et congrua res est, ut quibus fortasse per incuriam abolita sunt ecclesiastica constituta, audiant sanctorum canonum regulam et observent. Relecti ex codice coram concilio tam generalium synodorum canones quam localium; post quorum lectionem Lucretius episcopus dixit: Ecce ex ipsa canonum lectione agnoscat sancta fraternitas vestra non solum in generalibus conciliis sed etiam in localibus congregatos simul sacerdotes uno consensu ea quae ecclesiastico conveniebant ordini statuisse, et secundum quod uniuscujusque rei exhibebat [13]) ratio prospexisse, sequentes sententiam doctrinae apo-

---

1) *malorum* in m. M. — 2) *quas* in m. M. — 3) *docuerunt* Æ. BR. E. 3. U. G. — 4) *vel proximam sibi consanguineam* M. — 5) *aliasque* M. — 6) *quasi* deest ap. M. — 7) *est* M. — 8) *scripta* deest ap. M. — 9) *et suo err. cons. confinxit* in m. M. —
10) *a catholicis* M. — 11) *abominata sunt et damnata* in m. M. —
12) *Placet quod dictum est* M. — 13) *expetebat* in m. M. —

stolicae dicentis: *Probate, quae bona sunt et tenete*[1]. Si ergo placet caritati vestrae, quia sunt aliqua ecclesiasticae institutionis obsequia, quae in hujus praesertim extremitate provinciae non per contentionem, quod absit, sed magis sicut praefati sumus per incuriam aut per ignorantiam variantur[2], constituamus quaedam inter nos capitula, ut quae non uno modo tenentur a nobis, ad unam omnino formulam revocentur. Omnes episcopi dixerunt: Necessarium et valde hoc utile arbitramur, ut ea quae apud unumquemque nostrum varia et inordinata consuetudine retinentur, unito inter nos per dei gratiam et[3] concordiam celebrentur officio, et idcirco si quid illud est magnum vel parvum quibus[4] variari videmur, ad unam sicut dictum est formulam praefixis rationabiliter capitulis revocetur[5]; praecipue cum et de certis[6] quibusdam causis instructionem apud nos sedis apostolicae habeamus, quae ad interrogationem[7] quondam venerandae memoriae praecessoris[8] tui Profuturi ab ipsa beatissimi Petri cathedra directa est[9]. Lucretius episcopus dixit: Recte vestra fraternitas pro auctoritate sedis apostolicae reminiscita est[10], quae licet eodem tempore innotuerit quo directa est, tamen pro firmitate testimonii et instructione multorum; si vestrae unanimitati complacet, quia prae manibus est coram his omnibus relegatur. Omnes episcopi dixerunt: Justum[11] est ut quia mentio ipsius auctoritatis est habita, quae sit ejus doctrina a circumstantibus audiatur. Relecta est auctoritas sedis apostolicae ad quondam Profuturum directa episcopum, quae propter prolixitatem his gestis minime est inserta. Post cujus lectionem Lucretius episcopus dixit: Manifestius patet apostolicam nobis opitulari doctrinam; et ideo sicut fraternitas vestra praedixit, si quid per ignorantiam apud quosdam variat[12], ad uniformem concordiae regulam praescriptis inter nos capitulis adstringatur[13].

Proposita sunt igitur capitula et relecta, quae continent haec:

I. *De uno ordine psallendi*[14].

Placuit omnibus communi consensu, ut unus atque idem psallendi ordo in matutinis vel vespertinis officiis teneatur, et non diverse ac private[15], neque monasteriorum consuetudines cum ecclesiastica regula[16] sint permixtae.

---

1) 1 Thess. 5, 21. — 2) *fiunt* (loco vocis *variantur* et ante verba *per incuriam* positum) in m. M. — 3) *quo per* M. — 4) *in quibus* in t., *in quo* in m. M. — 5) *revocentur* M. — 6) *ceteris* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2., et M. — 7) *ad interrogationes suas* in m. M. — 8) *praedecessoris* M. — 9) *Profuturi prudentia ab ipsa beati Petri accepit cathedra* in m. M. — 10) *terminata est* A., *recordata est* in m. M. — 11) *Placet et justum* Æ. — 12) *varia* (sic) *habetur* BR. E. 4. T. 1. 2., *varium habetur* M. — 13) *adjungatur* M. — 14) Hi tituli in A. et Æ. ad marginem depicti sunt. Desunt in reliquis codicibus Hispanis et apud M. — 15) *diversae ac privatae* M. — 16) *contra ecclesiasticas regulas* in m. M. —

II. *De solemnium diebus.*

Item placuit, ut per solemnium dierum vigilias vel missas omnes easdem et non diversas lectiones in ecclesia legant.

III. *De salutatione:* Dominus vobiscum.

Item placuit, ut non aliter episcopi et aliter presbyteri populum, sed uno modo salutent dicentes: *Dominus sit vobiscum*, sicut in libro legitur Ruth [1]), ut [2]) respondeatur a populo: *Et cum spiritu tuo*, sicut et ab ipsis apostolis traditum omnis retinet Oriens et non sicut Priscilliana pravitas permutavit.

IV. *De ordine missarum.*

Item placuit, ut eodem ordine missae celebrentur ab omnibus, quem [3]) Profuturus quondam hujus metropolitanae ecclesiae episcopus ab ipsa apostolicae sedis auctoritate suscepit scriptum.

V. *De ordine baptizandi.*

Item placuit, ut nullus eum baptizandi ordinem praetermittat, quem et antea tenuit metropolitana Bracarensis ecclesia, et pro amputanda aliquorum dubietate praedictus Profuturus ab episcopis [4]) scriptum sibi et directum a sede beatissimi apostoli Petri suscepit.

VI. *De primatu episcopi.*

Item placuit, ut conservato metropolitani episcopi primatu ceteri episcoporum secundum suae ordinationis tempus alius alio sedendi deferat locum.

VII. *De rebus ecclesiae.*

Item placuit, ut ex [5]) rebus ecclesiasticis tres aequae fiant portiones, id est una episcopi, alia clericorum, tertia in recuperationem [6]) vel in luminaria [7]) ecclesiae: de qua parte sive archipresbyter sive archidiaconus illam administrans episcopo faciat rationem.

VIII. *De ordinatione alterius clerici.*

Item placuit, ut nullus episcopus clericum alterius ordinare praesumat, sicut et antiqui canones vetuerunt, nisi forte signata ipsius episcopi scripta susceperit.

IX. *De orario diaconi.*

Item placuit, ut quia in aliquantis hujus provinciae ecclesiis diacones absconsis infra tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differri [8]) a subdiacono videantur, de cetero superposito scapulae, sicut decet, utantur orario.

X. *De vasibus altarium.*

Item placuit, ut non liceat cuilibet ex lectoribus sacra altaris vasa portare, nisi his qui ab episcopo subdiaconi fuerint ordinati.

---

1) Cap. 2, 4. — 2) *et ut* M. — 3) *quomodo* in m. M. — 4) *Profuturus episcopus* M. — 5) *de* M. — 6) *in recuperatione* in t., *in reparatione* in m. M. — 7) *in luminariis* M. — 8) *differre* M. —

XI. *De lectoribus ecclesiae.*

Item placuit, ut lectores in ecclesia habitu saeculari ornati non psallant, neque granos gentili ritu dimittant.

XII. *De canonicis scripturis.*

Item placuit, ut extra psalmos vel canonicarum scripturarum novi et veteris testamenti nihil poetice compositum [1]) in ecclesia psallatur, sicut et sancti praecipiunt canones.

XIII. *Ubi omnes communicant.*

Item placuit, ut intra sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis, viris vel mulieribus, nisi tantum clericis, sicut et in [2]) antiquis canonibus statutum est.

XIV. *De oleribus et carnibus.*

Item placuit, ut quicumque in clero cibo carnium non utuntur, pro amputanda suspicione Priscillianae haeresis vel olera cocta cum carnibus tantum praegustare cogantur; quod si contempserint, secundum quod de his talibus sancti patres antiquitus statuerunt, necesse est eos pro suspicione haeresis hujus officio excommunicatos omnibus modis removeri.

XV. *De auctore excommunicatorum.*

Item placuit, ut hi qui pro haeresi aut pro crimine aliquo excommunicantur, nullus iis communicare praesumat, sicut et antiqua canonum continent statuta; quae si quis spernit, voluntarie se ipsum alienae damnationi tradet [3]).

XVI. *De his qui se ipsos interficiunt.*

Item placuit, ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum aut per venenum aut per praecipitium aut suspendium vel quolibet modo violentam [4]) inferunt mortem, nulla illis [5]) in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim hoc sibi per ignorantiam usurparunt [6]). Similiter et de his placuit [7]) qui pro suis sceleribus puniuntur.

XVII. *De catechumenis defunctis.*

Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo neque oblationis commemoratio neque psallendi impendatur officium, nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.

XVIII. *De corporibus defunctorum.*

Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam [8]) sanctorum sepeliantur, sed si necesse est de foris circa murum basilicae usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc retinent [9]) civitates, ut

---

1) *placuit ut V. T. nihil poetice compositum* in m. M. Hoc Augustinus Ep. 119. in Donatistis improbat. — 2) *in* deest ap. M. — 3) *alienum a communione facit* in m. M. — 4) *violentia* in m. M. — 5) *pro illis* M. — 6) *usurpant* in m. M. — 7) *fieri* add. ibid. — 8) *in basilica* in m. M. — 9) *manet* in t., *amplius retinent Galliae* in m. M. —

nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere [1])?

XIX. *De benedictione chrismatis.*

Item placuit, ut [2]) si quis presbyter post hoc interdictum ausus fuerit chrisma benedicere, aut ecclesiam aut altarium consecrare, a suo officio deponatur, nam et antiqui hoc canones vetuerunt.

XX. *De laicorum gradu.*

Item placuit, ut ex laico ad gradum sacerdotii ante non [3]) veniat, nisi prius anno integro in officio lectorati vel subdiaconati [4]) disciplinam ecclesiasticam discat, et sic per singulos gradus eruditus [5]) ad sacerdotium veniat; nam satis reprehensibile est, ut qui necdum didicit jam docere praesumat, dum et antiquis hoc patrum institutionibus interdictum sit.

XXI. *De collatione fidelium.*

Item placuit, ut si quid ex collatione fidelium aut per festivitatem martyrum [6]) aut per commemorationes [7]) defunctorum offertur, apud unum clericorum fideliter colligatur, et constituto tempore aut semel aut bis in anno inter omnes clericos dividatur; nam non modica ex ipsa inaequalitate discordia generatur, si unusquisque in sua septimana quod oblatum fuerit sibi defendat.

XXII. *De praeceptis canonum antiquorum.*

Item placuit, ut quaecunque praecepta antiquorum canonum quae [8]) modo in concilio recitata sunt nullus audeat praeterire: si quis autem quasi contumax transgreditur illa [9]), necesse est ut de suo degradetur officio.

Relectis capitulis Lucretius episcopus dixit: Quia opitulante nobis domino ea quae ad firmitatem catholicae orthodoxae fidei, vel quae ad officium ordinis ecclesiastici pertinebant, unanimi sicut oportebat collatione decrevimus, restat nunc ut ex omnibus his, quae per gratiam dei [10]) salubriter statuta sunt, propriam unusquisque nostrum studeat docere atque informare dioecesim. Si quis autem ex nobis in parochiis suis post agnita hujus concilii constituta [11]) aut clericum aut monachum sanae huic doctrinae resistentem invenerit aut in aliquo adhuc Priscillianae sectae errore latitare persenserit, et non continuo illum excommunicatum et anathematizatum de [12]) ecclesia foris [13]) ejecerit, ita ut cum hujuscemodi homine nec cibum aliquis fidelium [14]) communicare praesumat, noverit se is qui talem recipit [15]) et fraternae esse excommunicationi

---

1) *obtineri* in m. M. — 2) *ut* deest ap. M. — 3) *nemo* M. — 4) *lectorum vel diaconatus* in m. M. — 5) *praedictus* M. — 6) Verba: *aut per fest. mart.* desunt ap. M. — 7) *commemorationem* M. 8) *quae* deest ap. M. — 9) *ille* (ad seqq. pertinens) M. — 10) *quae fidei* (in m. *dei*) *gratia* M. — 11) *statuta* M. — 12) *ab* M. — 13) *foras* M. — 14) *sumere nec* add. M. — 15) *receperit* M. —

obnoxium et divinae procul dubio sententiae reum. Omnes episcopi dixerunt: Quaecumque a nobis unito [1]) per dei gratiam communi consensu decreta sunt, pervigili necesse est sollicitudine observentur, quae ut stabilem placitae constitutionis obtineant firmitatem, propria unusquisque his gestis manu subscribat. Et post episcoporum subscriptio subsecuta est.

CONCILIUM BRACARENSE SECUNDUM [2])

DUODECIM EPISCOPORUM HABITUM ANNO SECUNDO REGIS MIRONIS DIE KALENDARUM JUNIARUM ERA DCX.

Cum Gallaeciae [3]) provinciae episcopi tam ex Bracarensi quam ex Lucensi synodo cum suis metropolitanis praeceptione [4]) praefati regis simul in metropolitana Bracarensi ecclesia [5]) convenissent, id est Martinus, Nitigis [6]), Remisol, Andreas, Lucretius [7]), Adoricus [8]), Witimer [9]), Sardinarius, Viator, Anila [10]), Polemius, Mahiloc [11]), considentibus his simul episcopis atque universo clero praesente, Martinus Bracarensis ecclesiae episcopus dixit: Inspiratione hoc dei credimus provenisse, sanctissimi fratres, ut per ordinationem domini gloriosissimi filii nostri regis ex utroque concilio conveniremus in unum, ut non solum de visione alterutra [12]) gratulemur, sed etiam ea quae ad ordinationem et disciplinam ecclesiasticam pertinent pariter colloquamur; scriptum est enim in evangeliis [13]) dicente domino: *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.* Nitigis [6]) Lucensis ecclesiae episcopus dixit: Nec aliud potest credi nisi ea, quae ad utilitatem nostrarum [14]) pertinent animarum, divina inspiratione et inchoari et perfici posse [15]), et ideo unanimes omnes [16]) atque id ipsum in domino sentientes quaecumque ad instructionem nostram pertinent in medium prolata desideramus agnoscere. Martinus episcopus dixit: Arbitramur

---

1) *unito* deest ap. M. — 2) *tertium* M. (v. pag. 29 not. 1). — 3) *Regnante domino nostro Jesu Christo currente aera DCX. anno secundo regis Mironis* (in m. *Ariamiri*) *die Kal. Jun.* (al. *die XVIII. Kal. Januariarum*, al. *Kal. Majarum*) *cum Gallaeciae etc.* M. — 4) *praecepto* M. 5) *episcopi* M. — 6) *Nitigisis* BR. E. 4. T. 1., *Nitigisus* E. 3., *Nitigisius* T. 2., et M., sicque infra scribunt. — 7) *Lucentius* in m. M. — 8) *Adorius* M. — 9) *Wittimer* in t., *Vectimer* in m. M. — 10) *Avila* M. — 11) *Mayflocus* M. — 12) *alterutrum* in m. M. — 13) *evangelio* in m. M. — Matth. 18, 20. — 14) *nostram* M. — 15) *oportere* in m. M. — 16) *omnes* deest ap. M. —

vestram beatitudinem recordari, quia cum primum in ecclesia Bracarensi episcoporum concilium congregatum est, post multa quae ad concordiam rectae fidei fuerant roborata, aliqua etiam quae regularem sanctorum canonum continent discretionem firmavimus, quorum utilitas ut possit evidentius in memoriam revocari, ipsa si vobis placet epistola in vestra praesentia relegatur. Omnes episcopi dixerunt: Oportet omnibus modis [1]), ut in omnium auribus qui hic adstant recitetur.

Recitatis ergo capitulis, quae ne prolixitatem facerent his gestis minime sunt inserta, Martinus episcopus dixit: Haec ergo quae modo sunt recitata, quae nobis tunc aut varia aut dubia aut inordinata sunt visa, auxiliante deo directa sunt et suam immobiliter [2]) obtinent firmitatem; quae autem tunc in memoriam non venerunt aut onerosum fuit in primo illo concilio multa simul ingerere, necessarium videtur modo ad notitiam sanctae vestrae caritatis deferri, eo [3]) specialiter prospectu ut speciali [4]) ventilata examine purgentur. Sancti enim patres ac praecessores nostri aut generales synodos undique collecti [5]) pro unitate rectae fidei fecerunt, sicut in Nicaea contra Arium trecenti decem et octo, et in Constantinopoli contra Macedonium centum et [6]) quinquaginta, et in Epheso contra Nestorium ducenti, et in Chalcedone contra Eutychen sexcenti et [6]) triginta; aut certe speciales synodos per suas unusquisque provincias pro resecandis contemptionibus [7]) vel emendandis aliquorum negligentiis collegerunt, et prout eventus culparum aut qualiscumque excessus exegit per singulas quasque [8]) definitas canonum sententias mediante inter eos dei spiritu conscripserunt, quas oportet nos legere [9]) et intelligere et tenere [10]). Et quia opitulante Christi gratia de unitate et rectitudine fidei in hac provincia nihil est dubium, illud modo [11]) nobis specialius est agendum, ut si quid fortasse extra apostolicam disciplinam per ignorantiam aut per negligentiam reprehensibile invenitur in nobis, recurrentes ad testimonia sanctarum [12]) scripturarum vel antiquorum canonum instituta, adhibito communi consensu omnia quae displicuerint rationabili judicio corrigamus: et primum, si placet, relectis beati apostoli Petri praeceptis quae pro regula sacerdotum in sua epistola evidenter scripsit [13]), quidquid non eodem tenore sicut princeps apostolorum edocuit agi videtur a nobis, sine ulla cunctatione ad emendationem ducere festinemus, ne fortasse dum aliis praedicamus ipsi reprobi effecti divino illo condemnemur eloquio dicente: *Tu vero odisti disciplinam et projecisti sermones meos post te* [14]). Omnes episcopi

---

1) *omnimodo* in m. M. — 2) *inviolabiliter* ibid. — 3) *in eo* M. — 4) *spirituali* M. — 5) *collecti* in m. M. — 6) *et* om. a M. — 7) *secandis contentionibus* M. — 8) *quoque* M. — 9) *relegere* in m. M. — 10) *retinere* Æ. — 11) *modo* deest ap. M. — 12) *sacrorum* M. — 13) *adscripsit* M. — 14) Psalm. 50, 17. —

dixerunt: Cupimus memoratam apostoli Petri epistolam ad locum [1]), ubi sacerdotes docet, audire. Tunc allato libro haec ex eadem epistola recitata sunt: *Seniores obsecro consenior, pascite qui est in vobis gregem dei providentes, non coacte sed spontanee secundum deum, neque turpis lucri gratia sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris* [2]), *sed forma facti gregis* [3]) *ex animo, ut cum apparuerit princeps pastorum recipiatis immarcescibilem gloriae coronam* [4]). His relectis omnes episcopi dixerunt: Cognitis his quae ex epistola beati Petri apostoli recitata sunt, desideramus auxiliante dei gratia divinis obedire praeceptis et apostolicae epistolae quae nobis recitata est in his [5]) omnibus formulam imitari, ne forte in aliquibus inordinate ambulantes divino, quod absit, judicio condemnemur, sed ut sanctorum patrum vestigia subsequentes in ipsorum requiem [6]) mereamur esse participes, et immarcescibilem illam gloriae coronam, quae repromissa est, cum ipsis accipere [7]) mereamur. Ob hoc ergo tuam simul omnes deposcimus caritatem, ut has omnes causas singulis capitulis breviter comprehensas, qualiter [8]) corrigi debeant, his gestis subter annectas, quae cum studiosius relecta et in notitiam omnium nostrorum evidentius [9]) fuerint perducta, propria unusquisque manu pro eorum emendatione et confirmatione subscribat, ut non solum nobis sed etiam successoribus nostris haec ad perfectionem episcopalis officii decreta proficiant.

I. *Ut episcopus ambulet per dioecesim suam et ante viginti* [10]) *dies paschae catechumeni doceantur symbolum.*

Placuit omnibus episcopis atque convenit, ut per singulas ecclesias episcopi per dioeceses ambulantes [11]) primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant vel missarum, et [12]) quaecumque officia quomodo peragantur [13]); et si recte quidem invenerint, deo gratias [14]), sin autem minime, docere debeant [15]) ignaros, et hoc modis omnibus praecipere, ut sicut antiqui canones jubent ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi catechumeni currant, in quibus viginti diebus omnino catechumeni symbolum quod est: Credo in deum patrem omnipotentem, specialiter doceantur. Postquam ergo haec [16]) suos clericos discusserint vel docuerint episcopi, alio [17]) die convocata plebe ipsius ecclesiae doceant illos, ut errores fugiant idolorum vel diversa crimina, id est homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium et reliqua peccata mortifera, aut quod nolunt sibi fieri alteri non faciant, et ut credant resurrectionem omnium hominum et diem judicii, in

---

1) *ipsum* add. M. — 2) *in clericis* T. 1., *in clero* T. I. — 3) *formae facti gregi* in m. M. — 4) 1 Petr. 5, 1-4. — 5) *his* deest ap. M. 6) *requie* M. — 7) *percipere* in m. M. — 8) *vel qualiter* ibid. — 9) *evidenter* M. — 10) *triginta* M. — 11) *et per dioec. euntes* in m. M. — 12) *qualiter* add. ibid. (om. voce *quomodo*). — 13) *in ecclesia* (loco vocis *quomodo*) *peraguntur* M. — 14) *agant* add. M. — 15) *debent* in m. M. — 16) *in his* M. — 17) *alia* M. —

qua[1]) unusquisque secundum sua opera recepturus est; et sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

II. *Ut episcopus per dioecesim ambulans duos solidos tantum accipiat, neque tertiam partem de oblationibus quaerat, et ut clerici non cogantur [2]) more servili.*

Placuit ut nullus episcoporum, cum per suas dioeceses ambulat, praeter honorem cathedrae suae, id est duos solidos, aliquid aliud per ecclesias tollat, neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi in ecclesiis parochialibus requirat; sed illa tertia pars pro luminariis ecclesiae vel recuperatione servetur, ut [3]) singulis annis episcopo inde ratio fiat [4]); nam si tertiam partem illam episcopus tollat, lumen et sacra tecta [5]) abstulit ecclesiae. Similiter et ut parochiales clerici servili modo in aliquibus operibus episcopi [6]) non cogantur, quia scriptum est: *Neque vi* [7]) *dominantes in clero.*

III. *Ut episcopus in ordinatione clericorum commodum nullum accipiat.*

Placuit ut de ordinationibus clericorum episcopi munera nulla accipiant [8]), sed ut [9]) scriptum est quod gratis donante deo accipiunt gratis dent [10]), et non aliquo pretio gratia dei et impositio manuum venumdetur; quia antiqua definitio patrum [11]) ita de ecclesiasticis ordinationibus statuit dicens: Anathema [12]) danti et accipienti. Propterea quia aliquanti multis sceleribus obruti [13]) sancto altario indigne ministrantes non hoc testimonio bonorum actuum sed profusione munerum obtinent, oportet ergo non per gratiam munerum, sed per diligentem prius discussionem, deinde per multorum testimonium clericos ordinare.

IV. *Ut pro chrismate episcopus nihil accipiat.*

Placuit ut modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia singuli [14]) tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur, ne forte quod pro salute animarum per invocationem sancti spiritus consecratur, sicut Simon magus donum dei pecunia [15]) emere, ita nos venumdare damnabiliter videamur.

V. *Ut pro consecratione basilicae episcopus nihil exigat.*

Placuit ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas ecclesias episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod e [16]) fundatore requirant: sed si ipse quidem [17]) aliquid ex suo voto obtulerit [18]), non respuatur; si vero aut paupertas

---

1) *quo* M. — 2) *et clerici non agantur* M. — cf. Toletan. VII. c. 4. — 3) *et* M. — 4) *in eccl. paroch. facta sibi usurpet, sed ecclesiae reparationi servetur et in singulis annis episcopo ratio fiat* in m. M. — 5) *tecta* deest ap. M. — 6) *episcopis servire* M. — 7) *ut* M. — *in cleris* in m. M. — 8) *suscipiant* M. — 9) *sicut* M. — 10) Matth. 10, 8. 11) Conc. Tolet. IV. c. 19. VIII. c. 3. XI. c. 8. 9. etc. — 12) *sit* add. M. 13) *obnoxii* in m. M. — 14) *singulis* in m. M. — 15) *voluit* add. in m. M. — 16) *a* M. — 17) *sed ipse fundator siquidem* in m. M. — 18) *sed si ipsi . . . obtulerint* M. —

illum aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. Hoc tantum unusquisque episcoporum meminerit, ut non prius dedicet ecclesiam aut basilicam, nisi antea dotem basilicae et obsequium ipsius per donationem [1] chartulae confirmatum accipiat: nam non levis est ista temeritas, si sine luminariis vel [2] sine sustentatione [3] eorum qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, ita consecretur ecclesia.

VI. *Ut si quis* [4] *oratorium pro quaestu suo in terra sua* [5] *fecerit non consecretur.*

Placuit ut si quis basilicam non pro devotione fidei, sed pro quaestu cupiditatis aedificat, ut quidquid ibidem oblatione [6] populi colligitur medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua ipse [7] condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri; hoc ergo de cetero observari debet, ut nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, ut basilicam quae non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub [8] tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

VII. *Ut de baptizatis nullus accipiat* [9] *praemium.*

Placuit ut unusquisque episcopus per ecclesias suas hoc praecipiat, ut hi qui infantes suos ad baptismum offerunt, si quid voluntarie pro suo offerant voto, suscipiatur ab iis. Si vero per necessitatem paupertatis aliquid non habent quod offerre [10], nullum illis pignus violenter tollatur a clericis: nam multi pauperes hoc timentes filios suos a baptismo retrahunt, qui [11] si forte dum differunt [12] sine gratia baptismi de hac vita recesserint, necesse est ut ab illis eorum perditio requiratur, quorum expolia [13] pertimescentes a baptismi se gratia retraxerunt.

VIII. *Ut qui clericum accusaverit et id non probaverit excommunicetur.*

Placuit ut si quis aliquem clericorum [14] in accusatione fornicationis impetit, secundum praeceptum Pauli apostoli duo vel tria testimonia requirantur ab illo: quod si non potuerit datis testimoniis approbare quae dixit, excommunicationem accusati [15] accusator excipiat.

IX. *Ut per singulos annos a metropolitano episcopis* [16] *pascha praenuntietur.*

Placuit ut postquam omnia in concilio sacerdotum fuerint ordinata, illud omnismodis observetur, ut superventurum [17] ipsius anni pascha, quoto Kalendarum die vel quota luna debet suscipi, a metropolitano episcopo nuntietur [18]; quod ceteri

---

1) *ordinationem* in m. M. — 2) *sive* M. — 3) *substantiali sustent.* in m. M. — 4) *Ut qui* M — 5) *propria* M. — 6) *de oblatione* M. 7) *quaestus causa* add. in m. M. — 8) *sub* om. a M. — 9) *nullum accipiat*, forte *accipiatur* M. — 10) *paupertati aliquid non debent quod offerant* M. — 11) *quod* M. — 12) *qui ... differuntur* in m. M. — 13) *spolia* ibid. — 14) *clericorum aliquem* M. — 15) *accusati* deest ap. M. 16) *episcopo* M. — 17) *superventuri* in m. M. — 18) *intimetur* ibid.

episcopi vel reliquus clerus breviculo subnotantes unusquisque in sua ecclesia, adveniente natalis domini die, adstanti populo post lectionem evangelicam nuntiet, ut introitum quadragesimae nullus ignoret; in cujus principio convenientes in unam vicinae ecclesiae per triduum cum psalmis per sanctorum basilicas ambulantes celebrent litanias [1]); tertio autem die celebratis hora nona sive decima missis, dimisso populo praecipiant quadragesimae observare jejunia, et mediante quadragesima ex diebus viginti baptizandos infantes ad exorcismi purgationem offerre.

X. *Ut presbyter post cibum non teneat missam pro mortuis.*

Placuit ut quia per stultitiam praesumpti nuper erroris aut certe ex veteris Priscillianae adhuc haeresis foetore corruptos [2]) cognovimus quosdam presbyteros in hujus praesumptionis audacia retineri [3]), ut in missa [4]) mortuorum etiam post acceptum merum oblationem ausi sunt consecrare, ideo [5]) hoc praefixae evidentis sententiae admonitione servetur, ut si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit reprehensus [6]), id est ut nec [7]) jejunus sed quocumque jam cibo praesumpto [8]) oblationem consecraverit in altari [9]), continuo ab officio suo privatus a proprio deponatur episcopo.

His ita [10]) gestis placuit omnibus pro confirmanda horum observantia propria unumquemque manu subscribere eo placitorum [11]) facto, ut si quis eorum [12]) capitulorum terminum transgressus ad inordinatas consuetudines reverti voluerit, totius concilii increpatione [13]) correctus [14]) severissimam [15]) sibi de sui ordinis inclinatione noverit imminere sententiam [16]).

---

1) Conc. Tolet. V., c. I. VI., c. 2. — 2) *corrupto* in m. M. — 3) *detineri* M. — 4) *ut missas* in m. M. — 5) *ideoque* M. — 6) *deprehensus* M. — 7) *non* M. — 8) *percepto* M. — 9) *in altari* deest ap. M. — Conf. Conc. Tolet. VII. c. 2. — 10) *itaque* T. 2., et M. — 11) *placito* E. 4. U., et M. *eorum placitorum* in m. M. — 12) *horum* M. — 13) *excommunicatione* in m. M. — 14) *correptus* M. — 15) *verissimam* in m. M. — 16) In Collectione can. eccl. Hisp. quae sequuntur *Capitula Martini* cum hoc concilio Bracarensi II. strictissime conjuncta sunt, dum Mansi et Justellus (Biblioth. tom. I. append.) seorsum eadem ediderunt. Citantur saepissime *ex concilio Bracarensi.* —

CAPITULA SIVE CANONES [1])

EX ORIENTALIUM ANTIQUORUM PATRUM SYNODIS A VENERABILI MARTINO EPISCOPO VEL [2]) AB OMNI BRACARENSI SYNODO EXCERPTI VEL EMENDATI TITULI [3]), UBI CLERICORUM SEORSUM ET LAICORUM SEORSUM SENTENTIAS RESTAURAVIT, UT [2]) QUOD TRANSLATORES A GRAECO IN LATINUM OBSCURIUS DIXERUNT, VEL SCRIPTORUM IGNAVIA DEPRAVAVERAT AUT IMMUTAVERAT [4]) SIMPLICIUS ET EMENDATIUS OMNIA UNO HOC CONTINEANTUR [5]) IN LOCO, UT DE QUO CAPITULO QUIS [6]) SCIRE VOLUERIT, POSSIT CELERIUS INVENIRE.

Domino beatissimo atque apostolicae sedis honore suscipiendo [7]) *in Christo fratri Nitigi* [8]) *episcopo vel* [9]) *universo concilio Lucensis ecclesiae Martinus episcopus salutem* [10]).

Sancti canones qui in partibus orientis ab antiquis patribus constituti sunt, Graeco prius sermone conscripti sunt, postea autem succedenti tempore in Latinam linguam [11]) translati sunt; et quia difficile est ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram, simulque et illud accidit ut in tantis temporibus scriptores aut non intelligentes aut dormitantes multa praetermittant, et propterea in ipsis canonibus [12]) aliqua apud simpliciores videantur obscura: ideoque visum est, ut cum omni diligentia et ea quae per translatores obscurius dicta sunt, et ea quae per scriptores sunt immutata, simplicius et emendatius restaurem [13]), id primum [14]) observans, ut illa quae ad episcopos vel universum pertinent clerum una parte conscripta sint, similiter et quae ad laicos pertinent simul sint adunata, ut de quo capitulo aliquis scire voluerit, possit celerius invenire.

I. *De electione episcopi.*

Non liceat populo electionem facere eorum [15]) qui ad sacerdotium provocantur [16]), sed judicium sit episcoporum, ut ipsi eum qui ordinandus est probent, si in sermone et fide et in spirituali vita edoctus est. (*Laodic.* 12. 13.)

II. *De ordinatione episcopi.*

Episcopum oportet maxime quidem ab omni concilio constitui; sed si hoc aut pro necessitate aut pro longinquitate [17])

---

1) Eundem hunc titulum reperit Mansi in cod. ms. Vaticano Palatino 575, saeculo ut judicat XII. conscripto. *Concilium Martini Papae* appellantur haec capitula in perampla coll. can. ms. Bibl. Colleg. Paris. Soc. Jesu, teste Harduino. — 2) *et* M. — 3) *tituli* deest ap. M. — 4) *aut immutaverat* deest ap. M. — 5) continentur M. — 6) *aliquid* M. (om. verb. *possit etc.*) — 7) Forte *suspiciendo* M. — 8) *Nitigisio* BR. E. 4. T. 1. 2. U. G. *Nitigesio* M. — 9) *Nitigi coëpiscopo et* in m. M. — 10) *salutem* deest ap. M. — 11) *Latina in lingua* M. — 12) *in ipsos canones* M. 13) *restaurarem* M. — 14) *hoc simul* M. — 15) *eorum* deest ap. M. 16) *promoventur* in m. M. — 17) *longitudine* ibid. —

itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur [1]) et omnium praesentium vel absentium subscriptiones teneantur, et sic postea ordinatio fiat. Hujus autem rei potestas in omni provincia ad metropolitanum pertineat [2]). *(Nicaen. 4.)*

III. *De evacuanda ordinatione quae absente metropolitano fuerit facta.*

Non debet ordinari episcopus absque consilio et praesentia metropolitani episcopi, adesse autem oportet omnes qui sunt in provincia sacerdotes, quos per suam debet epistolam convocare; et si quidem omnes occurrerint, melius; si autem hoc difficile fuerit, pluriores [3]) oportet occurrere: qui autem non convenerint [4]) praesentiam sui per suas epistolas faciant, et sic omnium facto consensu ordinationem episcopi fieri oportet [5]). Si autem aliter praeter quod a nobis terminatum est fuerit factum, talem ordinationem nihil praevalere decernimus. Si autem secundum canones ordinatio episcopi fuerit facta et aliquis contra suam malitiam [6]) in aliquo contradixerit, plurimorum consensus obtineat. *(Antioch. 19.)*

IV. *De primatu metropolitani.*

Per singulas provincias oportet episcopum cognoscere primatum metropolitani episcopi et ipsum [7]) curam suscipere, nihil autem agere reliquos episcopos praeter eum, secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone, propter quod [8]) metropolitanus episcopus [9]) nihil sibi praesumptive [10]) assumat absque consilio ceterorum. *(Antioch. 9.)*

V. *De eo qui per ambitionem de inferiori civitate ad majorem transiens vult agere clericatum* [11]).

Si quis in parte alicujus fuerit ambitor [12]) inventus, sive presbyter vel diaconus, de inferiori civitate non transeat ad majorem; quod si quis contra haec magni concilii constituta importunus extiterit, omnimodo evacuetur hujusmodi factum, et suae iterum restauretur ecclesiae, cujus episcopus aut presbyter aut diaconus prius fuerat constitutus. *(Nicaen. 15.)*

VI. *De non mutanda parochia.*

Episcopum a propria parochia non liceat transire in aliam neque sua sponte introire, neque invitatus neque ab episcopo coactus, sed permaneat in loco in quo a deo est ordinatus, et in ea quam sortivit ecclesia [13]) secundum antiquorum canonum constitutum [14]). *(Antioch. 21.)*

---

1) *eligantur* ibid. — 2) *episcopum* add. M. — 3) *ad pluriores* (*plures* in m.) M. — 4) *venerint* M. — 5) *oporteat* M. — 6) *contra, sua malitia* in t., *cum sua malitia* in m. M. — 7) *ipsum* deest ap. M. — 8) *et* add. M. — 9) *episcopus* deest ap. M. — 10) *nihil praesumptione* in m. M. — 11) *ad majorem transire vult* M. — 12) *ambitiosior* M. — *Si quis particeps alicujus ambitionis* in m. M. — 13) *in eam ... ecclesiam* M. — 14) *antiquum ... institutum* M. —.

VII. *De praesumptione alienae dioecesis.*

Si quis episcopus non per scripta [1]) metropolitani episcopi aut qui cum eo sunt rogatus de alia provincia in aliam venerit, sed praesumptive [2]) irruens ad ordinationem et constitutionem clericorum qui ad illum non pertinent importunus existat, vacua sint et inania omnia quae ab eo fuerint constituta [3]), ipse autem digna [4]) increpatione excommunicetur [5]) et abominetur [6]) a sancto concilio. *(Antioch. 13.)*

VIII. *De non constituendo episcopo successore.*

Episcopum non liceat ante finem vitae alium in loco suo constituere successorem, si quis autem hoc usurpare tentaverit, talis constitutio irrita erit. Non ergo aliter fieri oportet nisi cum consilio et judicatu episcoporum, qui post exitum praecessoris potestatem habent ordinare [7]) quem dignum [8]) elegerint. *(Antioch. 23.)*

IX. *De irruptione vacantis ecclesiae.*

Si quis episcopus vacans in ecclesiam non habentem episcopum subripiens populos [9]) sine concilio integri ordinis irruerit, etiamsi populus quem seduxit desideret illum, alienum eum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem et perfectum concilium dicimus illud, in quo praesens metropolitanus episcopus fuerit. *(Antioch. 16.)*

X. *De episcopo per necessitatem vacante* [10]).

Si quis episcopus ordinatus pro contentione [11]) populi aut pro aliqua alia ratione et non pro sua culpa in parochiam quae ei fuerit data non ierit [12]), hunc oportet honorem sacerdotii [13]) tantummodo contingere et de rebus ecclesiae in qua convenit nihil sibi praesumat; sustineat autem quid [14]) de eo sanctum concilium judicare voluerit. *(Antioch. 18.)*

XI. *De contemptore episcopo.*

Si quis episcopus ab episcopo [15]) ordinatus noluerit [16]) agere sacerdotium neque consenserit in sibi commissa ecclesia ambulare, istum [17]) talem excommunicare [18]) oportet; quod si coactus contempserit, sanctum concilium quod placet de eo determinet [19]). *(Antioch. 17.)*

XII. *De seditioso episcopo.*

Si quis episcopus ordinatus fuerit et non vult ipsam parochiam suscipere in qua nominatus est, sed alibi vult ordinari [20]) et vim facit et seditiones concitat contra eos qui

---

1) *scripturam* in m. M. — 2) *praesumptione* in m. M. — 3) *ordinata* M. — 4) *dignus* in m. M. — 5) *excommunicatione censeatur* M. — 6) *alienetur* in m. M. — 7) *ordinare* deest ap. M. — 8) *successorem* add. in m. M. — 9) *subrepens populo* in m. M. — 10) *vagante* M. — 11) *pro contemptione* in t., *per contemptionem* in m. M. — 12) *in parochia . . . non laesit* M. — *non egerit* Cod. Vatic. (vide pag. 43, not. 1.) — 13) *sacerdotum* M. — 14) *de rebus ecclesiae convenit in quam sibi nihil praesumat, sustineatur (sustentetur) aut quid* Vatic. — 15) *episcopis* M. — 16) *noluit* M. — 17) *statim* Æ. et M. — 18) *excommunicari* M. — 19) *de eodem terminet* M. — 20) *ordinare* M. —

illum ordinaverunt, hunc ab honore oportet removeri. Si autem in pristino honore presbyterii vult stare, non vetetur [1]) ut gradum quem habuit retineat; quod si reluctatus fuerit, etiam de honore presbyterii [2]) ab ordinatore [3]) proprio deponatur. *(Ancyr. 18.)*

XIII. *De dissensione* [4]) *judicii.*

Si quis episcopus in aliquibus causationibus [5]) judicatur, et viderit ipsos episcopos qui in provincia [6]) sunt inter se judicio [7]) discrepare, ut alii videantur eum qui judicatur justificare aliique [8]) condemnare, pro definitione hujus dissensionis hoc placuit sancto concilio, ut de vicina provincia alter metropolitanus episcopus convocetur, ut per eum confirmetur, quod secundum rectum placuerit canonem [9]). *(Antioch. 14.)*

XIV. *De praesumptione episcopi in rebus ecclesiae.*

Si quis episcopus nulla ecclesiasticae rationis necessitate compulsus inscio [10]) clero aut ubi forte non est presbyter de rebus ecclesiasticis aliquid praesumpserit vendere, res ipsas ecclesiae propriae cujus sunt [11]) restaurare cogatur, et in judicio episcoporum dejiciatur auditus [12]) et tanquam furti aut latrocinii reus a suo privetur honore. *(Carth. IV., 32. V., 4.)*

XV. *De rebus ecclesiasticis gubernandis.*

Quae sunt ecclesiae debent ecclesiae [13]) conservari cum omni diligentia et bona conscientia et fide dei qui omnia videt et judicat. Gubernari ergo oportet cum judicio et potestate episcopi, cui etiam omnis populus et congregatio commissa est animarum. Manifesta autem esse debent quae ad ecclesiam pertinent in conscientia eorum qui circa episcopos sunt et [14]) presbyteres et diacones, ut hi omnes sciant quae sunt ecclesiae propria, ut si [15]) episcopo contigerit transitus, nihil eos latere possit ex his quae ad ecclesiam pertinent, ut nullo modo possint minui et perire. Neque res propriae episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesiae pati; dignum et [16]) revera et justum est apud deum et homines, ut ea quae episcopi propria sunt, cui voluerit derelinquat, et neque ecclesiam perpeti damnum neque episcopum pro rebus ecclesiae condemnari, aut post ejus obitum in causas quae ad eum non pertinent, aut in maledictum incidere [17]). *(Antioch. 24. 4.)*

---

1) *vitetur* M. — 2) *de honore presbyteri* in t., *ab honore presbyterii* in m. M. — 3) *ab honore* M. — 4) *dissensionibus* in m. M. — 5) *causationibus* deest ap. M., *accusationibus* BR. T. 1. 2. — 6) *sua* add. in m. M. — 7) *in judicio* M. — 8) *alii* M. — 9) *canonem* deest ap. M. nec vero in Vatic. — 10) *in suo* in m. M. — 11) *cujus sunt* om. a M. — 12) *et convictus* add. in m. M. — 13) *debent ecclesiae* om. a M. — 14) *et* om. a M. et in cod. Vatic. in quo scribitur: *presbyteri et diaconi.* — 15) *aut* Vatic., *hi* M. — 16) *et* om. a M. — 17) *ne post ejus obitum in causas incidat qui ad eum [non] pertinent, nec ipsum maledictum incidere videatur* in m. M. —

XVI. *De rebus ecclesiae dispensandis.*

Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesiae ut dispenset necessitatem habentibus. Cum omni reverentia et timore dei participare [1]) eum oportet quae necessaria sunt; si tamen ipse aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquo [2]), necessitatem nullo modo patiantur secundum sanctum apostolum dicentem: *Victu et tegumento, his contenti sumus* [3]). Si autem res ecclesiasticas episcopus [4]) in suas voluntates usurpare voluerit et lucra [5]) ecclesiae vel fructus agrorum non cum presbyterorum vel diaconorum consilio intaminaverit [6]), aut fratribus vel filiis vel quibuscumque propinquis suis dederit potestatem, ut per eos latenter res laedantur ecclesiae, hunc oportet obnoxium [4]) esse concilio. Similiter id si [7]) episcopus vel qui cum eo sunt presbyteri aut diacones accusentur, qui ea quae [8]) ex reditu vel ex quolibet actu veniunt ecclesiae in suos sinus [9]) colligunt et pauperes fraudant et fame conficiunt [10]), hos corripi oportet secundum quod ordinatum fuerit a sancto concilio. (*Antioch.* 25.)

XVII. *De his qui ex vasis ministerii* [11]) *ecclesiae aliquid vendiderint.*

Si quis presbyter aut diaconus inventus fuerit aliquid de ministeriis [12]) ecclesiae venumdasse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non habere [13]); in judicio tamen episcopi dimittendum est [14]), sive dignus sit sive indignus, in suo recipi [15]) gradu, quia multoties [16]) pro hoc ipso quod de sacrosancto altario intaminaverint, id cum episcopi potestate dimissum est. (*Ancyran.* 15.)

XVIII. *De synodo facienda.*

Propter ecclesiasticas curas et altercationum solutiones bene placuit per singulas provincias bis in anno concilium fieri, vocante [17]) metropolitano episcopo omnes provinciae episcopos, ita ut in his conciliis procedant [18]) omnes presbyteri, diacones vel hi qui in concilio eorum [19]) causae examinatae ad justum judicium perducantur [20]); ut si qui [21]) manifeste episcopi vel presbyteri aut diacones inventi fuerint in offensa, secundum rationem excommunicentur quamdiu communi consensu mitiorem [22]) de his placuit dari [23]) sententiam.

---

1) *etiam* add. M. — 2) *aliquid ut* M. — 3) *simus* in m. M. — 1 Tim. 6, 8. — 4) *episcopi . . voluerint . . intaminaverint . . dederint . . hos oportet obnoxios* M. — 5) *loca* in m. M. — 6) *contaminaverit* ibid. — 7) *Sin autem* ibid. — 8) *accus. ut quae* M. — 9) *in suo sinu* M. — 10) *conficiuntur* M. — 11) *qui de ministerio* M. 12) Ita Vatican., *de vasis (eleemosynis* in m.) *ministerii* M. — 13) *haberi* M. — 14) *esse* M. — 15) *ut debeat* add. in m. M. — 16) *quia simul toties* M. — 17) *convocante* Æ. BR. T. 1. 2., et M. — 18) *prodeant* M. *praecedant* Vatic. — 19) *hi quorum in concilio* M. cf. not. 21. 20) *prodantur* M. — 21) *et qui* M. — *vel hi qui conciliorum causas examinantes ad justum judicium perducantur et sic qui* Vatican. — 22) *mitiorem* deest ap. M. — 23) *dare* M. —

Nulli autem episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere praeter eos quibus sunt metropoles [1]) creditae [2]).

(*Antioch. 20.*)

XIX. *De episcopo qui noluerit [3]) venire ad synodum.*

Non liceat ad concilium convocatos episcopos contemnere [4]), sed ire, et ea quae ad utilitatem ecclesiae vel ceterorum pertinent aut docere si novit, aut doceri si nescit: nam si extra aegritudinem contempserit ire, reus erit fraterni concilii.

(*Laodic. 40.*)

XX. *De legitima aetate ordinandi presbyteri [5]).*

Si quis triginta aetatis suae non impleverit annos nullo modo presbyter ordinetur etsi valde [6]) sit dignus, quia ipse dominus tricesimo anno baptizatus est et sic coepit docere. Oportet ergo eum qui ordinandus est usque ad hanc aetatem legitimam conservari [7]). (*Neocaesar. 11.*)

XXI. *De eunuchis qui ab aliis fiunt vel qui ipsi sibi naturalia abscindunt.*

Si quis pro casu suae [8]) aegritudinis naturalia a medicis habuerit secta, similiter et qui a barbaris aut hominibus [9]) stultis fuerint castrati, et moribus digni fuerint visi, hos canon admittit ad clericatus officium promoveri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis et abstinentiae, sed per abscisionem plasmati a deo corporis, aestimans [10]) posse a se carnales concupiscentias amputari, castraverit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium. Quod si jam ante fuerat [11]) promotus ad clericum [12]), prohibitus a suo ministerio deponatur. (*Nicaen. 1.*)

XXII. *De neophytis.*

Neophytus qui nuper [13]) baptizatus fuerit [14]) jam aetate legitima, non continuo liceat eum [14]) ad ecclesiasticum ordinem promoveri, quia oportet illum prius doceri quod possit docere, et multo tempore post baptismum probari [15]), ut bene probatus veniat ad clerum secundum praeceptum apostoli dicentis; *Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in judicium incidat et laqueum diaboli* [16]). Si autem [17]) succedenti tempore in aliquo peccato gravi a duobus vel tribus fuerit devictus [18]), depositus de gradu suo cesset a clero. Si quis contra hanc regulam facere praesumpserit, quasi contrarius magni concilii projiciatur a clero. (*Nicaen. 2.*)

---

1) *eos qui sunt metropolis* M. — 2) *metropolis crediti* Vatic. — 3) *distulerit* in m. M. — 4) *contemnere* in m. M. — *Ad concilium convocatus episcopus non debet contemnere* Vatican. — 5) *presbyteros* M. — 6) *laude* in m. M. — 7) *reservari* ibid. — 8) *pro causa* (om. voce *suae*) M. — 9) *aut a dominis* Æ. BR. T. 1. 2. U., et M. — 10) *existimans* M. — 11) *fuerit* in m. M. — 12) *clerum* Æ. BR. T. 1. 2. U. G., et M. — 13) *Neophytus si* Vatic. — 14) *Qui nuper baptizati fuerint . . . eos* (om. voce *Neophyt.*) M. — 15) Ita Vatican. — *quo multo tempore baptismum possit probare* M. — 16) 1 Tim. 3, 6. 17) *autem* deest ap. M. — 18) *testibus fuerit convictus* M. —

XXIII. *De poenitente non admittendo ad clerum.*

Poenitens[1]), tantum si necessitas aut usus exegerit, inter ostiarios prius deputetur vel inter lectores, ita ut evangelia vel apostolum[2]) non legat. Si qui autem ante ordinati sunt, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant aut sacra non contingant: ex poenitente enim[3]) dicimus de eo qui[4]) post baptismum pro homicidio aut pro diversis criminibus aut gravissimis peccatis publicam poenitentiam sub cilicio[5]) gerens divino fuerit reconciliatus altario. *(Tolet. I., 2.)*

XXIV. *De his qui sine discussione[6]) aut presbyteri aut diacones ordinati sunt.*

Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt, aut certe cum discuterentur criminosa peccata sua celaverunt[7]), et post ordinationem ab aliis sunt detecti, abjiciantur a clero. Similiter et de universo ordine cleri servetur; nam hoc sibi quod irreprehensibile est sancta et catholica defendet[8]) ecclesia. *(Nicaen. 9.)*

XXV. *De presbyteris vel[9]) diaconibus qui post ordinationem denotantur.*

Si quis presbyter ante ordinationem peccaverit et post ordinationem confessus fuerit quia ante[10]) erravit, non offerat, sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus, sed ab alio publice fuerit convictus, nec ad hoc ipsum[11]) habeat potestatem, ut nomen presbyteri portet. Similiter et de diaconibus observandum est, ut si ipse confessus fuerit ordinem subdiaconatus accipiat. *(Neocaesar. 9. 10.)*

XXVI. *De his qui viduas aut dimissas ducunt[12]) aut in malis consiliis mixti sunt.*

Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clerum, aut si obrepsit dejiciatur[13]). Similiter si homicidii aut facto vel[14]) praecepto aut consilio aut assensione[15]) post baptismum conscius fuerit, et per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, dejiciatur et in fine[16]) vitae suae communionem recipiat[17]). *(Apostolor. 17.)*

XXVII. *De fornicatoribus clericis.*

Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut moechatus, projiciatur et agat poenitentiam. *(Neocaesar. 1.)*

---

1) *Expoenitens* in m. M. — 2) *epistolam* M., nec vero Vatic. — 3) *expoenitentem vero* in m. M. — 4) *ideo quod* M. — 5) *sub cilicio* deest ap. M. — 6) *qui indiscussi* in m. M. — 7) *confessi sunt,* alias legebatur *confessi non sunt* in m. M. — *celaverunt* deest in Vatican. — 8) *defendit* M. — 9) *aut* M. — 10) *qui antea* M. — 11) *nec hoc ipso* Vatic. Desunt haec verba: *Si autem non ipse — presbyteri portet,* ap. M. — 12) Sequentia tituli verba desunt ap. M. — 13) *obrepserit rejiciatur* M. — 14) *aut* M. — 15) *dissentione* Vatic. — *defensione* est apud Gratianum, verum Gregoriana nota videtur probare hanc lectionem. Mansi. — 16) *in finem* M. — 17) *non recipiat* M., nec vero Vatic.

XXVIII. *De his quorum uxores moechantur.*

Si alicujus [1] uxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicujus clerici uxor adultera [2] fuerit, dimittat eam: sin autem cum ipsa voluerit permanere, a ministerio alienus sit. *(Neocaesar. 8.)*

XXIX. *De viduis clericorum.*

Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa [3] cum ea convivium sumat; nunquam communicet; morienti [4] tantum [5] ei sacramentum subveniat [6]. *(Tolet. I., 18.)*

XXX. *De filia episcopi vel presbyteri sive diaconi* [7].

Si [8] devota fuerit et maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communione habeantur alieni: pater vero causas in concilio se noverit praestaturum; mulier vero non admittatur ad communionem, nisi marito defuncto egerit poenitentiam; sin autem vivente eo secesserit et egerit poenitentiam [9] vel petierit communionem, in ultimo [10] vitae deficiens accipiat communionem [11]. *(Tolet. I., 19.)*

XXXI. *De devota peccante vel quae se maritaverit.*

Devotam peccantem non recipiendam in ecclesia, nisi peccare desierit et desinens egerit aptam poenitentiam decem annis et recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianae mulieris accedat; quod si admissa fuerit, etiam haec quae eam [12] receperit habeatur abstenta; corruptorem etiam par poena constringat. Quae autem maritum acceperit non admittatur ad poenitentiam, nisi adhuc vivente ipso marito caste vixerit, aut postquam [13] ipse de hac vita discesserit. *(Tolet. I., 16.)*

XXXII. *De subintroductis adoptivis mulieribus.*

Nullus episcopus neque presbyter neque diaconus neque omnino aliquis ex clero licentiam habeat intromittendi ad se quasi adoptivam aliquam mulierem, quasi in loco filiae aut sororis [14] aut matris, nisi forte sororem veram ex germanitate aut sororem patris aut matris [15] et illas solas personas quae ab omni mala suspicione alienae sunt. Similiter et religiosis foeminis laicorum alienorum familiaritatem et consortium prohibemus, et eorum qui nec in dei timore subjecti sunt nec retinent continentiae disciplinam. *(Nicaen. 3.)*

---

1) *latet* add. M., nec vero Vatic. — 2) *adulterata* BR. E. 4. T. 1. 2. 3) *persona* add. in m. M. — 4) *morienti* deest ap. M., nec vero in Vatic. — 5) *tamen* in m. M. — 6) *sacramenta subveniant* Codd. Hisp. (praeter A.), et M. — 7) *quae fuerit devota et peccaverit* (om. verb. *sive diaconi*) M. — 8) *deo* add. in m. M. — 9) *et poenituerit* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2. U. — 10) *fine* add. in m. M. — 11) *communionem* deest ap. M., qui commatis interpunctionem post verbum *petierit* locavit. — 12) *ea quae illam* M. — 13) *post* M., nec vero Vatic. — 14) *aut sororis* om. a M., *in loco aut matris aut sororis* Vatic. — 15) *vel matris vel patris* M.

XXXIII. *De non recipiendis clericis vagis et infirmanda ordinatione ejus, qui sine consensu episcopi sui ab alio episcopo ordinatus est.*

Si quis in contemptu positus presbyter vel diaconus vel quicumque ex clero recesserit ab ecclesia sua, nullo modo in alia suscipiatur [1]) ecclesia, sed omnimodo compellatur ut ad suam revertatur ecclesiam. Si autem permanserit in superbia et reverti noluerit, excommunicetur et projiciatur. Si quis autem episcopus ausus fuerit illum in suam ecclesiam [2]) ordinare, non consentiente episcopo suo a quo recessit, ordinatio ejus vacua deputetur. (*Nicaen. 16.*)

XXXIV. *De clericis desertoribus.*

Si quis presbyter aut diaconus aut aliquis de clero propriam ecclesiam derelinquens ad alteram ecclesiam vadit et ibi multo tempore demoratur, omnino nunquam ministret in clero; et si admonuerit eum episcopus suus ut ad suam redeat parochiam, et redire noluerit, ubi est ibi de suo officio deponatur, ita ut nunquam in suum revertatur gradum [3]) propter dissolutionis peccatum. Si autem episcopus alter illum susceperit qui de reatu ejus est conscius, oportet ipsum episcopum sine increpatione in communi concilio non admitti, ut ecclesiasticum canonem ultra non solvat. (*Antioch. 3.*)

XXXV. *De importunis clericis.*

Si quis episcopus, presbyter aut diaconus excommunicatus in concilio injuste se queritur condemnatum, ad majus [4]) episcoporum concilium revertatur et eorum inquisitionem et judicium expectans, si quas se causas justas habere putat, exponat. Si autem contempserit et importunans [5]) se palatio aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit pervenire neque spem futurae reconciliationis habebit. (*Antioch. 12.*)

XXXVI. *De purganda opinione haeresis.*

Si quis episcopus sive alicujus episcopi presbyter aut diaconus in alicujus haeresis opinionem offenderit et ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus eum in communionem recipiat, nisi prius in communi concilio porrecto fidei suae libello satisfaciat omnibus, et ita liberam teneat suam purgationem. Hoc idem et de fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam haeresis opinionem [6]) fuerint nominati. (*Nicaen. 8.*)

XXXVII. *De clericis excommunicatis.*

Si quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit sive presbyter sive diaconus, et post excommunicationem praesumpserit sive episcopus ille aut presbyter vel diaconus [7]) facere oblationem vel matutinum aut [8]) vespertinum sacrificium

---

1) *in aliena recipiatur* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2. — 2) *fuerit in sua ecclesia* M. — 3) *in suo .. gradu* M. — 4) *majorem* Coll. Hisp. *majorum* Just., *majorem episc. synodum* Gratian. — 5) *importans* M., al. *importunus palatio.* — 6) *in aliqua ... opinione* in m. M. — 7) Verba: *et post excommunicationem* sqq. desunt ap. M. — 8) *vel* M.

quasi in officio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio [1] concilio spem reconciliationis habere nec ultra recolligi [2]; sed etiam eos qui ei communicaverint omnes ab ecclesia respui, maxime eos qui sciebant eum esse dejectum [3]. Si autem permanserit turbans et concitans ecclesiam per forasticam [4] potestatem, oportet eum sicut seditionarium ab omni plebe expelli. *(Antioch. 4. 5.)*

XXXVIII. *De presbyteris ut in secundas nuptias non vadant.*

Presbyterem ad secundas nuptias convivam ire [5] non oportet pro eo [6] quod hi qui ad secundas nuptias veniunt, poenitentiam postulent [7]. Quomodo potest presbyter ille [8] esse, qui propter convivium interest tali conjugio? *(Neocaes. 7.)*

XXXIX. *De his qui ad diaconatum [9] eliguntur.*

Si quis ad ministerium diaconatus eligitur [10], si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio et dixerit non posse in castitate permanere, hic non ordinetur. Quod si in ordinatione tacuerit et ordinatus fuerit et postea matrimonium desideraverit, alienus sit a ministerio et vacet a clero. *(Ancyr. 10.)*

XL. *Non liceat [11] diaconum non jussum [12] sedere [13].*

Non liceat [14] diaconum ante presbyterem sedere nisi cum jussione presbyteri. *(Laodic. 20.)*

XLI. *Non liceat quemlibet ministeria tangere [15].*

Non liceat [14] quemlibet ministeria tangere, nisi subdiacono aut acolytho in secretario [16] tangere vasa domini. *(Bracar. I., 10.)*

XLII. *Ut mulieres in sacrarium [17] non intrent.*

Non liceat mulieres in secretarium [18] ingredi. *(Laodic. 44.)*

XLIII. *Si lector alterius viduam duxerit.*

Lector si viduam alterius uxorem [19] acceperit, in lectoratu [20] permaneat aut si forte necessitas sit subdiaconus fiat, nihil autem supra; similiter et si bigamus fuerit. *(Tolet. I., 3.)*

---

1) *aliquo* E. 4. T. 1. 2. — 2) *reconciliari* in m. M. — 3) *deletum* M. nec vero Vatic. — 4) *forinsecam* Gratianus. Mansi haec verba *per for. pot.* cum sequenti *repelli* conjungit. — 5) *fieri* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2. U., et M. — 6) *propterea* M. *Quod si hi qui ad secundas nuptias veniunt poenitentiam postulant, quomodo presb. etc.* in m. M. 7) *postulant* M. — 8) *ille* deest ap. M. — 9) *diaconum* M. — 10) *Diaconus qui eligitur* in m. M. — 11) *De eo quod non licet* M. — 12) *diaconum ante presbyterum* in m. M. — 13) Hic et sequentes canonum tituli desumpti sunt e Toletanis codicibus, cum desint in A. — 14) *licet* M. — 15) *De eo quod non liceat quemlibet ut ministeria (sacra mysteria,* al. *vasa dominica* in m.) *tangat* M. — 16) *in sacrario* BR. T. 1. 2., *in secretarium* in m. M. — 17) *in sacrario* M. — 18) Ita Vatic., *in sacrario* M. — 19) *in uxorem* in m. M. — 20) *in lectoris statu* in m. M. —

XLIV. *Si subdiaconus secundam duxerit uxorem.*

Si subdiaconus secundam duxerit uxorem inter lectores vel ostiarios habeatur, ita ut apostolum non legat. *(Tolet. I., 4.)*

XLV. *Ut non ascendat in pulpitum lector* [1].

Non liceat in pulpito psallere aut legere, nisi qui a presbytero lectores sunt ordinati [2]. *(Laodic. 15.)*

XLVI. *De conditionalibus* [3] *non ordinandis nisi cum consensu patronorum.*

Si quis obligatus [4] tributo servili vel aliqua conditione patrocinio [5] cujuslibet domus, non est ordinandus clericus, nisi probatae [6] vitae fuerit et patroni concessus [7] accesserit. *(Tolet. I., 10.)*

XLVII. *De non suscipiendis servis alienis in clero* [8].

Si quis servum alienum causa religionis doceat contemnere dominum suum et recedere a servitio ejus, durissime in omnibus arguatur. *(Gangrens. 3.)*

XLVIII. *De non celebrandis natalitiis* [9] *martyrum in quadragesima.*

Non liceat in quadragesima natales martyrum celebrare, sed tantum sabbato et dominico pro commemoratione eorum oblationes offerri; sed nec natalitia nec nuptias liceat in quadragesima celebrari [10]. *(Laodic. 51. 52.)*

XLIX. *Non suscipi debere infantes ad baptismum nisi ante tres septimanas paschae.*

Non liceat ante duas septimanas paschae sed ante tres ad baptismum suscipere aliquem; oportet autem in his [11] diebus ut hi qui baptizandi sunt symbolum discant et quinta feria novissimae septimanae episcopo [12] vel presbytero reddant. *(Laodic. 45. 46.)*

L. *De non solvendo jejunio quinta feria paschae.*

Non liceat quinta [13] feria novissimae septimanae jejunium solvere et omnem exhonorare quadragesimam, sed sincere abstinentes totam quadragesimam perexire [14] aridioribus cibis utentes. *(Laodic. 50.)*

LI. *De chrismate conficiendo* [15].

Omni tempore episcopis liceat chrisma conficere et per suas dioeceses destinare, ita ut ad dirigendum chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem paschae de singulis ecclesiis ad episcopum destinentur. *(Tolet. I., 20.)*

---

1) *nisi lector* M. — 2) *qui ab episcopo lector est ordinatus* M. — *ab episcopo* Æ. BR. T. 1. 2. U. — 3) *De his qui servili conditione obligantur* in m. M. — 4) *est* add. in m. M. — 5) *vel patroc.* M. 6) *probandae* M. — 7) *consensus* E. 3. U., et in m. M. — 8) *in clero* deest ap. M. — 9) *natalibus* M. — 10) *celebrare* M. — 11) *in ipsis* M. — 12) *hoc episcopo* in m. M. — 13) *in quinta* in m. M. — 14) *peragere* in m. M. — Verba: *arid. cib. utentes* desunt ap. M. — 15) *De chrisma conficienda* M. —

LII. *Non liceat presbytero episcopo praesente chrismare.*

Presbyter praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi praeceptum. *(Tolet. I., 20.)*

LIII. *Non*[1] *liceat presbytero ante episcopum in baptisterium introire.*

Non liceat presbytero prius ab[2] episcopo in baptisterium introire, sed cum episcopo, nisi forte aut absens fuerit aut aegrotus. *(Laodic. 56.)*

LIV. *De praegnantibus baptizandis.*

Si qua mulier praegnans desideraverit gratiam baptismi percipere, quando voluerit habeat potestatem; nam nihil in hoc participat mater infanti qui nascitur, propter[3] quod unicuique[4] propria posse voluntas in confessione monstretur. *(Neocaes. 6.)*

LV. *Quid in altari offerri oporteat*[5].

Non oportet aliquid[6] aliud in sanctuario[7] offerri praeter panem et vinum et aquam, quae in typo Christi benedicuntur, quia dum in cruce penderet de corpore ejus sanguis effluxit et aqua. Haec tria unum sunt in Christo Jesu, haec hostia et oblatio dei in odorem suavitatis. *(Carthag. III., 24.)*

LVI. *De presbyteris forasticis.*

Forasticis presbyteris praesente episcopo vel presbytero civitatis offerre non liceat neque ministrare in populo, nisi forte illis absentibus. *(Neocaes. 13.)*

LVII. *De non jejunando in die dominico*[8] *neque genuflectendo, similiter et*[9] *in quinquagesima.*

Si quis presbyter propter publicam poenitentiam a sacerdote acceptam aut aliqua necessitate die dominica pro quadam religione jejunaverit sicut Manichaei, anathema sit. Similiter et quod ab apostolis traditum canon tenet antiquus, placuit tam per omnes dominicas quam per omnes dies paschae usque ad quinquagesimam non prostrati neque humiliati sed erecto vultu ad dominum orationum fungamur officio; quia in ipsis[10] diebus gaudium resurrectionis domini celebramus. *(Gangr. 18. Nic. 20.)*

LVIII. *De non*[11] *praegustandis carnibus et non execrandis.*

Si quis non pro abstinentiae disciplina[12] sed pro execratione ab esca carnium[13] se abstinet, placuit sancto concilio ut praegustet, et si sic vult, abstineat; si autem spernit ita ut olera cocta cum carnibus non degustet, iste non obediens nec suspicionem haeresis a se removens deponatur de ordine clericatus. *(Ancyr. 14.)*

---

1) *Quod non* M. — 2) *ab* om. in m. M. — 3) *propterea* M. — 4) *unicuscujusque* in m. M. — 5) *Qui in altario offerre oportet* M. — 6) *aliquid* deest ap. M. — 7) *in sacro altario* Vatican. — 8) *dominica* M. — 9) *ut* M. — 10) *his* M. — 11) *non* deest ap. M. 12) *pro abstinentia* M. — 13) *pro execratione escarum* M. —

LIX. *De eo quod non liceat* [1]) *sacerdotibus vel clericis incantaturas vel ligaturas* [2]) *facere.*

Non liceat clericis incantatores esse et ligaturas facere, quod est colligatio animarum. Si quis haec facit, de ecclesia projiciatur. (*Laod. 36.*)

LX. *Non* [3]) *liceat sacerdotibus vel clericis spectaculis interesse.*

Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel in conviviis [4]) spectare, sed oportet antequam ingrediantur ipsa spectacula, surgere et recedere inde. (*Laodic. 54.*)

LXI. *Non* [3]) *liceat convivia facere de confertis.*

Non liceat sacerdotes vel clericos sed nec religiosos laicos [5]) convivia facere de confertis. (*Laodic. 55.*)

LXII. *De usuris vel negotiorum lucris.*

Si quis oblitus timorem domini et sanctam scripturam quae dicit: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram* [6]), post hanc cognitionem magni concilii foeneraverit et centesimas exegerit aut ex quolibet negotio turpia lucra quaesierit aut per diversas species vini vel frugis vel cujuslibet rei emendo vel vendendo aliqua [7]) incrementa susceperit, depositus de gradu suo alienus habeatur a clero. (*Nicaen. 17.*)

LXIII. *De clericis qui ad matutinum et* [8]) *vespertinum* [9]) *non veniunt* [10]).

Si quis presbyter vel diaconus vel quilibet clericus ecclesiae deputatus, si intra civitatem fuerit aut in quolibet loco in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non convenit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri. (*Tolet. I., 5.*)

LXIV. *Non* [11]) *liceat clericos dominica* [12]) *ab ecclesia absentari.*

Non liceat quemlibet clericum die dominica [12]) ab ecclesia absentem esse, sed missarum solemnibus interesse et jejunio [13]). (*Agathens. 64.*)

LXV. *Non* [11]) *liceat clericos ante horam tertiam prandere* [14]) *nec ad mensam accedere vel recedere sine hymno.*

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos nisi hymno dicto edere panem, et post cibos gratias auctori deo referre. (*Incertae originis*)

---

1) *licet* M. — 2) *incantaturas et contrarias ligaturas* in t., *incantatorias ligaturas* in m. M. — 3) *De eo quod non* M. — 4) *convivio* M. — 5) *sacerdotibus . . clericis . . religiosis laicis* M. — 6) Psalm. 15, 5. — 7) *aliqua* deest ap. M. — 8) *vel* M. — 9) *officium* add. in t., *quotidianum* add. in m. M. — 10) *conveniunt* M. 11) *De eo quod non* M. — 12) *dominico* M. — 13) *et jejunio* deest ap. M., nec vere in Vatican. — 14) Verba seqq. desunt ap. M. —

LXVI. *De attondenda coma clericorum vel habitu ordinato* [1].

Non oportet clericos comam nutrire et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, et secundum Aaron talarem vestem induere, ut sint in habitu ordinato [1]. (*Carthag. IV., 44. 45.*)

LXVII. *Non* [2] *liceat psalmos poeticos in ecclesia dicere nec* [2] *libros apocryphos legere.*

Non oportet psalmos compositos et vulgares in ecclesia dicere, neque libros qui sunt extra canonem legere, nisi solos canonicos novi et veteris testamenti. (*Laodic. 59.*)

LXVIII. *Non liceat super monumenta mortuorum missas tenere* [4].

Non oportet clericos ignaros et [5] praesumptores super monumenta in campo ministeria [6] portare aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia aut in basilica ubi martyrum reliquiae sunt depositae, ibi pro defunctis oblationem offerre. (*Incertae originis.*)

LXIX. [7] *Non liceat Christianis prandia in* [8] *monumenta portare.*

Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre et sacrificia reddere mortuorum deo [9]. (*Incertae originis.*)

LXX. *Non liceat clericis vel* [10] *laicis catholicis ab haereticis eulogias accipere aut cum ipsis vel schismaticis orare.*

Non liceat clericis vel laicis catholicis ab haereticis eulogias accipere, quia maledictiones sunt magis quam benedictiones, neque liceat aut cum haereticis aut schismaticis orare. (*Laodic. 32. 33.*)

LXXI. *Non liceat Christianis observationes diversas attendere* [11].

Si quis paganorum consuetudinem sequens divinos et sortilegos in domo sua introduxerit, quasi ut malum foras mittant aut maleficia inveniant vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis poenitentiam agat [12]. (*Ancyr. 24.*)

LXXII. *Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium, observare lunae aut* [13] *stellarum cursum.*

Non liceat Christianis tenere traditiones gentilium et observare vel colere elementa aut lunae aut stellarum cursum aut inanem signorum fallaciam pro domo facienda vel ad [14] segetes vel arbores plantandas vel conjugia socianda [15],

---

1) *ornato* in m M. — Vide Conc. Barcinon. I. c. 3. — 2) *De eo quod non* M. inde ab hoc can. usque ad 74. — 3) *vel* M. — 4) *missam tenere* in t., *missas teneri* in m. M. — 5) *aut* T. 2. — 6) *mysteria* T. 2., *in campum mysteria* in m. M. — 7) Hic incipiunt *Capitula ad laicos pertinentia* ap. M. — 8) *ad* M. — 9) *et sacrificare de re mortuorum* Æ. BR. T. 1. 2., et M. — 10) *sive* M. — 11) *De his qui sortilegos in domum suam introducunt* in m. M. — 12) *agant* M. — 13) *et* M. — 14) *aut propter* in m. M. — 15) Verba *vel ad segetes etc.* desunt ap. M.

scriptum [1]) est enim: *Omnia quae facitis aut in verbo aut in opere, omnia in nomine domini nostri Jesu Christi facite, gratias agentes deo.* (*Incertae originis.*)

LXXIII. *Non liceat Kalendas observare* [2]).

Non liceat iniquas observationes agere Kalendarum et otiis vacare gentilibus neque lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis haec observatio paganismi est. (*Laodic. 39.*)

LXXIV. *Non liceat medicinales herbas cum aliqua observatione colligere.*

Non liceat [3]) in collectione herbarum, quae medicinales sunt, aliquas observationes aut incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo divino aut oratione dominica, ut tantum deus creator omnium et dominus honoretur. (*Incertae originis.*)

LXXV. *Non liceat mulieres Christianas in lanificiis aliquid* [4]) *observare.*

Non liceat mulieribus Christianis [5]) aliquam vanitatem in suis lanificiis observare, sed dominum [6]) invocent adjutorem qui eis sapientiam texendi donavit. (*Incertae originis.*)

LXXVI. *De adulteris* [7]).

Si cujus uxor adulterium fecerit aut vir in alienam uxorem irruerit, septem annis poenitentiam agant. (*Ancyr. 19.*)

LXXVII. *De mulieribus fornicariis et abortum* [8]) *facientibus.*

Si qua mulier fornicaverit et infantem qui exinde fuerit natus occiderit, et quae studuerit aborsum [9]) facere et quod conceptum est necare, aut [10]) certe ut non concipiat elaborat sive ex adulterio sive ex legitimo conjugio, has tales mulieres [11]) in morte recipere communionem priores canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia sive tales mulieres sive conscias scelerum ipsarum decem annis agere poenitentiam judicamus. (*Ancyr. 21.*)

LXXVIII. *De homicidio voluntario vel non voluntario.*

Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad januam ecclesiae catholicae semper subjaceat et communionem in exitu vitae suae recipiat. Si autem non voluntate [12]) sed casu aliquod homicidium fecerit [13]), prior canon septem annis agi poenitentiam jussit, secundus canon quinque annis mandavit. (*Ancyr. 22.*)

LXXIX. *De muliere quae duos fratres in* [14]) *conjugio vel viro qui duas sorores habet* [15]).

Si qua mulier duos fratres aut si quis vir duas sorores

---

1) *facienda vel segete sua vel arbore plantanda vel conjugia socianda. Post scriptum etc.* Vatican. — Coloss. 3, 17. — 2) *Ne Christiani diem Kalendarum agant* in m. M. — 3) *licet* M. — 4) *vanitatem* in m. M. 5) *mulieres Christianas* M. — 6) *deum* M. — 7) *adulteriis* in m. M. 8) *abortivum* in m. M. — 9) *abortum* Æ. T. 1. 2., et M. — 10) *aut* deest ap. M. — 11) *nec* add. M., deest autem in Vatican. — 12) *voluntarie* M. — 13) *fuerit factum* M. — 14) *in* om. a M. — 15) *habuerit* M. —

habuerit, a communione abstineantur usque ad mortem: in morte [1]) autem eis communio pro misericordia detur. Si vero [2]) supervixerint communione accepta et de infirmitate convaluerint, agant poenitentiam plenam tempore constituto.

(*Neocaes. 2.*)

LXXX. *De his qui nuptiis irruunt* [3]).

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus poenitentiam agat, conversatio autem et fides poenitentis compendiat tempus.

(*Neocaes. 3.*)

LXXXI. *De his qui se animalibus commiscuerunt.*

Si quis ante viginti annos in cujuslibet animalis commixtione [4]) peccaverit, quindecim annis in humilitate subjaceat ad ecclesiae januam, et post hos [5]) alios quinque annos [6]) tantum communione receptus poenitentiam agat, et sic gratiam sacramenti suscipiat. Interrogentur autem alii de eo, qualem vitam in poenitentia egerit et sic communionis misericordiam consequatur. Si quis autem post viginti annos habens uxorem huic peccato irruerit, viginti et [7]) quinque annis [8]) humilitati [9]) subjaceat et quinque annis orationibus tantum communicans postea recipiat sacramentum. Quod si et hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum [10]) in exitu consequatur. Oportet enim tales inter daemoniosos orare [11]).

(*Ancyr. 16.*)

LXXXII. *De his qui usque ad finem vitae in peccatis perdurant et in exitu communionem expetunt* [12]).

Si quis de corpore exiens novissimum et necessarium communionis viaticum expetit, non ei denegetur. Quod si in desperatione positus post perceptam communionem iterum sanus fuerit factus, tantum orationis [13]) particeps sit, nam non accipiet sacramentum [14]) donec constitutum poenitentiae impleat tempus. Qui ergo in exitu mortis sunt et desiderant accipere sacramentum, cum consideratione et probatione episcopi accipere debeant [15]). (*Nicaen. 13.*)

LXXXIII. *De his qui intrantes in ecclesiam per nimiam luxuriam* [16]) *a sacramento se abstinent.*

Si quis intra [17]) ecclesiam dei et sacras scripturas fabulando non [18]) audit et pro luxuria sua avertit se a communione sacramenti et in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinae, istum talem projiciendum de ecclesia ca-

---

1) *in morte* deest ap. M., qui sequentia cum antecedentibus conjungit. 2) *autem* M. — 3) *nuptias iteraverint* in m. M. — 4) *commistionem* M. 5) *post hoc* G. — 6) *aliis quinque annis in orationis* Æ. BR. U., et M. — *aliis quindecim annis* G. — 7) *et* deest ap. M. — 8) *annos* M. 9) *humilitate* in t., *in humilitate* in m. M. — 10) *nec* add. in m. M. — 11) Ita Vatican., *ordinare* M. — 12) *accipiunt* in t., *petunt* in m. M. — 13) *oratione* in m. M. — 14) *sacramentum vero non accipiat* ibid. — 15) *debent* ibid. — 16) *per suam incontinentiam*, al. *propter luxuriam* in m. M. — 17) *intrat* M. — 18) *fabulando* om. in t., *fabulando non* om. in m. M. —

tholica esse decernimus, donec poenitentiam agat et ostendat fructum poenitentiae suae, ut possit communione percepta indulgentiam [1] promereri. (Antioch. 2.)

LXXXIV. *De excommunicatis.*

Non liceat communicare excommunicatis neque in domos eorum introire neque orare cum iis; neque liceat in alia ecclesia suscipere, qui ab alia ecclesia segregatur[2]. Si autem aliquis episcopus aut presbyter aut diaconus aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicaverit, quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam excommunicetur [3]. (Antioch. 2.)

CONCILIUM NARBONENSE [4].

In nomine domini nostri Jesu Christi, anno feliciter quarto regni domini [5] gloriosissimi Reccaredi regis [6], Migetius, Sedatius, Benenatus, Boëtius, Pelagius, Tigridius, Agripinus [7] et Sergis [8], episcopi Galliae provinciae, concilia sanctorum antiquorum patrum vel decreta observare cum dei timore cupientes, nos in urbe Narbona, secundum quod sancta synodus per ordinationem gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis in urbe Toletana finivit [9], die Kalendarum Novembrium [10] deo auspice in unum convenimus, et aliquanta quae juste et pie sunt edita et per patrocinationis potestatem non supplebantur, ad memoriam nunc temporibus domini nostri sub praefationibus deducentes, recapitulare fecimus, et quae pro regula et fidei catholicae disciplina adhuc visa sunt [11], communi tractatu elegimus conscribenda et canonibus definivimus adjungenda, quae tenor capitulorum subsequenter evidenti jure declarat [12].

I.

Hoc regulariter definitum est, ut nullus clericorum vestimenta purpurea induat, quae ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosorum [13] dignitatem, ut sicut est devotio in mente ita et ostendatur in corpore, quia purpura maxime laicorum potestate praeditis debetur, non religiosis: quod quis-

---

1) *communionem percepta indulgentia* M. — 2) *neque liceat ut in alia ecclesia segregentur* M. *neque liceat cum iis in alia ecclesia segregatis* Vatican. — 3) *Finis capitulorum S. Martini Bracarensis episcopi ex orientalium synodis collectorum* add. M. — 4) Deest hoc concilium in reliquis codicibus Hispanis praeter Æ. — 5) *nostri* add. M. — 6) *Narbonae* add. M. — 7) *Agrippinus* M. — 8) *Sergius* M. — 9) *definivit* M. — 10) *Novembris* M. — 11) *sunt* deest ap. M. — 12) *quae tenore . . . declarantur* M. — 13) *religiosam* M. —

que [1]) non observaverit, ut [2]) transgressorem legis coercendum.

II.

Hoc itaque definitum est, ut in psallendi [3]) ordinibus per quemque psalmum Gloria dicatur omnipotenti deo, per majores vero psalmos, prout fuerint, prolixius pausationes fiant et per quamque pausationem Gloria trinitatis domino decantetur.

III.

Nam et hoc secundum priscorum censuram canonum finitum est [4]), ut nullus clericus, subdiaconus, diaconus vel presbyter in plateis resideat; certe nec in plateis stare [5]) et fabulis diversis commisceri; quod si quis facere praesumpserit, repellendum omnino ab officio et execrandum; si non emendaverit et a communione et ab officio privetur.

IV.

Ut omnis homo tam ingenuus quam servus, Gothus, Romanus, Syrus, Graecus vel Judaeus die dominico nullam operam faciant, nec boves jungantur, excepto si immutandi [6]) necessitas incubuerit: quod si quisque [7]) praesumpserit facere, si ingenuus est, det comiti civitatis solidos sex, si servus, centum flagella suscipiat.

V.

Secundum concilium Nicaenum [8]) sanctissimum concinnabula [9]) vel conjurationes non fiant clericorum, quae sub patrocinio solebant fieri laicorum, nec unusquisque de inferiori gradu seniorem sibi elatus aut increpet aut injuriet: quod si quis praetermisso tam justae censurae ordine ausus fuerit facere, districtione saevissima corrigatur, ut sub poenitentiae nomine vita recedente [10]), id est anno uno in monasterio sciat abjicere superbiam unde inflatur, quod est diabolus, et addiscat humiliationem [11]), quia per ipsam mortem gustare dignatus est.

VI.

Secundum concilia priscorum orthodoxorum decrevit fraternitas, ut quicumque fuerit culpabilis inventus clericus, aut honoratus de civitate et ad monasterium fuerit deputatus, sic abbas [12]) qui est praedictus [13]) cum illo qui dirigitur agat, sicut ab episcopo manifesta correctione fuerit ordinatus [14]); aliter si abbas [12]) facere elegerit, pro correctione tempus aliquod suspendatur, quia ob hanc causam dirigitur ut emendet [15]), non ut passim ferculis diversis saturetur.

VII.

Quicumque clericorum a maximo usque ad infra contra sanctae ecclesiae utilitatem agere, tractare vel conari fuerit

---

1) *quod si quis* M. — 2) *velut* M. — 3) *psallendis* M. — 4) *est* om. a M. — 5) *et stare* M. — 6) *in mutando* M. — 7) *quisquam* M. — 8) Conc. Chalcedon. c. 18. — 9) *conciliabula* M. — 10) *vitia recedant* M. — 11) *Christi* add. M. — 12) *abba* M. — 13) *praefectus* M. — 14) *ordinatum* M. — 15) *emendetur* (om. seq. voce *ut*) M. —

repertus, merito dejiciatur quia [1]) fidem servare minime cognoscitur.

VIII.

Quicumque clericus, subdiaconus, diaconus, presbyter sine conscientia episcopi aliquid de possessionibus vel de domo ecclesiae tulerint [2]) aut fraudem fecerint, non solum cum omni dedecore constricti restituant quod fecerunt [2]), sed etiam non debere [3]) ibi in ecclesia esse ubi fraudem visus est operasse: duobus jaceat sub poenitentia annis et dum [4]) defleverit factum, revertatur ad officium.

IX.

Hoc ante omnia decretum est, ut Judaeis non liceat corpus [5]) deducere psallendo, sed ut eorum habuit mos et consuetudo antiqua, corpus deducant et reponant [6]): quod si facere aliter praesumpserint, inferant comiti civitatis auri [7]) uncias sex.

X.

Hoc maxime definitum est, ut nullus audeat clericorum ordinationem sui episcopi contemnere, sed ubi ordinatus fuerit ambulare debeat cum gratia et obedientia, et quae injuncta fuerint agere: quod si sub cothurno superbiae neglexerit implere, non solum stipendio sed anno uno a communione privetur.

XI.

Amodo nulli liceat episcoporum ordinare diaconum aut presbyterum literas ignorantem, sed si qui ordinati fuerint, cogantur discere. Qui vero diaconus aut presbyter fuerit literis ineruditus et desidiose legere vel implere officium distulerit et in ecclesia paratus [8]) ad omnia non fuerit, a stipendio rejiciendum et inclinandum quoad usque curvatus impleat et defendat quod esse cognoscitur, aut quid erit in ecclesia dei; si non fuerit ad legendum exercitatus [9]) et si perseveraverit desidiose et non vult proficere, mittatur in monasterium, quia non potest nisi legendo [10]) aedificare populum.

XII.

Haec maxime pro dei timore et modo disciplinae canonicae elegimus custodienda vel tenenda, ut dum missa celebratur nullus presbyter aut diaconus absque aliqua infirmitate, dum missa perficiatur, egredi de altario audeat, nec diaconus aut subdiaconus certe vel lector, antequam missa consummetur alba se non [11]) praesumat exuere: quod si quisque [12]) non impleverit constituta [13]), presbyteri increpentur ut redeant, diaconos et execrandos et stipendio privandos, reliquos districtione certissima condemnandos.

---

1) *qui* M. — 2) *tulerit . . . fecerit . . . constrictus restituat quod fecerit* M. — 3) *debet* M. — 4) *cum* M. — 5) *defuncti* add. M. — 6) *deponant* M. — 7) *auri* deest ap. M. — 8) *utilis* M. — 9) *Ad quid erit in ecclesia dei si non fuerit ad legendum exercitatus?* M. — 10) *nisi leg.* deest ap. M. — 11) *non* deest ap. M. — 12) *quisquam* M. 13) *constitutum* M. —

XIII.

Hoc regulariter secundum priorum statuta canonum finitum est, ut tam subdiaconus quam ostiarius vel [1]) reliqui servitium sanctae ecclesiae consuetum absque ulla desidia impleant et senioribus vela ad ostia sublevent: qui contempserint facere et adimplere, subdiaconos verbis corripiendos, et si non emendaverint a [2]) stipendio privandos, reliquos flagris coercendos.

XIV.

Hoc itaque propter ampliandam fidei catholicae disciplinam elegimus finiendum [3]) vel tenendum, ut si qui viri ac mulieres divinatores, quos dicunt esse caragios atque sorticularios, in cujuscumque domo Gothi, Romani, Syri, Graeci vel Judaei fuerint inventi aut qui [4]) ausus fuerit amodo in eorum vana carmina interrogare, et non publice hoc voluerit annuntiare, pro hoc quod praesumpsit non solum ab ecclesia suspendatur, sed etiam sex auri uncias comiti civitatis inferat. Illi vero qui tali iniquitate repleti sunt et sortes et divinationes faciunt et populum praevaricando seducunt, ubi inventi vel inventae fuerint, seu liberi seu servi vel ancillae sint, gravissime publice fustigentur et venumdentur, et pretia ipsorum pauperibus erogentur.

XV.

Ad nos pervenit quosdam de populis catholicae fidei execrabili ritu diem quintam feriam, quae [5]) dicitur Jovis, multos excolere et operationem non facere: quam rem pro dei timore execrantes et blasphemantes, quicumque ab hac die praeter festivitates in eo die venientes ausus vel ausa fuerit vacare et operam non facere, si ingenuus est aut ingenua, de ecclesia repellendus et sub poenitentia mittendus anno uno, et eleemosyna et fletu satisfaciat ut ei dominus ignoscat; si servus aut ancilla fuerit, centenis [6]) flagellis correcti domino consignentur et ultra talia eos observare non permittant.

CONCILIUM HISPALENSE PRIMUM [7]).

Epistola episcoporum ad Pegasium episcopum missa.

Domino [8]) sancto et reverenter a nobis honorando carissimo fratri Pegasio episcopo Leander, Joannes, Agapius, Stephanus, Basilius, Velatus [9]), Sinticius [10]) et Petrus episcopi, qui in

---

1) *et* M. — 2) *a* deest ap. M. — 3) *definiendum* M. — 4) *quis* M. — 5) *qui et* M. — 6) *centenis* deest ap. M. — 7) Collatum nunc primo cum cod. Vatic. Palatino 575. Mansi. — 8) *nostro* add. Vatic. 9) *Velatius* M. — deest hoc nomen in Vatic. — 10) *Sintitius* M. —

unum in urbe Hispalensi adfuimus, sanctitatem tuam caritatis studio salutantes, precamur dominum qui nos de salute tua vel visione laetificare dignetur.

I. *De mancipiis ecclesiae ab episcopo manumissis.*

Interea considentibus nobis in ecclesia Hispalensi sancta Jerusalem brevem mancipiorum ecclesiae, quos libertasse [1]) visus fuerat decessor tuus sanctae recordationis Gaudentius episcopus, vestri nobis diacones obtulerunt, et non solum quos libertaverat [2]) ibidem relegimus, sed etiam quos proximis suis de familiis ecclesiae donaverat in eodem brevi [3]) recensuimus annotatos [4]). Qua de re canonum constituta [5]) consuluimus si talis libertas aut transactio potuisset esse stabilis. Comperimus autem in canone [6]) ut episcopus qui res proprias, excepto filiis et nepotibus, alteris et non ecclesiae [7]) dimiserit, quidquid de ecclesiae rebus aut donavit aut vendidit aut quoquo modo [8]) ab ecclesia transtulerit [9]), irritum haberetur. Et ideo si res praecessoris tui Gaudentii episcopi ecclesia vestra non possidet, liberi qui ab eo facti sunt non sunt legitime [10]) absoluti liberti: ceterum si res illius in compensationem ecclesiae vestrae deserviunt, illi prorsus maneant liberi; nam si ut dictum est praestitum de suis rebus non fecit, ecclesiae [11]) damnum utique inferre non debuit. Propterea ergo de uno consensu omnes significamus magis humanius quam severius cogitantes, ut hi quos constat tali conditione fuisse liberatos [12]) in jure ecclesiae maneant ut idonei, et peculium suum non aliis personis sed tantum filiis suis derelinquant. Ipsis quoque filiis et nepotibus cum peculio ipsorum quasi idoneis in jure ecclesiae permanentibus in extraneam eis non liceat personam quidpiam transmutare [13]). Sed si quis eorum sine haerede discesserit [14]), peculium eorum sanctae [15]) proficiat ecclesiae.

II. *De mancipiis ecclesiae ab episcopo proximis [16]) suis collatis.*

Ea vero mancipia, quae memoratus episcopus de jure ecclesiae sublata suis proximis contulit, si similia de proprio suo ecclesiae ipsius non compensavit, ecclesia vestra absque aliqua [17]) oppositione recipiat. Hanc formam non solum vestra, hoc est Astigitana [18]), servabit ecclesia, sed et si qui per omnem Baeticam provinciam tali conditione vel sorte de jure ecclesiae commearunt pari sententiae subjacebunt. Durum est

---

1) *quae liberasse* in m. M. — 2) *quae liberaverat* ibid. — 3) *breve* M. 4) *invenimus annotata* in m. M. — 5) *instituta* M. — 6) Capp. Martin. 14-16. Agath. c. 7. — 7) *suae* add. M. — 8) *aut quod commodum* in m. M. — 9) *transtulit* M. — 10) *legitime* deest ap. M. nec vero in Vatic. — 11) *fecit ecclesiae*, M. — 12) *libertos* M. — 13) *transmittere* in m. M. — 14) *sed qui . . . discesserunt* M. — 15) *vestrae* M., nec vero Vatic. — 16) *proximis* deest ap. M. nec vero in Vatic. — 17) *alia* M. — 18) Al. *Accitana*, sed Pegasius *Astigitanus* subscribit in concilio Tolet. III. —

enim atque irreligiosum ut episcopus, qui ecclesiasticis stipendiis vivit et proprietatem suam lucris ecclesiae minime confert, aliorum oblationes a jure ecclesiastico privet.

III. *De clericis cum quibus mulieres cohabitant.*

Inter cetera vero cognoscite a nobis hoc definitum pro abolendis maculis clericorum, quia [1] quidam episcoporum non observantes nuper editum concilii Toletani [2] decretum minus solliciti in subjectis existunt, proinde placuit ut si presbyteres, diacones vel clerici consortia extranearum foeminarum vel ancillarum familiaritatem per sacerdotis sui admonitionem a se minus removerint, in secundis judices easdem mulieres cum voluntate et permissu episcopi comprehensas in suis lucris usurpent, ut vitium hoc, dum sacerdos inhibere non praevalet, potestas judicialis coerceat; dato tamen a [3] judicibus sacramento episcopis ut eas clericis nulla arte restituant; quod si restituerint, ipsi judices sententia excommunicationis feriantur. Mulieres vero illae juxta priores canones [4] a sacerdote [5] distractae [6], pretium earum indigéntibus dispensetur [7].

Quae statuta manu nostra subscripsimus. Data ad sanctitatem vestram die pridie Nonas Novembres [8] anno quinto regni gloriosissimi domini nostri Reccaredi regis era DCXXVIII. [9]

CONCILIUM CAESARAUGUSTANUM SECUNDUM

ANNO SEPTIMO RECAREDI REGIS ERA DCXXX. [10]

I.

Cum in dei nomine in [11] urbem Caesaraugustanam provinciae Tarraconensis ex permissu gloriosi atque sanctissimi principis Recaredi [12] regis in anno septimo regni ejus congregati fuis-

---

1) *clericorum oblationes quas* Vatic. — 2) Tolet. II. c. 3. Tolet. IV. c. 42. — 3) *ab iisdem* M. — 4) Tolet. III. c. 5. IV. c. 42. VIII. c. 5. Carthag. III. c. 17. — 5) *a sacerdotibus* T. 2. — 6) *mulieribus vero illis distractis* in m. M. — 7) Ita Vatic. *distractae in monasterium* [*monasterio* M.] *deo votarum tradantur serviturae* BR. E. 4. T. 1. 2., et M. In A. et reliquis codd. Hisp. deest forte vox: *venundentur et.* — 8) *die primo Nonarum Novembrium* M. — 9) *era 627.* BR. E. 4. T. 1. — 10) Deest hoc concilium in omnibus codicibus Hisp. praeter Æ. ex quo desumptum est. — Mansi hoc concilium ex editione Loaisae repetiit. - Em. de Aguirre hoc idem exhibuit transcriptum e cod. ms. Ant. Augustini archiepiscopi Tarraconensis ex editione Michaelis Cercito episcopi Barbastrensis. — Desunt tituli canonum. — 11) *in* deest ap. M. — 12) *Reccaredi* M. —

semus pro dei timore [1]) tractantes, id placuit sanctae ac venerabili synodo ut presbyteri, qui ex haeresi Ariana ad sanctam catholicam ecclesiam conversi sunt, qui sanctam et puram fidem atque castissimam tenuerint vitam, accepta denuo benedictione presbyteratus [2]) sancte et pure ministrare debeant: ceteri vero qui hanc suprascriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi sint in clero. Ita et [3]) de diaconibus sicut et de presbyteris constitutum est.

II.

Statuit sancta synodus ut reliquiae in quibuscumque locis de Ariana haeresi inventae fuerint, prolatae a sacerdotibus in quorum ecclesiis reperiuntur, pontificibus praesentatae igne probentur; quod si a quibuslibet occultatae fuerint et deteguntur, a sacrosanctae [4]) catholicae ecclesiae coetu segregentur.

III.

Statuit sancta synodus ut episcopi de Ariana haeresi venientes, si quas ecclesias sub nomine catholicae fidei consecraverint, necdum benedictione percepta a catholico sacerdote consecrentur denuo.

Sub die Kalendarum Novembrium [5]) anno quo supra.

CONCILIUM OSCENSE

HABITUM ANNO TERTIO DECIMO REGNI DOMINI NOSTRI GLORIOSISSIMI RECCAREDI REGIS ERA DCXXXVI [6]).

I.

In nomine domini Jesu Christi convenientes omnes in unum concilio Oscensi, hoc synodus sancta fieri elegit, ut annuis vicibus unusquisque nostrum omnes abbates monasteriorum vel presbyteros et diaconos suae dioecesis ad locum ubi episcopus elegerit congregari [7]) praecipiat, et omnibus regulam demonstret ducendi vitas, cunctosque sub ecclesiasticis regulis adesse praemoneat quousque etiam parsimoniae et sobrietatis atque veridicae castimoniae honestorum virorum testimonio fama commendet.

II.

Sollicitum etiam pro hac re unumquemque nostrum esse convenit, ut curiosa indagine perquiramus, si presbyteris et diaconibus atque subdiaconibus et clericis pudica et casta sit

---

1) *amore* M. — 2) *acceptam denuo benedictionem presbyterii* M. — 3) *et* deest ap. Aguirr. — 4) *sacrosancto* Aguirr. — 5) *aera 630.* add. M. — 6) Deest hoc concilium in reliquis codicibus Hisp. praeter Æ. — 7) *congregare* M. —

vita: quod si, quod absit, quidquam malum de quoquam fama dictaverit, per veram et certissimam clericorum probationem vel virorum amanuensium vel certe illarum foeminarum, de quibus fama percurrit, atque etiam diversis argumentis ex quibus adulterorum indicia certissime suspicari [1]) solent, omnia argutissime perquirantur, ut nec per falsitatis obumbrationem quisquam notetur, nec per quasdam excusationes admissum facinus operiatur, dum per publicam probationem [2]) minime reconvinci [3]) garriant, sed probatae vitae se vixisse, honestorum clericorum testimonio clarere demonstrent.

CONCLIUM BARCINONENSE SECUNDUM
ERA DCXXXVII [4]).

Cum duce domino Jesu Christo die Kalendarum Novembrium anno feliciter quarto decimo regni Christianissimi et piissimi domini Reccaredi regis, Tarraconensis provinciae episcopi in urbem Barcinonensem in ecclesia sanctae Crucis fuissent congregati, hoc sancta synodus statuere elegit:

I.

Ut cum ad officia ecclesiastica clerici provehuntur, nihil pro benedictione aut subdiaconii aut diaconii [5]) vel presbyterii collata quidquam vel sub oblationis [6]) nomine a quocumque episcopo vel ab ejus clero inquiratur, illud domini Jesu meminentes edictum quod ait: *Gratis accepistis, gratis date* [7]).

II.

Simili etiam statutum conditione est, ut cum chrisma presbyteris dioecesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur, ne gratia dei pretio benedictionis affecta Simoniacum interitum ementibus vendentibusque associet.

III.

Hoc etiam innovandum custodiendumve in omnibus sancta statuit synodus, ut secundum priscorum canonum constituta vel synodalium epistolas praesulum praemonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines praetermisso canonum praefixo tempore aut per sacra regalia aut per consensionem cleri vel plebis vel per electionem assensionemque pontificum ad summum sacerdotium adspirare vel provehi, sed

---

1) *suspicare* M. — 2) *operationem* M. — 3) *se convinci* M. — 4) Deest hoc concilium in ceteris codd. Hisp. praeter Æ. — Non est in collectione Isidori. M. — 5) *aut diaconii* deest ap. M. — 6) *obligationis* M. — 7) Matth. 10, 8. —

cum per canonum conscripta tempora ecclesiasticos per ordinem spirituali [1]) opere desudando, probatae vitae adminiculo comitante, conscenderit gradus, ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore domino provehatur: ita tamen ut duobus aut tribus quos [2]) consensus cleri et plebis elegerit, metropolitani judicio ejusque coëpiscopis praesentatis, quem sors, praeunte episcoporum jejunio, Christo domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis accumulet. Aliter deinceps quod absit praesumptum, et ordinatores et ordinatos proprii honoris depositio subsequatur.

IV.

Pari etiam consideratione sancientes, ut si qua virgo propria voluntate, abjecta laicali veste, devotarum more induta castitatem servare promiserit, vel si qui hominum utriusque sexus poenitentiae benedictionem expetendo a sacerdote perceperint et ad terrena connubia sponte transierint, aut violenter abstractae foeminae a pudicitiae violatore se sequestrare noluerint, utrique ab ecclesiarum liminibus expulsi ita ab omnium catholicorum communione sint separati, ut nulla prorsus eis vel colloquii consolatio sit relicta.

CONCILIUM EGARENSE [3]).

In nomine domini [4]) Jesu Christi sub die Iduum Januariarum [5]) anno feliciter tertio regni gloriosissimi domini nostri Sisebuti regis convenientes in unum episcopi provinciae Tarraconensis in locum Egara, id sancta instituit synodus, ut constitutio quae dudum in anno tertio decimo regni divae memoriae Reccaredi regis in concilio Oscensi constituta quidem sed minime conscripta fuit, confirmata et [6]) in perpetuum valitura perduret; et omne quidquid ex castimonia presbyterorum et inferius clericorum conscriptum fuit, eadem forma et [7]) de omnibus episcopis sub tali industria solertiaque omnium tempore pepigendo scrutetur, ut auxiliante domino et adminiculante, talis vitae sollicitudinem nulla, quod absit, reprehensionis occasio subripere aliquando praevaleat.

---

1) *speciali* M. — 2) *ante* add. M. — 3) Deest hoc concilium in ceteris codd. Hisp. praeter Æ. — 4) *nostri* add. M. — 5) *sub die Idus Januarias* M. — 6) *sed conscripta minime fuit confirmata, ut* M. — 7) *etiam* M. —

CONCILIUM HISPALENSE SECUNDUM
HABITUM DIE IDUUM NOVEMBRIUM ANNO NONO REGNI GLORIOSISSIMI PRINCIPIS SISEBUTI ERA DCLVII[1].

I. *De Teudulfi*[2] *Malacitanae ecclesiae episcopi querimoniis adversus reliquos episcopos pro quibusdam parochiis.*

In nomine domini et salvatoris nostri Jesu Christi Isidorus, Bisinnus[3], Rufinus, Fulgentius, Cambra, Fidentius, Teudulfus[2] et Honorius episcopi, qui pariter in urbe Hispalensi pro aliquibus ecclesiasticis negotiis coadunati sumus. Considentibus igitur[4] nobis in secretario sacrosanctae Jerusalem Hispalensis ecclesiae cum illustribus viris Sisisclo rectore rerum publicarum atque Suanilane actore[5] rerum fiscalium, stante[6] religiosissimo clericorum coetu, prima actione Teudulfi Malacitanae ecclesiae antistitis ad nos oblata precatio est asserentis antiquam ejusdem urbis parochiam militaris quondam hostilitatis discrimine fuisse descissam[7] et ex parte aliqua ab ecclesiis Astigitanae, Eliberitanae atque Egabrensis[8] urbium esse retentam. Pro qua re placuit ut omnis parochia, quae ab antiqua ditione ante militarem hostilitatem retinuisse ecclesiam suam comprobaret, ejus privilegio restitueretur. Sicut enim per legem mundialem his, quos barbarica feritas captiva necessitate transvexit, postliminio revertentibus redditur antiqua possessio, non aliter et ecclesia receptura parochiam quam ante retinuit cum rebus suis, sive ab aliis ecclesiis possideantur[9] sive in cujuslibet possessionem transfusa sunt[10], non[11] erit objicienda praescriptio temporis ubi necessitas interest hostilitatis.

II. *De querimoniis Fulgentii et Honorii episcoporum*[12] *pro quibusdam parochiis.*

Secundo examine inter memoratos fratres nostros Fulgentium Astigitanum et Honorium Cordubensem episcopos discussio agitata est propter parochiam basilicae, quam[13] horum alter Celticensem[14], alter Reginensem asseruit; et quia inter utrasque partes hactenus limitis actio vindicata[15] est, cujus quamvis vetusta retentio[16] nullum juris praejudicium afferret, ideoque ne in dubium ultra inter eos nostra devocaretur[17])

---

1) *Concilium Spalense cui interfuit Isidorus* in antiqua can. collectione biblioth. colleg. Paris. soc. Jesu. Hard. — 2) *Theodulfi* M. — 3) *Bisinus* M. — 4) *igitur* deest ap. M. — 5) *rectore* A., *auctore* BR. T. 1. 2. — 6) *adstante* T. 2., et M., *instante* T. 1. — 7) *decisam* M. — 8) *Agabrensis* M. — 9) *possideatur* in m. M. — 10) *transfusae sint* in m. M. — 11) *non enim* M. — 12) *episcopi* M. 13) *basilicae cujusdam quod* in m. M. — 14) Ita Æ. BR. E. 3. 4., *Celsitensem* A., *Celesticensem* T. 1. 2., *Alticelsem* U. G. — Al. *Coelestiensem*, *Cestacensem*, *Celcitensem*, *Cellacensem*. — 15) Ita et cod. Lucensis, sed ab altera manu aeque antiqua emendatur *ventilata*. Mansi. 16) *recentio* (sic) Luc. — 17) *advocaretur* M. —

sententia, prolatis canonibus synodalia decreta perlecta sunt, quorum auctoritas praemonet ita oportere inhiberi cupiditatem, ut ne quis terminos alienos usurpet [1]): ob hoc placuit inter alternas partes inspectionis viros mittendos, ita ut si [2]) in dioecesi possidentis sitam [3]) basilicam veteribus signis limes praefixus monstraverit, ecclesiae cujus est justa retentio [4]) sit [2]) aeternum dominium; quod si et limes legitimus eamdem basilicam non concludet sed tam [5]) longi temporis probatur objecta praescriptio, appellatio repetentis [6]) episcopi non valebit, quia illi tricennalis objectio silentium ponit. Hoc enim et saecularium principum edicta praecipiunt et praesulum Romanorum decrevit auctoritas. Sin vero infra metas tricennalis temporis extra alienos terminos basilicae injusta retentio reperitur, repetentis episcopi juri sine mora restituetur.

III. *De desertoribus clericis ut episcopis suis restituantur.*

Tertia definitione ad nos oblata precatio est a reverentissimo [7]) fratre nostro Cambrane Italicensi episcopo pro quodam clerico Spassando [8]), qui deserens ecclesiae suae cultum [9]) in qua dicatus ab infantiae exordiis fuerat, ad ecclesiam Cordubensem se contulit; quem elegimus ut si nihil proponeretur de eo, citra dilatationis objecta proprio reformaretur episcopo. Scribitur enim in lege mundiali de colonis agrorum, ut ubi esse quisque jam coepit ibi perduret. Non aliter et de clericis qui in agro ecclesiae operantur canonum decreto praecipitur nisi ut ibi permaneant ubi coeperunt. Ideoque placuit, ut si quis clericus ministeriis ecclesiae propriae destitutis ad aliam transitum fecerit, compellente ad quem fuerit [10]) sacerdote, ad ecclesiam quam prius incoluerat remittatur. Qui vero eum susceperit nec statim sine ullo nisu exceptionis ad propriam ecclesiam remittendum elegerit, quamdiu eum restituat communione se privatum agnoscat. Desertorem autem clericum cingulo honoris atque ordinis sui exutum aliquo tempore monasterio deligari convenit, sicque postea in ministerium [11]) ecclesiastici ordinis revocari. Nam non poterit in talibus pervagationibus [12]) aboleri licentia, nisi fuerit in iis propter correctionem [13]) disciplinae subsecuta censura.

IV. *De bigamis ad presbyterium vel diaconatum non promovendis.*

Quarta actione nuntiatum est nobis apud Astigitanam ecclesiam quasdam nuper ordinationes illicitas extitisse, ita ut quidam viduarum mariti levitarum ministerio sacrarentur: quos quidem convenit a gradu suscepto in irritum devocari, nec ultra provehi ad diaconii ministerium qui contra divina atque ecclesiastica jura instituti reperiuntur.

---

1) Carthag. II. c. 10. 11. III. c. 20. — 2) *sit* M., om. eadem voce ante verba *aeternum dominium*. — 3) *si tamen* M. — 4) *jus retentionis* Luc. — 5) *et tamen* M. — 6) *praesentis* Luc. et in m. M. — 7) *reverendissimo* M. — 8) *Ispassando* M. — 9) *qui de ecclesiae suae cultu* in m. M. — 10) *fugerit* in m. M. — 11) *ministerio* M. — 12) *propagationis* in m. M. — 13) *correptionem* M.

V. *Ne presbyter diaconum aut presbyterem ordinare praesumat.*

Quinto judicio ad cognitionem nostram Aniani Egabrensis diaconi relatu deductum est [1]) de quibusdam ipsius ecclesiae clericis, quorum dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum oculorum detentus dolore fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse; qui licet propter tantam praesumptionis audaciam poterat accusatus judicio praesenti damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione praeventus; sed quia jam ille examini divino relictus humano judicio accusari non potest, hi qui supersunt et ab eo non consecrationis titulum sed ignominiae potius eloquium [2]) perceperunt, ne sibi licentiam talis ultra usurpatio faciat, decrevimus ut gradu [3]) sacerdotalis vel levitici ordinis, quem perverse adepti sunt, depositi aequo judicio abutantur [4]). Tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti.

VI. *De presbyteris vel diaconibus ab uno episcopo non promovendis.*

Sexta actione comperimus Fragitanum Cordubensis ecclesiae presbyterem a pontifice suo injuste olim dejectum et innocentem exilio condemnatum, quem rursus ordini suo restituentes [5]) id denuo adversus praesumptionem nostram [6]) decrevimus, ut juxta priscorum patrum synodalem sententiam nullus nostrum [7]) sine concilii examine dejiciendum quemlibet presbyterem vel diaconum audeat [8]); nam multi sunt qui indiscussos potestate tyrannica, non auctoritate canonica damnant, et sicut nonnullos gratiae favore sublimant, ita quosdam odio invidiaque permoti humiliant, et ad levem opinionis auram [9]) condemnant quorum crimen non approbant. Episcopus enim presbyteris [10]) ac ministris solus honorem dare potest, auferre solus [11]) non potest. Si enim hi qui in saeculo a dominis suis honorem libertatis adepti sunt in servitutis nexu [12]) non revolvuntur [13]), nisi publice apud praetores [10]) tribunali foro fuerint accusati, quanto magis hi qui divinis altaribus consecrati honore ecclesiastico decorantur? Qui profecto nec ab uno damnari nec uno judicante poterunt honoris sui privilegiis exui, sed praesentati synodali judicio quod canon de illis praeceperit definiri.

---

1) *cognitionem nostri examinis Agabrensis diaconi relatu pervenit* in m. M. 2) *elogium* Æ. BR. E. 4. T. 1. U. G., *eulogium* T. 2. et M. — 3) *ut a gradu* M. — 4) *abjiciantur* in m. M. — 5) *restitutum esse comperimus* in m. M. — 6) *novam*, al. *vestram* in m. M. — 7) *vestrum* in m. M., *virorum* Luc. — 8) *putet* in m. M. — 9) *et levi opinionis aura* in m. M. — 10) *sacerdotibus* Codd. Hisp. (praeter A.), et M. — 11) *solus* deest in Luc. — 12) *nexum* M. — 13) *jugum non revocantur* in m. M. — 14) *ac praesides* add. in BR. E. 4. T. 1. 2. U. G. —

VII. *De his quae prohibentur presbyteris in ecclesiasticis sacramentis.*

Septimo examine relatum est nobis venerantissimum [1]) quondam Agapium Cordubensis sedis [2]) episcopum frequenter presbyteres destinasse [3]) qui absente pontifice altaria erigerent, basilicas consecrarent: quod quidem non est mirum id praecepisse virum ecclesiasticis disciplinis ignarum et statim a saeculari militia in sacerdotale ministerium delegatum. Ergo ne ultra talis a nobis licentia usurpetur, communi sententia statuendum oportuit, scientes quia sicut presbytero [4]) illicita consecratio est altarium [5]), ita et constitutio. In divinis enim literis praecipiente domino solus Moyses in tabernaculo dei erexit altare, solus ipse unxit, utique quia summus sacerdos dei erat, sicut scriptum est de eo [6]): *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus.* Ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses et Aaron tenuerunt, presbyteres qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non praesumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis ministeriorum [7]) communis sit dispensatio, quaedam tamen auctoritate veteris legis [8]), quaedam novellis [9]) ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris, benedictio vel unctio, siquidem nec licere iis ecclesiam vel altarium consecrare nec per impositionem manus fidelibus baptizatis [10]) vel conversis ex haeresibus [11]) paracletum spiritum tradere, nec chrisma conficere nec chrismate baptizatorum frontem signare, sed nec publice quidem in missa quemquam poenitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Haec enim omnia illicita esse presbyteris [12]), quia pontificatus apicem non habent, quod [13]) solis deberi episcopis auctoritate canonum praecipitur, ut per hoc et discretio graduum et dignitatis fastigium summi pontificis demonstretur. Sed neque coram episcopo licere presbyteris in baptisterium introire, neque praesente antistite infantem tingere aut signare, nec poenitentes sine praecepto episcopi sui reconciliare, nec eo praesente sacramentum corporis et sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere vel benedicere aut salutare nec plebem utique exhortari.

VIII. *De superbis ecclesiae libertis ut ad servitium revocentur.*

Octava discussio est agitata de quodam Eliseo [14]) ex familia Egabrensis [15]) ecclesiae, qui ab episcopo suo traditus

---

1) *venerandissimum* M. — 2) *urbis* Æ. BR. E. 4. T. 1. 2. U. G. — 3) *chorepiscopos vel presbyteros destinasse, qui tamen juxta canonem unum sunt* in m. M. — 4) *vel chorepiscopo* add. in m. M. — 5) *altaris* M. 6) *de eo* deest ap. M. — Exod. 40. — Psalm. 99, 6. — 7) *mysteriorum* Æ. BR. E. 3. 4. U. — 8) Verba: *quaedam tamen etc.* desunt ap. M. — 9) *et* add. M. — 10) *baptizandis* in m.M. — 11) *haeresi* M. — 12) *vel chorepiscopis* add. in m. M. — 13) *quem* M. — 14) *Elisseo* M. 15) *Agabrensis* in t., *Agabiniensis* in m. M. —

libertati de libertate confestim ad contumaciae morbum transiliit, sicque per superbiam non solum ejusdem episcopi veneficis [1] artibus salutem laedere voluit, sed etiam patronam ecclesiam libertatis immemor damnavit [2]. Adversus quem ingrati actio canonum ac legum auctoritate juste dirigitur, scilicet ut immeritae libertatis damno mulctatus ad servitii nexum quo natus est revocetur. Talium enim status, qui contra episcopum suum vel patronam ecclesiam nititur [3], decidi potius quam servari [4] convenit, ut quorum libertas perniciosa est, sit salutifera servitus, et qui superbire noverint [5] adepta libertate praediti [6] discant obedire subjecti.

IX. *De oeconomis ne ex laicis constituantur.*

Nona actione didicimus quosdam ex nostro [7] collegio contra mores ecclesiasticos laicos habere in rebus divinis constitutos oeconomos. Proinde pariter tractantes elegimus, ut unusquisque nostrum [8] secundum Chalcedonensium patrum decreta [9] ex proprio clero oeconomum sibi constituat. Indecorum est enim laicum vicarium esse episcopi et saeculares in ecclesia [10] judicare: in uno enim eodemque officio non decet dispar professio. Quod etiam in lege divina prohibetur dicente Moyse: *Non arabis in bove simul et asino* [11], id est homines diversae professionis in officio uno non sociabis. Unde oportet nos et divinis libris et sanctorum patrum obedire praeceptis, constituentes ut hi qui in administrationibus ecclesiae pontificibus sociantur discrepare non debeant nec professione nec habitu: nam cohaerere et conjungi non possunt, quibus et studia et vota diversa sunt. Si quis autem episcopus post haec [12] ecclesiasticam rem aut laicali procuratione [13] administrandam elegerit aut sine testimonio oeconomi gubernandam crediderit [14], vere ut contemptor canonum et fraudator ecclesiasticarum rerum non solum Christo [15] de rebus pauperum judicatur [16] reus, sed etiam et concilio manebit obnoxius.

X. *De monasteriis non convellendis.*

Decima actione poscentibus monasteriorum patribus pari sententia statuimus, ut coenobia nuper condita in provincia Baetica sicut et illa quae sunt antiqua, immobili et inconcussa stabilitate permaneant solidata. Si quis autem, quod absit, nostrum vel nobis succedentium sacerdotum quodlibet monasterium aut vi cupiditatis expoliandum [17] aut simulatione aliqua fraudis convellendum vel dissolvendum tentaverit [18], anathema

---

1) *malis vel insidiosis* in m. M. — 2) *praedamnavit* Codd. Hisp. (praeter A.), et M. — 3) *nituntur* M. — 4) *conservari* Æ. BR. E. 3. 4. T. 1. 2. U., et M. — 5) *noverunt* M. — 6) *proditi*, al. *praedicti* in m. M. — 7) *vestro* in m. M. — 8) *vestrum* in m. M. — 9) Can. 26 (cf. c. 2.). — 10) *et viros ecclesiasticos* in m. M. — 11) *simul* add. M. — Deuter. 22, 10. — 12) *posthac* M. — 13) *per* (al. *ad*) *laicalem procurationem* in m. M. — 14) *si . . non crediderit* ibid. 15) *a Christo* M. — 16) *judicabitur* in m. M. — 17) *spoliandum* M. 18) *tentaverit* deest ap. M. —

effectus maneat a regno dei extraneus, nec proficiat illi bonum fidei vel operis ad salutem qui tanti [1]) et tam salutaris vitae destruxerit tramitem. Super haec [2]) etiam universi Baeticae provinciae episcopi congregati eumdem sacrilegum et [3]) eversorem a communione suspendant, convulsum monasterium cum rebus suis restaurent, ut [4]) quod impie unus subverterit omnes pie reforment.

XI. *De monasteriis virginum ut a monachis tueantur.*

Undecima actione consensu communi decrevimus, ut monasteria virginum in provincia Baetica [5]) condita monachorum administratione ac praesidio gubernentur. Tunc enim salubria Christo dicatis virginibus providemus, quando eis patres spirituales [6]) elegimus quorum non solum gubernaculis tueri sed etiam doctrinis aedificari possint [7]), ea tamen circa monachos cautela [8]) servata ut remoti ab earum peculiaritate [9]) nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiarem [10]) permissum, sed neque abbatem vel eum [11]) qui praeficitur extra eam quae praeest loqui virginibus Christi aliquid, quod ad institutionem morum [12]) pertinet, licebit; nec cum sola quae praeest frequenter eis loqui oportet [13]), sed sub testimonio duarum vel [14]) trium sororum, ita ut rara sit accessio et brevis omnino locutio. Absit enim ut monachos, quod etiam dictu nefas est, Christi virginibus familiares esse velimus, sed juxta quod jussa regularum vel canonum admonent longe discretos atque sejunctos eorum tantum easdem gubernaculis deputamus, constituentes ut unus monachorum probatissimus eligatur, cujus curae sit praedia earum rustica vel urbana [15]) intendere, fabricas exstruere, vel si quid aliud [16]) ad necessitatem monasterii providere, ut Christi famulae pro animarum suarum [17]) tantum utilitate sollicitae solis divinis cultibus vivant, operibus suis inserviant. Sane is qui ab abbate praeponitur, judicio sui episcopi comprobetur. Vestes autem illae iisdem coenobiis [18]) faciant a quibus tuitionem expectant, ab iisdem denuo, ut praedictum est, laborum fructus et procurationis suffragium recepturae. Si qui autem monasteriorum [19]) hanc ordinationem aut contempserint aut qualibet inertiae dissolutione neglexerint, sciant quod eorum tepor [20]) atque superbia excommunicationis sit plectenda censura.

---

1) *tantae* M. — 2) *hoc* M. — 3) *eumdem sacri coetus* BR. T. I. 2. U. G. et M., *eumdem sacrilegum coetusque sui* in m. M. — 4) *et* M. 5) *vel ubique* add. in reliquis codd. Hisp. praeter A. — 6) *patres episcopi tales* M. — 7) *possunt* M. — 8) *disciplinae cautela* M. — 9) *familiaritate* in m. M. — 10) *familiare* M. — 11) *nec abbati nec ei* M. — 12) *vel administrationem earum* add. in m. M. — 13) *sed nec ipse qui praeest cum sola colloqui debet* (om. verbis *abbatem etc.*) in m. M. — 14) *aut* M. — 15) *praediis earum rusticis vel urbanis* in m. M. — 16) *aliud* deest ap. M. — 17) *animae suae* M. — 18) *coenobiis* om. in m. M. — 19) *monachorum* in m. M. — 20) *temeritas* in m. M. —

XII. *De quodam Acephalorum episcopo.*

Duodecima actione ingressus est ad nos quidam ex haeresi Acephalorum, natione Syrus, ut asserit ipse, episcopus, duarum in Christo naturarum proprietatem abnegans et deitatem passibilem asserens: cujus dum nostris sensibus tanti erroris confusio patuisset, prolatis illi de incarnatione domini nostri Jesu Christi testimoniis sanctorumque patrum sententiis recitatis, omni eum deinde [1]) exhortatione ad verae fidei rectitudinem sacerdotali modestia invitavimus. Qui salutaribus monitis pertinaciter [2]) per multos diuturnosque conflictus communionem [3]) renitens, tandem gratia divina edoctus cunctis coram adstantibus haeresim propriam abdicavit, duasque naturas et unam personam in uno eodemque domino nostro Jesu Christo confessus est, credens impassibilem naturam deitatis atque in sola humanitate suscepisse infirmitates passionis [4]) et crucis. Conversus itaque et receptus susceptae fidei confessionem cum stipulatione jurejurando protulit [5]), atque ab omnibus suis erroribus [6]) purgatus apparuit. Talique pro merito gaudentes Christo gratias egimus, quod eumdem post pravitatem haeresis ad rectitudinem fidei divina gratia promovisset, quem optamus ut permanens in fide Christi pure ac devotissime conservetur.

XIII. *De duabus in Christo naturis et una persona.*

Tertia decima id est ultima prosecutione breviter narrandum putavimus ad refutationem eorumdem haereticorum, qui duas naturas Christi post unionem delirantes confudunt et passibilem in eo divinitatis substantiam asserunt; contra quorum blasphemias oportet nos in una persona [7]) Christi geminae naturae proprietatem ostendere, passionemque ejus in sola humanitatis susceptione manifestare, ut si forte aliqui stultorum hujus inscientiae [8]) errore decepti sunt, dum ista legerint resipiscant rectaeque fidei veritatem firmiter teneant. Nam procul dubio multi sunt [9]) qui secundum apostoli vocem *prurientes auribus a veritate quidem* [10]) *auditum avertunt*, *ad fabulas autem convertuntur*. Ergo, sicut immaculata fides et sancta ecclesia dei docet, confitemur dominum nostrum Jesum Christum intemporaliter ex patre deo natum, temporaliter ex utero gloriosae virginis Mariae hominem editum, et ob hoc in una subsistente persona duas naturas habentem, deitatis qua ante saecula genitus est, humanitatis in qua diebus ultimis editus est; in illa secundum formam dei, in ista secundum formam servi consistens; in illa patri manens aequalis, in ista sine peccato similis nostrae conditioni [11]); in illa invisibilis, in ista visibilis; in illa inviolabilis, in ista passibilis; in illa ex qua

---

1) *omni eumdem* in t., *omnium deinde* in m. M. — 2) *pertinacibus*, al. *pertinacius* in m. M. — 3) *communionis conflictus* M. — 4) *passionum* M. — 5) *cum adstipulatione protulit* in m. M. — 6) *suis erroribus* deest ap. M. — 7) *in unam personam* M. — 8) *sententiae* in m. M. — 9) *stultorum* add. T. I. 2., et M. — 2 Tim. 4, 3. 4. — 10) *quidem* deest ap. M. — 11) *conditionis* M. —

mori non potuit, in ista in qua mortem suscepit. Cujus geminae naturae distinctio primum ex literis legis, deinde ex propheticis et evangelicis atque apostolicis depromenda est paginis, ut ea quae asserimus non argumentis sed exemplis scripturarum firmemus.

Lex in una eademque salvatoris nostri [1]) persona sic demonstrat utramque naturam: divinam loquente domino ad Moysem: *Ecce mitto angelum meum qui praecedat te* [2]), *observa eum et audi vocem ejus quia est nomen meum in illo* [3]); humanam loquente eodem domino ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* [4]), id est in carne Christi quae de Abrahae stirpe descendit. Propheta [5]) in psalmis sub una eademque Christi persona sic ostendit utramque naturam: divinam secundum illud: *Ex utero ante luciferum genui te* [6]); humanam secundum hoc: *Et homo factus est in ea et ipse fundavit eam altissimus* [7]); divinam secundum illud: *Eructavit cor meum verbum bonum* [8]); humanam secundum hoc: *Speciosus forma prae filiis hominum* [8]). Prophetia in Proverbiis in una eademque Christi persona sic declarat utramque naturam: divinam secundum illud: *Ante colles genuit me* [9]); humanam secundum hoc: *Dominus creavit me in initio viarum suarum*; divinam secundum illud: *Necdum erant abyssi et ego jam concepta* [10]) *eram*; humanam secundum hoc: *Sapientia aedificavit sibi domum*, corporis utique sui templum in quo filius dei inhabitaret, dum verbum est caro factum. Prophetia in Esaia sub una eademque Christi persona sic demonstrat utramque naturam: deitatis [11]) secundum illud: *Numquid qui alios parere facio ipse non pariam? dicit dominus*; humanitatis [12]) secundum hoc: *Ecce virgo in utero concipiet et pariet filium*; divinitatis [13]) secundum illud: *Rorate coeli desuper et nubes pluant justum*; humanitatis [14]) secundum hoc: *Aperiatur terra et germinet salvatorem et justitia oriatur simul*; humanitatis [15]) secundum hoc: *Parvulus natus est nobis*; divinitatis secundum illud: *Filius datus* [16]) *est nobis*. Parvulus enim Christus ad susceptae humanitatis naturam pertinet quia homo factus est, filius autem datus ad divinitatem [17]) quia dei filius; et ut ostenderet in utraque natura unam esse personam parvulum natum et filium datum [18]), adjecit: *Vocabitur nomen ejus magni consilii angelus, deus fortis, pater futuri saeculi*. In evangelio quoque in uno eodemque Christo divinae naturae significatio est [19]): *Ego et pater unum sumus*; humanae na-

---

1) *Christi Æ.* — 2) In T. 2. recentiori manu duas inter lineas additur: *et custodiat te in via et introducat ad locum quem praeparavi.* — 3) Exod. 23, 20. — 4) Gen. 22, 18. — 5) *prophetia* in m. M. — 6) Ps. 110, 3. — 7) Ps. 87, 5. — 8) Ps. 45, 2. — 9) Cap. 8, 25. — 10) *conceptus* in m. M. — 11) *divinam* in m. M. Jes. 66, 9. — 12) *humanam* in m. M. — Jes. 7, 14. — 13) *divinam* in m. M. — 14) *humanam* in m. M. — Jes. 45, 8. — 15) *Item alibi humanitatis* M. — 16) *natus* in m. M. — Jes. 9, 6. — 17) *ad divinitatis* M. — 18) *personam parvuli nati et filii dati* in t., *per parvulum etc.* in m. M. — 19) *est* om. a M. — Joh. 10, 30.

turae insinuatio: *Pater major me est*[1]); divinae naturae significatio: *Ego sum veritas et vita*[2]); humanae naturae insinuatio: *Tristis est anima mea usque ad mortem*[3]); divinae naturae significatio: *Omnia per ipsum facta sunt*[4]); humanae naturae insinuatio: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, pater*[5]). Paulus quoque apostolus in uno eodemque Christo naturam divinitatis exprimit dum dicit: *Primogenitus omnis creaturae ipse est ante omnes, et omnia in illo constant*[6]); naturam humanitatis declarat dum dicit: *Ipse est caput corporis ecclesiae*[7]); et alibi: *Qui cum in forma dei esset non rapinam arbitratus est esse se aequalem deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*[8]). Per hoc enim quod dixit: *Qui cum in forma dei esset*, naturam in eo divinae majestatis ostendit; pro eo autem quod adjecit: *Formam servi accepit*[9]), naturam in eo humanae humilitatis[10]) significavit. Et iterum: *Cum esset*, inquit, *dives pauper factus est, ut illius inopia nos divites essemus*[11]). Ubi enim dixit: *Cum esset dives*, divinae naturae gloria panditur, et ubi adjecit: *Pauper factus est*, humanae infirmitatis subjectio[12]) demonstratur. In ipso initio apostolici symboli geminae[13]) sic ostenditur in una eademque Christi persona[14]) naturae distinctio: deitatis ex patre dum dicit: *Credo in deum patrem omnipotentem et in Jesum Christum filium ejus unicum, deum et dominum nostrum*; humanitatis ex matre dum adjecit: *Natum de spiritu sancto ex utero Mariae virginis.*

Ecce ex utroque testamento duae naturae in Christo, divinitatis una, altera humanitatis, quae quidem gemina unam fecit personam, quia unus idem[15]) mediator dei et hominum homo Christus Jesus.

Jam vero de passione ejusdem salvatoris nostri et domini Jesu Christi, quam in sola humanitate non in deitate sustinuit, sicut superius, legis et prophetarum auctoritas, evangeliorum quoque et apostolorum praedicatio adhibenda est.

Lex de passione corporis Christi sic dicit: *Lavabit in vino stolam suam et in sanguine uvae pallium suum*[16]). Quid hic pallium, quid stola nisi caro Christi passionis sanguine decorata? Haec enim sola contumelias crucis sustinuit, divinae vero naturae majestas nihil injuriae sentit. Propheta[17]) quoque in psalmis passionem Christi in carne sola esse[18]) sic asserit: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea*[19]); ubi non deitatis sed tantum crucifixi corporis injuria intelligitur. Ibi enim in membrorum significatione sola caro clavis suspensa in ligno atque suffixa pronun-

1) Joh. 14, 28. — 2) Joh. 14, 6. — 3) Matth. 26, 38. — 4) Joh. 1, 3. 5) *patris* in m. M. Deest haec vox in textu M. — Joh. 6, 38. — 6) Coloss. 1, 15. 17. — 7) Col. 1, 18. — 8) Phil. 2, 6. 7. — 9) *accipiens* M. 10) *naturam humanitatis* in m. M. — 11) 2 Cor. 8, 9. — 12) *susceptio* M. 13) *gemina natura* in m. M. — 14) *in uno eodemque Christo* M. — 15) *idemque* M. — 16) Gen. 49, 11. — 17) *Prophetia* M. — 18) *esse* om. a M. — 19) Psalm. 22, 17. 18. —

tiatur, sicut et apud Jeremiam legimus [1]): *Venite, mittamus lignum in panem* [2]) *ejus*, id est crucem in corpore ejus. Neque enim divinitas ligno suspendi potuit, sed sola utique humanitas cruce suffixa pependit; cujus etiam caro tolerantiam mortis perpessa [3]) sic ostenditur alibi dum dicit: *Caro mea requiescit in spe* [4]), utique quia sola in Christo carnis materia mortis fragilitate defuncta spem resurrectionis suae spectabat [5]), etiam sine corruptione receptura dum adjicit: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Salomon autem in Canticis Canticorum passionem carnis Christi sic [6]) praedicat dicens: *Manus*, inquit, *meae distillaverunt myrrham et digiti mei guttam*, ubi specialiter ostenditur in manibus ac digitis solam carnem Christi suffixam stipite, sicut in psalmo centesimo octavo decimo legitur: *Confige clavis timoris tui carnes meas* [7]). Esaias autem Christum in sola humanitate qua [8]) apparuit passionis injuriam suscepisse ita praedixit: *Homo*, inquit, *in plaga* [9]) *et sciens ferre infirmitates, vere languores nostros ipse tulit et dolores nostros ipse portavit.* Quis ipse nisi utique homo? nam pati et deficere in illo natura dei non potuit, sed homo portavit in eo passionem et mortem, in quo et ipsa mors habet conditionem. Nam et cum de eo idem propheta [10]) dixisset: *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* et adjecit: *Quare rubrum est vestimentum tuum et indumentum tuum* [11]) *tanquam calcantium in torculari?* Quid hic per indumentum et vestimentum rubrum voluit ostendere nisi solam carnis Christi passionem crucis infectam cruore? Unde et in ipsa passione chlamyde coccinea Christus induitur, ut imago sanguinis tantum in carne demonstraretur. Jeremias [12]) quoque corpus solum obtulisse Christum passioni sic loquitur: *Non sum*, inquit, *contumax neque contradico, corpus meum dedi percutientibus*; non dixit divinitatem, quae passionem nescit perferre. Et iterum: *Posui scapulas meas ad flagella et maxillas ad palmas*, quod et ipsum ad carnis patientiam non ad deitatis refertur injuriam. Et Zacharias [13]): *Videbunt*, inquit, *in quem confixerunt*; quem alium nisi indubitanter hominem, quem Judaei crucifixerunt, et in carne judicantem videbunt?

Ecce pronuntiata [14]) est passio corporis Christi ex lege et prophetis [15]): transeamus inde ad evangelia. Ibi quaeramus Christum filium dei in sola carne portasse valetudines passionis [16]), injuriam crucis, loquente ipso discipulis [17]): *Ecce*

---

1) *legitur* M. — 2) *pane* M. — Jer. 11, 19. — 3) *passa* M. — 4) Ps. 16, 9. — 5) *expectabat* M. — 6) *sic* deest ap. M. — Cant. 5, 5. 7) Ps. 119, 120. — 8) *quae* M. — 9) *existens* add. in m. M. — Jes. 53, 4. 10) Jes. 63, 1. 2. — 11) Verba: *et indum. tuum* desunt ap. M. — 12) *Jesaias* M. — Jes. 50, 5. 6. — 13) Cap. 12, 10. — 14) *praenunciata* M. 15) Hoc loco additur in m. M.: *cujus quidem fidei veritas est tam efficax, ut eam nec tyranni sua potuerint crudelitate confundere nec haereticorum subdola circumventio pessumdare, nec hypocritarum diminuere fallax simulatio.* — 16) *et* add. M. — 17) Luc. 18, 31—33.

ascendimus Hierosolymam et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis; tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur et postquam flagellaverint occident eum, et die tertia resurget; quod totum in Christo secundum hominem dictum non ad substantiam deitatis sed ad naturam pertinet carnis. Quod etiam in sequentibus docetur, Judaeis dicentibus Christo: *Quod signum ostendis nobis quia haec facis? Et dixit Jesus: Solvite hoc templum et post triduum suscitabo illud. Hoc autem dixit de templo corporis sui* [1]; nam et in passione sua dum corripiens proditorem diceret [2]: *Juda, osculo filium hominis tradis?* quem interrogat tradere proditorem, nisi hominem? quem [3]) et comprehenderunt, non deitatem quam caecati perfidia nec agnoscere potuerunt. Beatus autem apostolus Paulus Christum in homine solo pertulisse crucem sic asseruit [4]: *Ut homo*, inquit, *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis*; qui proinde dicit [5]: *Ut homo*, ut nuncupatione hominis distinctio naturae insinuaretur passibilis. Quod confirmans alias ait: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus? Qui non* [6] *infirmatur, sed potens est* [7] *in vobis; nam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute dei.* Passus est [8] ergo Christus et mortuus, sed ex nostra infirmitate; vivit autem impassibilis et immortalis, sed ex sua virtute, quae tanta est ut in se nec passionem recipiat nec mortem admittat. Petrus quoque apostolorum princeps crucis Christi supplicium sic praedicat in solo corpore consummatum: *Qui peccata*, inquit, *nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae viveremus* [9], *cujus livore sanati sumus*; et paulo post: *Christo igitur passo in carne.* Ergo si Christus in carne est passus, non est secundum Deum, sed secundum hominem crucifixus.

Ecce perpatuit de filio dei quod passus est, quod mortuus est, corporis hoc tantum fuisse, non deitatis; aliena sunt enim [10] ista a deo, testante propheta [11] de illo: *Deus sempiternus, dominus creans fines terrae non laborabit neque deficiet.* Et [12] psalmus [13]: *Tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.* Omnes enim in Christo infirmitates humanitas sola portavit; caro enim habuit vagitus infantiae, non divinitas; caro est pannis involuta, non deitas; caro habuit alimenta, caro portavit aetatum commercia: nam et quod fatigatus est, quod esuriit, quod dormivit, quod flevit, quod passioni proximus tristis fuit, quod postremo ipsam passionem et mortis conditionem sustinuit, totum hoc ad infirmitatem pertinet humanitatis, non ad incomprehensibilem substantiam dei-

---

[1]) Joh. 2, 18. 19. 21. — [2]) Luc. 22, 48. — [3]) *quem* deest in BR. T. 1., et ap. M. — [4]) *asserit* M. — Phil. 2, 8. — [5]) *dixit* M. — [6]) *loquitur? Christus non* in t., *loquitur Christus? Qui in vos non* in m. M. 2 Cor. 13, 3. 4. — [7]) *verbum ejus* add. in A., et in m. M. — [8]) *est* om. a M. — [9]) *vivamus* in m. M. — 1 Petr. 2, 24. 4, 1. — [10]) *enim* deest ap. M. — [11]) Jes. 40, 28. — [12]) *ac* T. 1. 2. — [13]) *psalmista* U. — Ps. 102, 28. —

tatis. Unus est enim Christus deus et homo, verbum et caro, sed unde deus inde habet immortalitatem, unde homo inde pertulit passionem, et unde caro inde mortuus, et unde verbum inde aeternus. Neque enim potest esse deitate passibilis qui est virtute paternae [1]) naturae aequalis: unde et patri derogatur dum natura deitatis in filio passibilis creditur. Nam si una patris et filii substantia est, utique sicut pater ita et filius immortalis est, et si *Ego et pater unum sumus*, sicut in patre non est mors ita nec in dei filio mors; et si verum est: *Omnia quae habet pater mea sunt* [2]), ergo immortalitas patris cum filio est communis. Nam quod ait apostolus de infidelium ignorantia: *Si enim cognovissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent* [3]), non quasi dominus gloriae sit crucifixus, ut natura deitatis videatur esse passibilis, sed quia unus in utraque natura est Christus, secundum assumpti hominis formam dominus gloriae dicitur passus, sicut e contrario illud: *Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo filius hominis* [4]), dum de coelo non descendisset nisi tantum dei filius nondum idem factus hominis filius. Propter personae igitur [5]) unitatem et ad hominem referuntur in Christo quae deo [6]) propria sunt, et divinitati adscribuntur quae hominis sunt; et ideo dum pati et mori non deitatis sed carnis proprium sit, tamen [7]) propter personae unitatem ipse deus et natus ex virgine et passus et mortuus praedicatur, sed infirmitate carnis nostrae, non virtute divinitatis suae. Quod vero idem apostolus ait: *Si enim cum inimici essemus reconciliati sumus deo per mortem filii ejus* [8]), sic hic dicitur filius dei mortuus, sicut dicitur de martyribus passis et mortuis, quorum tamen animae non sunt occisae in corporis passione, ore veritatis testante: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* [9]). Ubi agnosci oportet, si anima martyrum corpore perempto suppliciis extingui non potest [10]), deus qui est conditor animarum quomodo per crucem carnis pati potuit exitium mortis? Quod etiam alibi apertius declaratur, eodem filio dei loquente: *Potestatem habeo ponendi animam meam et potestatem habeo iterum sumendi eam* [11]). Quod si ipsa deitas mortua extitit, quaero: quis animam ipsam resumpsit? stultum est ergo crucis passionem divinae applicare naturae, sed tantum creabili et humanae. Sola enim caro crucis exitium sensit, sola caro lanceam pertulit, sola sanguinem et aquam [12]) manavit, ipsa sola mortua, ipsa sola in sepulcro posita, ipsa sola de sepulcro [13]) tertia die resuscitata, quae etiam glorificata coelos adiit, in qua et venturus est judex [14]) in gloria patris judicaturus vivos et mortuos [15]).

---

1) *gloriae* add. M. — 2) Joh. 16,15. — 3) I Cor. 2,8. — 4) Joh. 3,13. 5) *ergo* M. — 6) *dei* M. — 7) *mori dicitur, non est deitatis sed carnis proprium, sic tamen* M. — 8) Rom. 5,10. — 9) Matth. 10,28. — 10) *animae .. possunt* M. — 11) Joh. 10,18. — 12) *sola caro sanguine et aqua* M. — 13) *de sepulcro* deest ap. M. — 14) *judicar* M. 15) *de vivis ac mortuis* Codd. Hisp. (praeter A.), et M. —

Prolatis igitur [1]) novi ac veteris testamenti testimoniis in quibus duae naturae Christi patefactae sunt in una subsistenti [2]) persona, et in quibus [3]) passio ejus apparuit in homine solo expleta, deinde oportuit sententias subnecti sanctorum patrum qui in sacris literis ingenti gloria fulserunt [4]), ut etiam eorum traditione perpateat, quia dominus noster Jesus Christus ex duabus naturis et una persona subsistit et quia mortem et passionem in sola carne suscepit. Sanctus igitur Hilarius in expositione [5]) epistolae ad Timotheum sic loquitur: Nam et cum dicit scriptura: *Homo Christus*, et cum dicit: *Christus mortuus* [6]), et cum dicit: *Verbum caro factum est*, non expoliandus est [7]) per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Namque [8]) ubi homo Christus est praecedit mediator dei atque hominum, ex deo homo, utrumque unum, et [9]) inter hominem et deum medius confessione in se utriusque naturae. Ubi [10]) Christus mortuus est subjicitur: *Quia* [11]) *resurrexit, qui est in* [12]) *dextera dei;* in morte ejus carnis nostrae infirmitas est, in resurrectione virtus ejus [13]), in consensu [14]) dei dignitas. Sanctus quoque Ambrosius in expositione evangelii secundum Lucam [15]) sic asserit: Non enim suam sed nostram crucem [16]) Christus ascendit, nec mors illa divinitatis sed [17]) hominis fuit. Et paulo post: Etenim Christus omnia et in Christo omnia, licet in singulis Christus operetur, caro tamen moritur ut resurgat. Item idem in eodem libro [18]) exponens inter alia dicit: *Tristis est anima mea*; et alibi: *Nunc anima mea* [19]) *turbata est valde*; non ergo suscipiens, sed suscepta turbatur, anima enim obnoxia passionibus, divinitas libera. Denique [20]) *spiritus promptus, caro autem infirma;* tristis est autem non ipse, sed anima, non est tristis sapientia, non divina substantia, sed anima; suscepit [21]) corpus meum, non me fefellit ut aliud esset et aliud videretur. Sanctus Athanasius in tractatu quem scripsit de Christi nativitate sic dicit: In hoc sit ergo, fratres carissimi, fides nostra, in hoc tota salus et vita consistat ut credamus deum dei filium primum ante omnia saecula a deo patre invisibiliter et impassibiliter [22]) genitum, deinde ex [23]) Maria virgine secundum hominem natum, et secundum hunc hominem passum, mortuum et sepultum resurrexisse ab inferis, ascendisse in coelum. Item idem in expositione de fide [24]), Verbum, inquit, nascitur de

---

1) *ergo* M. — 2) *subsistentes* M. — 3) *in quibus et* M. — 4) *refulserunt* M. — 5) *explicatione* M. — Non extat inter opera Hilarii quae nunc extant. — 6) *est* add. M. — 7) *non est spoliandus* M. — 8) *Nam* M. — 9) *dei atq. hom. ut ex utroque, deo et homine, unus subsistat utique* M. — 10) *vero* add. M. — 11) *Qui* M. 1 Petr. 3, 21. 22. — 12) *in* om. a M. — 13) *virtutis ejus potentia* BR. E. 4.. T. 1. 2. U. G. — 14) *concessu* M. — 15) Libr. 10. c. 99 super Lucae 22. — 16) *carnem* M. — 17) *quasi* add. M. — 18) Cap. 204. super Luc. 23. — 19) Verba: *et alibi: Nunc anima mea* desunt ap. M. — 20) *Etenim* M. — Marc. 14, 38. — 21) *anima quae suscepit* in m. M. — 22) *et impassibiliter* deest ap. M. — 23) *a* M. 24) *expos. fidei* M. —

virgine Maria accipiens corpus animale, sed neque sermo comprehensus est carne, sed in carne et supra carnem, et sicut deus praescius [1], dei virtus, dei veritas; passus autem humana [2], sed sermo dei impassibilis est. In passione quidem moritur homo ut vivificaret protoplastum qui ceciderat per inobedientiam. Sanctus Gregorius scribens ad Celedonium [3] dicit: Naturae enim duae in Christo, deus et homo, non autem duo filii nec dii duo. Item idem in sermone de filio: Uno autem, inquit, capitulo moneo, ut altiora quidem adscribas divinitati et illi naturae quae passionibus et corpore probatur esse superior, humiliora vero [4] humanae naturae attribuas, quae ex parte infirmitatis nostrae assumpta est. Item ipse in quarto libro contra Eunomium: Et ne aliquis incorruptibili naturae deitatis crucem passionis applicet, per alia manifestius talem emendat errorem, mediatorem ipsum dei et hominum et hominem [5] et deum ipsum nominans, ut cum duo de uno [6] dicantur, congruum intelligatur circa utrumque, circa deitatem quidem impassibilitas, circa humanitatem autem dispensatio passionis. Sanctus quoque Basilius in quarto libro contra Eunomium ita scribit: Quid est: *Dominus creavit me et ante omnes colles genuit me* [7]? Ubi intelligendum [8] hoc quod [9] *genuit* de dei filio, hoc autem quod dicit *creavit* de ea parte qua in forma servi est, ut utramque naturam in una persona ostenderet. Sanctus Cyrillus in prima ad Successum epistola dicit: Ego quantum quidem ad intellectum pertinet et ad videndum [10] tantumdem oculis animae, quemadmodum incarnatus est unigenitus, duas naturas esse dicimus, unum autem filium et Christum et deum et dominum verbum [11] incarnatum et hominem factum confitemur. Item in secunda ad eumdem Successum epistola sic ait: Cum unus, inquit, sit et solus filius Christus, idem ipse deus et homo sicut in deitate perfectus ita et in humanitate perfectus; non autem ipsum unigenitum filium dei, secundum quod intelligitur et est deus, passum esse in sua natura [12], sed passum esse terrena natura. Oportet etenim necessario utraque servari uni et vero filio, et non pati secundum deitatem, et dici passum esse eumdem secundum humanitatem; ipsius enim passa est caro. Idem in expositione Levitici inter alia: Totum in his iterum circuminspice salvatoris nostri mysterium et emundationem quae per sanctum baptismum fit; duas enim aviculas sumi jubet [13] vivas et mundas, ut intelligas per volatilia coelestem hominem simul et deum in duas naturas [14], quantum pertinet ad rationem, dividendum unicuique convenientem. Item sanctus Augustinus in Excerptis [15]: Neque enim illa

---

1) *deus dicitur, ita* M. — 2) *carne* add. M. — 3) *Cledonium* M. — Greg. Naz. epp. I. — 4) *autem* M. — 5) *et hominem* deest ap. M. 6) *una* M. — 7) Proverb. 8, 25. — 8) *est* add. M. — 9) *dicit* add. M. 10) *ad fidem* M. — 11) *Christum et dominum, deum verbum* M. — 12) *dicemus* add. M. om. verbis seqq. *sed pass. esse terr. nat.* — 13) *jubetur* M. — 14) *in duabus naturis* M. — 15) *in Excerpt.* deest ap. M.

susceptione alterum eorum in alterum conversum atque mutatum est, nec divinitas quippe in creaturam mutata est ut desisteret esse divinitas, nec creatura in divinitatem ut desisteret esse creatura. Nam si substantia hominis, quod absit credere, in divinitatem conversa est, augmentavit aliquid deitati[1]; sed absit ut augmentum recipiat ineffabilis et incomprehensibilis plenitudo. Manet ergo utraque filii dei natura et una persona. Rursus ipse adversus Maximum: Si ergo attendas distinctiones naturarum, filius dei de coelo descendit, et filius hominis crucifixus est; si unitatem personae, et filius hominis descendit de coelo, et filius dei est crucifixus[2] in terra. Idem in sequentibus: *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis die tertia*[3]; ubi resurgeret[4] nisi in eo quod potuit cadere? Ibi resurrexit ubi[5] mortuus est; quaere mortem in verbo, nunquam esse potuit; quaere mortem in anima, nunquam[6] fuit; quaere mortem in carne, plane ibi fuit, et ideo ibi fuit quia mors vera fuit. Et paulo post: Quid miraris? certe vita est Christus. Quare mortua est vita? nec anima mortua est, nec verbum mortuum est, caro[7] mortua est. Quare? ut in ea mors moreretur. Idem in explanatione[8] Joannis evangelistae: Quis ergo est per quem factus est mundus? Christus Jesus, sed in forma dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? idem ipse Jesus Christus, sed in forma servi. Beatus quoque Leo apostolicae sedis antistes in ea[9] epistola quam scripsit ad Flavianum Constantinopolitanum episcopum sic ait: Salva igitur proprietate utriusque naturae et in unam coëunte personam suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas, et ad resolvendum conditionis nostrae debitum natura inviolabilis naturae est unita passibili, ut quod nostris remediis congruebat, unus atque idem mediator dei et hominum, homo Christus Jesus, et mori posset ex uno, et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est deus, totus in suis, totus in nostris. Et paulo post: Qui manens in forma dei fecit hominem, idem in forma servi factus est homo; tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura, et sicut forma servi dei formam non adimit[10], ita forma dei servi formam non minuit. Item paulo post: Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, verbo scilicet operante quod verbi est, et carne exequente quod carnis est. Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis, et sicut verbum ab aequalitate paternae gloriae non recedit[11], ita caro naturam nostri generis non relinquit[12]. Sanctus quoque Fulgentius in libro quem de incarnatione domini nostri Jesu Christi scripsit, inter alia sic intulit: Dico itaque vobis juxta sanctorum patrum

---

1) *deitatis* M. — 2) Verba: *si unitatem personae etc.* desunt ap. M. 3) Luc. 24, 46. — 4) *resurgit* M. — 5) *ubi resurrexit nisi in eo ubi* M. 6) *ibi* add. M. — 7) *tantum* add. M. — 8) *expositione* M. — 9) *sua* M. — 10) *ademit* M. — 11) *recessit* M. — 12) *reliquit* M.

traditionem dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis et [1] inconfusis, id est divinitatis et humanitatis, una persona sive substantia [2] confiteri. Idem post alia: Si quis igitur [3] in domino nostro Jesu Christo aut duas naturas aut unam noluerit sive dubitaverit credere ac [4] praedicare personam, vel si quis noluerit confiteri eumdem [5] deum atque hominem, id est verbum incarnatum de Maria virgine pro nostra salute veraciter natum, tantum catholica fide reprehenditur [6] ac demonstratur extraneus, ut sacramento redemptionis humanae resistat ingratus. Et paulo post: Verbum ergo caro factum unus et plenus est Christus, unus ex utraque atque in utraque, id est [7] humana divinaque natura, in quo sic utriusque naturae prorsus unitio gloriosa subsistat [8], ut sive divinitati Christi humanitatem quis demat, sive humanitati divinitatem detrahat, Christum sacrilega infidelitate et blasphema praedicatione dissolvat. Item paulo post: Christus pro nobis est carne passus, qui de deo patre solus natus est impassibilis deus. Ipsum itaque Christum filium dei pro nobis mortem carne gustasse salva immortalitate divinitatis ejus veraciter credimus. Et iterum post hoc: Sed [9] quia non est alter deus, alter homo, sed idem unus est Christus deus et homo, profecto idem deus Christus est qui mortem sua [10] carne suscepit, et idem homo Christus est qui mortem sua [10] divinitate destruxit. Idem quippe Christus dei filius qui divinitate mori non potuit, carne mortuus est, quam [11] mortalem deus immortalis accepit; et idem [12] Christus dei filius carne mortuus resurrexit quia immortalitatem suae divinitatis carne mortuus non amisit. Hinc est quod etiam post resurrectionem suam sicut in cicatricibus veris et in vera comestione piscis et mellis soliditatem in se verae carnis edocuit, ita clausis foribus ingrediens veram in se virtutem sempiternae divinitatis ostendit, ut agnosceretur et naturalis fuisse Christi morientis infirmitas, et eidem resurgenti naturalis inesse majestas.

Haec quidem quae tam divinae scripturae quam etiam sanctorum patrum eloquia docuerunt, decretis nostris breviter inserta protulimus, demonstrantes geminam carnis et deitatis naturam in una domini et salvatoris nostri persona, passum quoque eumdem in ea natura quae corporis est, non passum in ea natura quae deitatis est. His igitur concordi sententia in tribus secretariis definitis pro confirmatione sui proprias subscriptiones [13] subjecimus.

---

1) *et* deest ap. M. — 2) *unam personam sive substantiam* M. — 3) *ergo* M. — 4) *aut* M. — 5) *eumdem* deest ap. M. — 6) *a cath. fide deprehenditur* M. — 7) *in* add. M. — 8) *persistit* M., *persistat* Æ. BR. E. 4., *persistit* T. 1. 2. U. G. — 9) Verba: *et atque sed* desunt ap. M. — 10) *suam* in m. M. — 11) *quia* M. 12) *ideo* in m. M. — 13) *propriam, subscriptionem* M. —

CONCILIUM EMERITENSE [1]

DUODECIM EPISCOPORUM HABITUM DIE [2] OCTAVO IDUUM NOVEMBRIS ANNO XVIII. SERENISSIMI ET PIISSIMI RECCESVINTHI REGIS ERA DCCIV.

Congregatis nobis omnibus provinciae Lusitaniae episcopis in nomine domini et [3] residentibus in sanctae [4] Jerusalem ecclesia quae in Emeritensi urbe, quae caput hujus provinciae noscitur esse et sub principali nomine manet dedicata, juxta ordinem priorum canonum nóstrorum cum dei juvamine coeptum est initium. Primum, ut mos est, debitas laudes persolvimus omnipotenti deo cujus munere adunati sumus et dono; deinde serenissimo atque clementissimo principi nostro et domino gratiarum actiones impendimus regi Reccesvintho, optantes [5] divinam misericordiam, ut qui ei tribuit regni potestatem concedat et vitae felicitatem cum pacis quiete, sicque eum de suis hostibus reddat victorem, ut suorum inimicorum colla ditioni ejus subdat gratia favente [6] quatenus et praesentem vitam quietus possideat per tempora longa, et post multa annorum curricula beatitudinis gaudia obtineat per saecula nunquam finienda. Et quoniam de saecularibus sancta illi manet cura, et ecclesiastica per divinam gratiam recte disponit mente intenta, sit illi opitulatrix ineffabilis omnipotentis dei gratia quae [7] quaerentibus manet propinqua.

I. *De* [8] *fidei institutione ejusque ordine.*

Juxta priorum patrum regulam quae [9] sancte nobis est tradita, cujus institutione profectum fidei habet sancta dei ecclesia catholica, quamlibet permultis conciliis [10] maneat memorata, oportet tamen a nobis non eam esse praetermittendam. Haec enim est prima concilii via, et nisi digne fuerit adstructa perveniendi ad aliud [11] ratio est incongrua. Nos ergo quia certos fatemur in fide et perpetim hanc profitemur, ore [12] dignum est in hoc sancto concilio credulitatem nostram exponere.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem etc. [13].

Haec est fides nostra et haec credulitas sancta; hanc quisquis digne tenet judicii tempore remunerationem condignam

1) Deest hoc concilium in A. Æ. E. 3., desumptum est ex codice BR. cum variantibus ceterorum lectionibus. — Harduinus contulit cum apographo ad ipsum misso. — 2) *In nomine patris et filii et spiritus sancti. Synodus quae gesta est in provincia Lusitaniae apud urbem Emeritensem quae caput ejus dignoscitur esse duodecim episcopis in unum collectis die etc.* M. — 3) *et* deest ap. M. — 4) *sanctae* deest ap. M. 5) *orantes* in m. M. — 6) *divina* add. in m. M. — 7) *se* add. M. 8) *Epistola de* M. — 9) *fides quae* M. — 10) *quantumlibet per multa concilia* in m. M. — 11) *ad illud* ibid. — 12) Mansi commatis interpunctionem post vocem *ore* collocavit. — 13) Est symbolum fidei Constantinopolitanum; vid. Conc. Tolet. VIII. can. I. (P. I. pag. 271.) —

accipiet; quisquis [1]) ab ea discesserit et in hac fide esse noluerit, cum diabolo poenas aeterni supplicii [2]) luet. Oremus ergo omnipotentem deum, ut haec credulitas sincera divina nobis conferat beneficia ejusque pietas sancta praesenti in saeculo cuncta nobis dimittat peccata, et cum venerit judicare vivos et mortuos, ad dexteram suam nos justificandos statuat. Si quis non crediderit aut confessus non fuerit patrem et filium et spiritum sanctum unum esse in trinitate deum [3]), anathema sit.

II. *De vespertini officii servando ordine.*

Sicut in fide sancta nostra est unanimitas, ita pro sancto dei officio debet esse intentio summa. Oportet igitur ut sicut in aliis ecclesiis vespertino tempore post lumen oblatum prius dicitur vespertinum quam sonum in diebus festis, ita et a nobis custodiatur in ecclesiis nostris. Si quis hunc ordinem minime custodierit in sua ecclesia cunctosque ad se pertinentes non instruxerit ut bonum hujus operis agant, dum tale ad metropolitani pervenerit aures et fuerit res convicta, excommunicationis se noverit feriri sententia.

III. *Quid sit observandum tempore quo rex in exercitu progreditur pro regis, gentis aut patriae statu atque salute.*

Quantum cum dei juvamine ratio competit [4]) ut rectitudinis regula ponatur in ecclesiastico ordine, tantum necessarium est ea excogitare et ordinare quae clementissimo domino nostro Reccesvintho regi fideliumque suorum genti aut patriae debeant prosperitatem afferre. Ob hoc ergo instituit [5]) sanctum concilium, ut quandocumque eum causa progredi [6]) fecerit contra suos hostes, unusquisque nostrum in ecclesia sua hunc teneat ordinem, ita ut in omnibus diebus per bonam dispositionem sacrificium omnipotenti deo pro ejus suorumque fidelium atque exercitus sui salute offeratur et divinae virtutis auxilium impetretur, ut [7]) salus cunctis a domino tribuatur, et [8]) victoria illi omnipotenti [9]) deo concedatur [10]). Tamdiu hic ordo tenendus est quamdiu cum divino juvamine ad suam redeat sedem. Quisquis hujus institutionis modum implere distulerit, sciat se a suo metropolitano esse excommunicatum.

IV. *Qualiter metropolitanus suis confinitimis aut confinitimi metropolitano suo placitum faciant.*

Postquam fidei nostrae credulitas est manifesta, illa inserenda curavimus quae rectitudinem faciant in ecclesia sancta. Coetus ergo nostrae unanimitatis hoc inserendum esse curavit, ut tempore quo metropolitanus in ecclesia dei fuerit ordinatus

---

1) *qui* M. — 2) *poenas aeternas* M. — 3) *deum* om. a M. — 4) *comperit* E. 4. T. 1. 2. — 5) *hoc* add. in E. 4. T. 1. 2., et ap. M. 6) *ingredi* M. — 7) *unde* in m. M. — 8) *ut* M. — 9) *ab omnipotenti* M. — 10) *tribuatur* in m. M. —

episcopus, placitum in nomine suorum provincialium [1]) episcoporum faciat ut caste, sobrie recteque vivat [2]). Similiter et quando confinitimi episcopi in ecclesiis quibus praeesse potuerint fuerint ordinati, placitum faciant in nomine episcopi sui metropolitani ut caste, recte et sobrie vivant. Quod si juxta canonum [3]) sententiam per voluntatem metropolitani atque informationis ejus epistolam per regiam jussionem ab alio metropolitano aliqui fuerint ordinati, tempore, quo ad metropolitanum suum post suam venerint ordinationem, tale placitum non differant facere. Quod si distulerint, tamdiu quisquis ille excommunicatum se esse noverit, quamdiu impleat ordinem bonae institutionis.

V. *Ut episcopus pro sua persona [4]) ad concilium non diaconem sed aut archipresbyterum aut presbyterum dirigat.*

Juxta canonum [5]) ordinem tempore quo concilium per metropolitani voluntatem et regiam jussionem electum fuerit agere, omnes confinitimos episcopos in unum oportet adesse, nec pro tali re quaelibet causa opponi debetur [6]) ad excusationem. Quod si contigerit aliquem de fratribus retineri ab infirmitate, qualiter non possit venire aut per regiam jussionem injunctum acceperit [7]) aliquid agere ut sit per quod non possit concilio interesse; quidquid tale acciderit, metropolitano suo fideliter intimet cuncta per suam epistolam manu sua subscriptam, ut in [8]) postmodum quaeratur, ne [9]) excusationem faciat aliquam. Ad suam tamen personam non aliter nisi aut [10]) archipresbyterum suum diriget, aut si archipresbytero impossibilitas fuerit, presbyterum utilem cujus dignitas cum prudentia pateat, a tergo episcoporum inter presbyteros sedere et quaeque in eo concilio fuerint acta scire et subscribere. Injustum enim hoc accipit coetus noster, ut quisquam episcoporum diaconum ad suam personam dirigat; hic enim quia presbyteris junior esse videtur, sedere cum episcopis in concilio nulla ratione permittitur. Quemcumque ergo ex presbyteris dirigere elegerit, instructum per informationem dirigat ut ratio poscit, atque cum eo mandatarium suum juxta legis ordinem munitum, ut si a quolibet contra eumdem episcopum in concilio fuerit suggestum, ab eo quem direxit [11]) qui petit accipiat responsum, et justitia quae fuerit ordinata nullam in [12]) postmodum dilationem habeat.

VI. *Qualiter episcopus admonitione accepta ad metropolitanum suum veniat.*

Deo credimus esse placitum quando pro bono opere dignam in ecclesia sancta imponimus regulam. Ideoque placuit fraternitati nostrae, ut sicut primatus reverentiae a [13]) metropolitano episcopo jubetur impendi per synodicam regulam, ita et a com-

---

1) *comprovincialium* E. 4. T. 1. 2., et M. — 2) *vivant* in m. M. — 3) *canonicam* M. — 4) *ad suam personam* M. — 5) *canonicum* M. — 6) *debet* M. — 7) *habuerit* in m. M. — 8) *in* deest ap. M. — 9) *anne* M. — 10) *si* add. M. — 11) *dixerit* M. — 12) *in* deest ap. M. — 13) *a* deest ap. M. —

provincialibus suis serventur haec monita. Communi deliberatione censemus et sententiae hujus ordinem servandum instituimus, ut dum quisquam comprovincialis episcopus metropolitani sui admonitionem acceperit pro diebus festis nativitatis domini et paschae cum eo peragendis [1]), veniendi ad eum nullam faciat excusationem. Quod si contigerit eum ab aegritudine esse detentum vel per nimiam intemperantiam aerum non habere qualiter ad praesentiam ejus possit venire, epistolam manu sua subscriptam dirigere debebit, in qua hujus rei causa [2]) verissime notescat. Quod si sanus qui admonitionem acceperit fuerit et venire distulerit, absque excommunicatione dimittendus non erit.

VII. *Qualiter secundum priorum canonum instituta concilium fiat.*

Decretum est de priscis canonibus semel in anno fieri concilium [3]) ubi elegerit metropolitanus episcopus, atque in ea sancta regula manet ordinatum ut comprovinciales episcopi, dum a suo metropolitano fuerint admoniti, praesentes esse debeant ad locum temporis debiti, quae res non extra regiam agitur voluntatem. Sunt nonnulli qui pro hoc admonitionem sui metropolitani et regiam jussionem accipiunt et minime implent quae jubentur: hos priscorum canonum sententiae excommunicatos esse jubent usque ad tempus superventuri concilii, et quamvis excommunicationis damno feriantur, nihil tale in his impenditur quod debeant metuere. Placuit huic sanctae synodo ut quisquis ille episcopus ad concilium venire distulerit admonitus, illic excommunicationis agat tempus ubi cum his qui praesentes fuerint elegerit metropolitanus. Cella vero et res ad eum pertinentes, quousque ille sub poenitentia fuerit, instantia et sollicitudine regantur metropolitani; quia ideo est hoc electum ut discat sub poenitentia quod implere noluit voluntate recta. Dum ergo ad suam redierit cellam, rem in statu inveniat quae ecclesiae suae est debita.

VIII. *Quid ordinatum maneat de episcopis qui inter se de parochiis intentionem [4]) habent.*

Omnibus paene [5]) cognitum manet quomodo divina gratia, quae cor serenissimi [6]) domini nostri et principis Reccesvinthi regis in manu tenet et ubi vult illud vertit [7]), suggerente sanctae memoriae sanctissimo viro Orontio episcopo, animum ejus ad pietatem moverit, ut terminos hujus provinciae Lusi-

---

1) cf. Conc. Tolet. XIII. c. 8. — 2) *causam* M. — 3) Bis in anno fieri concilium decretum est in Apost. c. 36., conc. Nicaen. c. 5., Antioch. c. 20., Chalced. c. 19., Regiens. c. 8., Turon. II. c. 1., Bracar. II. c. 18. — semel in anno fieri concilium decretum est in Carth. III. c. 2. Hippon. c. 5., Cod. eccl. Afric. c. 73., Agath. c. 71., Tolet. III. c. 18., IV. c. 3., XII. c. 12., Oscens. c. 1., Aurelianens. II. c. 2., Arvernens. c. 1., Aurelianens. III. c. 1., IV. c. 37., V. c. 18. 23., Herudfordens. c. 7., Quinisext. c. 8. — 4) *contentionem* in m. M. — 5) *bene* ibid. — 6) *atque clementissimi* add. in E. 4. T. 1. 2., et ap. M. — 7) *vertet* M.

taniae cum suis episcopis eorumque parochiis juxta priorum canonum sententias ad nomen provinciae et metropolitanam hanc sedem reduceret et restauraret. His ergo juxta eamdem regulam decreto synodico judicii formula et suae clementiae confirmatione ad hanc metropolim reductis, dum miserante domino principis jussu in unum ad sanctum convenissemus concilium, unus de iis Selua [1]) nomine sanctae Egiditanae [2]) episcopus ecclesiae interpellavit sanctam synodum, eo quod Justus Salamanticensis ecclesiae episcopus debitam illi teneret dioecesim, hoc enim etiam adjiciens, ut de eo id unde ad Gallaeciae metropolim dioecesis [3]) suae fuerat possessum ille reciperet, quamvis longa post tempora, quae parochiae suae fuerant debita. Sed quia antiquorum canonum [4]) sunt instituta, ut si in [5]) una provincia quisquis [6]) episcopus de alterius dioecesi partem aliquam per triginta annos possederit, quietus teneat, justum perspeximus ut quia nec ille triginta annos adhuc habet quo ad hujus provinciae metropolim reductus est, et ille quod perlongo tempore non possedit [7]) recepit, et tringinta adhuc non sunt in hoc illi impleti anni, sicut ille ad debitam dioecesim rediit, ita et hic qui pulsat dioecesim sibi debitam ordinante metropolitano cum suis fratribus per suum sajonem recipiat; ita tamen, ut de praesentia metropolitani inspectores dirigantur qui per evidentia signa dioeceses ipsas conspiciant, et unusquisque quod illi debitum est accipiat et habeat. Pacta vero quae juxta canonicam regulam inter episcopos per pacificam deliberationem justissime fuerint facta, in omnibus placet esse servanda. Omnibus vero episcopis id instituitur [8]) esse servandum, ut parochiam suam bene custodiant nec a quolibet fratre eam usurpari permittant: quibus si tricennalis numerus per voluntatem aut negligentiam occurrerit, nullo modo reddenda erit.

IX. *Quid presbyter observare debeat qui presbyteris jubetur dare sanctum chrisma.*

Conveniens in omnibus nobis haec manet sententia, quae digne [9]) custodiatur in nostra provincia. Placuit ut quisquis ab episcopo sanctum in potestate presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit chrisma, nihil ab iis beneficii causa tollere aut petere praesumat. Similiter et [10]) presbyteri, qui sanctum dei baptisma infantibus tradunt, nihil pro tali gratia a parentibus eorum auferre praesumant. Quod si quis aliquid offert [11]) per bonam voluntatem, accipiatur [12]) grate, nihil tamen, ut diximus, auferatur quacumque occasione. Si quis sententiae hujus ordinem non custodierit eamque transgredi

---

1) *Selva* M. — 2) *Igeditanae* M. — 3) *dioecesi* M. — 4) cf. Conc. Hisp. II. c. 2. — 5) *in* deest ap. M., sed desideratur ab ipso. — 6) *quisque* in m. M. — 7) *recepit* in m. M. — 8) *institutum* ibid. 9) *deinde* ibid. — 10) *et* deest ap. M. — 11) *offerat* M. — 12) *accipiat* M. —

praesumpserit, tribus mensibus sub poenitentia excommunicatus manebit.

X. *Ut omnis episcopus infra hanc provinciam constitutus archipresbyterum, archidiaconum et primiclerum* [1]) *in sua ecclesia habeat.*

Communi deliberatione sancimus, ut omnes nos episcopi infra nostram provinciam constituti in cathedralibus nostris ecclesiis singuli nostrum archipresbyterum, archidiaconum et primiclerum [1]) habere debeamus; sanctus quippe est ordo et a nobis per omnia observandus. Ideoque placuit huic magnae synodo, ut quicumque ad hoc officium pervenerit humilitatem pontifici suo et reverentiam praebeat, ne quolibet modo superbiae fastum quilibet ex his incurrat, sed in ordine, quo quisque fuerit constitutus, benigne persistat, et sui dignitatem officii per omnia teneat. Si quis ex his sui gradus ordinem non custodierit, et quae illi pro tali officio a suo episcopo imperata fuerint adimplere distulerit, prout causa patuerit, excommunicationis damno mulctandum se noverit.

XI. *Ut omnis presbyter, abbas vel diaconus episcopo suo humilitatem teneat et reverentiam summam.*

Pervenit ad coetum hujus sancti concilii presbyteros, abbates et diacones episcopo suo inobedientes esse, atque id intromissum est, ut dum quilibet ex presbyteris aut abbatibus ecclesiarum suarum a decedentibus episcopis habeant absolutionem, episcopo suo dignam obedientiam justamque reverentiam non exhibeant, et quibus concessa est per canonicam sententiam visitandi suam parochiam [2]), his potius infertur injuria et movetur calumnia. Proinde placuit huic sancto concilio, ut tam a presbyteris quam ab abbatibus sive etiam a diaconibus episcopo honor debitus impendatur, ut a nullo contumeliam pati videatur, et quandoque contigerit eum juxta canonicam sententiam visitare suam parochiam, et digne eum suscipiant et prout habuerint aut ratio permiserit illi praeparent quae fuerint necessaria. Id ergo per omnia servandum instituimus, ut nulli presbytero vel diacono sine voluntate episcopi sui licentia sit saeculares peragere causas [3]) aut injunctiones expedire publicas. Si quis hujus ordinem capituli transcendere voluerit, excommunicationis sententia feriendum se noverit.

XII. *Ut episcopus qui illi placiti fuerint de parochia sua presbyteros atque diaconos cathedrales sibi faciat.*

Si priorum canonum sententia hunc recte tenet ordinem, ut episcopus ab alio episcopo, si indigentiam habuerit, clericum ad ordinandum petat et accipiat; cur qui in dioecesi sua habet eos, quos pro dei officio et suo juvamine dignos repererit, ad suam principalem ecclesiam non perducat et habeat? Pro hujus rei causa hoc elegit unanimitas nostra, ut omnis episco-

---

1) *primicerium* in m. M. — 2) *sua parochia*, forte *suam parochiam* M.
3) Ita reliqui codd. Hisp. praeter BR. in quo *curas*. —

pus provinciae nostrae si voluerit [1]) de parochitanis [2]) presbyteris atque diaconibus cathedralem sibi in principali ecclesia facere, maneat illi per omnia licentia. Hi tamen qui fuerint transducti humilitatem dignam episcopo suo teneant, et eo honore et reverentia habeantur et venerentur in cathedrali ecclesia, sicut hi quos constat fuisse ordinatos in ea; et quamvis ab episcopo suo stipendii causa per bonam obedientiam aliquid accipiant, ab ecclesiis tamen in quibus prius consecrati sunt vel a rebus earum extranei non maneant, sed pontificali electione sub [3]) presbyteri ipsius ordinatione presbyter alius instituatur qui sanctum officium peragat, et discretione prioris presbyteri victus et vestitus [4]) rationabiliter illi ministretur [5]) ut non egeat: aut si quaesierit qui ordinatur stipendium a suo presbytero accipiat, quantum dignitas officii eum habere expetat; clericis vero vel quos ad serviendum ei dederit per discretionis modum quae necessaria sunt ministret. Si quis sententiae hujus ordinem implere distulerit, prout ratio permiserit, excommunicandum se esse noverit.

XIII. *Ut episcopus eum [6]), quem viderit de clericis suis ad bonum profectum tendere, honorandi et munificandi [7]) de rebus ecclesiae licentiam habeat.*

In ecclesia dei sancta congregatio clericorum fit non modica, et sunt aliqui quorum intentio non pauca est in sancto dei officio, atque multi quos segnitudinis fastus minime perducit ad bonum profectum. Ob hoc ergo sancto huic placuit concilio, ut quemcumque episcopus ad bonum profectum viderit crescere, per bonam intentionem venerandi, amandi et honorandi atque de rebus ecclesiae quod voluerit illi largiendi habeat potestatem: haec enim causa et majoribus majorem praestat gratiam et minores excitat ut ad melius tendant. Quidquid ergo bonis largitur per gratiam ita in jus habeant, ut et remedium ex hoc sentiant et rem deo dicatam ad augmentum perducant. Quod si id quod acceperint per suam tepiditatem ad profectum minime perduxerint aut detrimentum patuerit, episcopus habeat licentiam sine ullo praejudicio in jure ecclesiae revocare rem propriam.

XIV. *De pecunia quae in ecclesia dei offertur fideliter colligenda et fideliter dividenda.*

In sancta dei ecclesia diebus festis pro consuetudine et mercede, communicationis tempore a fidelibus pecuniam novimus poni. Pro hoc placuit sancto concilio hanc rectitudinis ponere regulam, ut quia omni clero communis labor manet in officio sancto, omnibus juxta meritum ex hoc rependatur vicissitudo. Statuimus in nostris ecclesiis vel civitatibus hoc

---

1) *omnes episcopos . . . si voluerint* (om. voce *illi* post *maneat*) M. — 2) *parochianis* M. — 3) *sub* om. a M. — 4) *victum et vestitum* in textu M. — 5) *ministrent* in m. M. — 6) *eum* om. a M. — 7) *magnificandi* M. —

esse servandum, ut quidquid pecuniae a fidelibus in ecclesia fuerit oblatum, fideliter collectum maneat et conservatum et fideliter episcopo praesentetur, qualiter exinde tres partes fiant aequales: unam episcopus habeat; alteram presbyteri et diacones inibi deservientes consequantur, et inter se, ut dignitas et ordo poposcerit, dividant; tertia vero subdiaconibus et clericis tribuatur, ut a primiclero, juxta quod in officio eos perspicit [1]) esse intentos, ita singulis dispensetur. Similis forma et de parochitanis presbyteris in ecclesiis illis a deo creditis erit servanda.

XV. *Ut episcopi atque presbyteri pro gravibus causis, quod legum damnant sententiae, sine judicis examine familiam ecclesiae non debeant extirpare.*

Si regalis pietas pro salute hominum [2]) suarum legum dignata est ponere decreta, cur religio sancta per sancti concilii ordinem non habeat instituta quae omnino debent esse cavenda? Ideoque placuit huic sancto concilio, ut omnis potestas episcopalis modum suae ponat irae, nec pro quolibet excessu cuilibet ex familia ecclesiae aliquod corporis membrorum sua ordinatione praesumat extirpare aut auferre. Quod si talis emerserit culpa, advocato judice civitatis ad examen ejus deducatur quod factum fuisse asseritur. Et quia omnino justum est, ut pontifex saevissimam non impendat vindictam, quidquid coram judice verius patuerit per disciplinae severitatem absque turpi decalvatione maneat emendatum, et ab episcopo suo aut donatus fidelibus suis maneat, qui malum aliquod [3]) quod leges graviter damnant admisit, aut abjiciendi [4]) eum episcopus si voluerit licentiam habebit. Similiter et quia comperimus aliquos presbyteros aegritudine accedente familiae ecclesiae suae crimen imponere, dicentes ex ea homines aliquos maleficium sibi fecisse eosque sua potestate torquere et per multam impietatem detrimentare, et hoc emendari placuit per rectitudinem hujus sententiae. Instituentes igitur decernimus [5]), ut si presbyter talia pati se dixerit, ad aures hoc sui perducat episcopi; ipse autem datis bonis hominibus ex latere suo judicem hoc jubeat quaerere, et si sceleris hujus causa fuerit inventa, ad cognitionem episcopi hoc reducant et processa ex ore ejus sententia ita malum extirpatum maneat, ne hoc quisquam alius facere praesumat. Si quis sententiae hujus ordinem non observaverit, excommunicationis sententia feriendus erit et a clero abjiciendus.

XVI. *Ut episcopo non liceat tertiam de parochitanis ecclesiis tollere* [6]).

Bene disposuit divina gratia, ut unaquaeque ecclesia quidquid a fidelibus collatum est habeat. Perpriscis [7]) quippe ca-

---

1) *praescit* M. — 2) *omnium* M. — 3) *aliquid* M. — 4) *abiendi, forte abigendi* M. — 5) *decrevimus* M. — 6) *sed quae instituta sunt debeat observare* add. M. — 7) *priscis* M. —

nonibus erat decretum, ut episcopus de parochitanis ecclesiis tertiam sequeretur, cui sua plenissime sufficere possunt. Placuit huic sancto concilio, ut nullus provinciae Lusitaniae episcopus sententiae hujus terminum excedat, nec a qualibet parochitana ecclesia tertiam auferre praesumat; sed quidquid exinde consequi potuerat, totum in reparationem ipsarum basilicarum proficiat. Omnes vero supradicti presbyteri qui virtutem habuerint episcopo suo placitum faciant, ut reparare ecclesias sibi commissas intendant. Quod si facere distulerint, ab episcopo suo districti ecclesias sibi creditas, ut ratio permittit, digne reparent. Ecclesiae tamen, quae mundiales res nullas habent, sollicitudine, intentione et dispositione episcopali, ut ratio permiserit, habeant reparationem.

XVII. *Ut post mortem episcopi nulli subjectorum liceat de eo quidquam detrahere.*

Quia per divinam gratiam in sancta dei ecclesia episcopalis ordinatur potestas, dignum est ut sicut honore et bonitate summus habetur in vita, ita post mortem detractio de eo sit nulla. Hujus rei causa hanc sententiam protulit et per omnia jubet esse firmam congregatio nostra. Instituentes igitur decernimus, ut nullus subjectus decedentem detrahat episcopum, nullus de eo deroget nec malum quidquam loquatur. Si quis talia deinceps facere praesumpserit, si presbyter fuerit, tribus mensibus ab episcopo suo sub poenitentia religatus [1]) maneat; si diaconus, quinque; si subdiaconus aut clericus vel quilibet religiosus de majori gradu, quia constat ex his jam aliquos per bonam actionem esse venerandos, novem; si minimi fuerint qui levi corde sint minimaeque adhuc personae, quinquagenis flagellis jussione feriantur episcopi: quod si laicus, quamvis ingenuus, in domo ecclesiae tamen nutritus et ab ecclesiae rebus dignitatis gratia praeditus, juxta quod dignitas ejus exegerit, pro tali excessu excommunicationis sententia feriendus erit; si vero de familia ecclesiae fuerit quisque, quia et in his discretionis [2]) est gradus, si major fuerit qui dignitate polleat, sex mensibus ab episcopo suo excommunicatus maneat; inferior tamen aut minima persona disciplinam mereatur, juxta quod episcopi sui processerit sententia. Dignum est etenim ut cui in vita honor fuit impensus, post mortem detractionis subtrahatur stimulus.

XVIII. *Ut parochitani presbyteri juxta ut posse habuerint de familia ecclesiae suae clericos sibi faciant et habeant* [3]).

Quidquid unanimiter digne disponitur in sancta dei ecclesia, necessarium est ut a parochitanis presbyteris custoditum maneat. Sunt enim nonnulli, qui ecclesiarum suarum res ad plenitudinem habent, et sollicitudo illis nulla est habendi clericos, cum quibus omnipotenti deo laudum debita persolvant

---

1) *relegatus* in m. M. — 2) *adhibendus* add. in m. M. — 3) cf. Conc. Tolet. IX. c. 11. —

officia. Proinde instituit haec sancta synodus, ut omnes parochitani presbyteri, juxta ut in rebus sibi a deo creditis sentiunt habere virtutem, de ecclesiae suae familia clericos sibi faciant quos per bonam voluntatem ita nutriant, ut et officium sanctum digne peragant, et ad servitium suum aptos eos habeant. Hi etiam victum et vestitum dispensatione presbyteri merebuntur, et domino et presbytero suo atque utilitati ecclesiae fideles esse debent [1]. Quod si inutiles apparuerint, ut culpa patuerit, correptione [2] disciplinae feriantur. Si quis presbyterorum hanc sententiam minime custodierit et non adimpleverit, ab episcopo suo corrigatur, ut plenissime custodiat quod digne jubetur.

XIX. *Ut presbyter, qui plures ecclesias habuerit commissas, pro singulis dominicis diebus in singulis sacrificium deo offerre intendat.*

In parochiis multae sunt ecclesiae constitutae, quae a fidelibus factae aut paucum aut nihil de rebus videntur habere; sacerdotali ergo decreto presbytero uni plures extant commissae, unde cavendum est ne occurrente paupertate ordo ibidem non impleatur missae. Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque ecclesiis, in quibus presbyter jussus fuerit per sui episcopi ordinationem praeesse, pro singulis diebus dominicis [3] sacrificium deo procuret offerre, et eorum nomina, a quibus eas ecclesias constat esse constructas vel qui aliquid his sanctis ecclesiis videntur aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore missae; quod si ab hac decesserunt aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine. Si quis hanc institutionem presbyter implere neglexerit, dum talis causa per quemlibet ad aures sui episcopi pervenerit, presbyter ille excommunicationis sententia feriendus erit.

XX. *Qualiter libertos episcopi faciant vel qualiter liberti a patrocinio ecclesiae nunquam discedant.*

In priorum canonum ordine institutum manet qualiter episcopi de familia ecclesiae libertos debeant facere. Multi etenim sacerdotes, prout illis concessit divina gratia, habent unde canonicum ordinem impleant et sic libertos faciant, et sunt multi, qui nihil habentes ad hanc gratiam veniunt et sic libertos facere praesumunt. Tales etiam libertos regula canonica esse non jubet stabilitos: contingere etenim solet, ut postquam manumissor eorum ab hac discesserit luce, talis occurrat successor qui aut ecclesiae familiam minime quaerat aut per bonam voluntatem vel negligentiam hi, a quo nihil ecclesiae offerente [4] liberi facti sunt, longo pro tempore libertos se esse defendant, atque eas libertates ita abscondant ut pro hoc

---

[1]) *debebunt* M. — [2]) *correctione* M. — [3]) *per singulos dies dominicos* M. cf. Conc. Tolet. XVI. c. 5. — [4]) Forte: *offerentes* ut infra. Harduin.

quaerenti episcopo laborem faciant. Talium si sit voluntas, licentia conceditur nulla quia non potuerunt, neque a servitio ecclesiae nunquam [1]) discedunt et pro his rebus in libertate permanere non poterunt. Sanctorum canonum non abjicienda sunt instituta atque his quae implenda esse oportet, addimus nova. Placuit huic sanctae synodo, ut quisquis digne juxta canonicam regulam libertus fuerit factus, in libertate maneat et a patrocinio ecclesiae ipse aut posteritas ejus nunquam discedat. Quisquis vero non ut ordo canonicus poscit libertus fuerit factus, quamvis prolixitas temporis in scripturae suae textu inveniatur, quia a servitio ecclesiae nunquam visus est abscessisse, et canonica sententia rescindi jubet talem libertatem; ut ille et posteritas omnis ejus in servitio permaneant [2]) sanctae ecclesiae, cui debiti manent per veram originem. Illos vero per omnia stabilitos in libertate esse instituimus qui ab his episcopis liberi sunt vel fuerint facti, qui de suo bona plurima sanctae ecclesiae, in qua praesident, per suae scripturae textum cognoscuntur contulisse: et hi quamlibet jubeantur esse stabiles, nullo modo recedendi [3]) sunt a patrocinio sanctae ecclesiae. Quod si contigerit eos eorumque filios personis ingenuis esse conjunctos, et quandoque eorum posteritas patrocinium ecclesiae voluerit despicere ex cujus familia per veram originem constat eos genitos esse, si ex his libertis trahunt originem, qui juxta canonicam sententiam jubentur esse stabiles, et dignitatis suae nomen teneant et ecclesiae patrocinium nunquam amittant. Certe si ex his inventi fuerint originem trahere, quos canonicae regulae non jubent liberos esse, quamlibet post longa tempora, dummodo origine firmata, reducendi tamen sunt ad sanctae ecclesiae cui pertinent jura. Liberti tamen ex familia ecclesiae facti et posteritas quae ex his est procreata, si libertatem suam vel parentum suorum inventi fuerint celasse aut abscondere, et tempore quo ab episcopo fuerint admoniti eam praesentare distulerint, dum eorum origo, ut jam diximus, fuerit manifestata per legalem testem, ad servitium ecclesiae reducantur, et ut episcopo fuerit placitum, ita eos habeat. Haec forma et in presbyteris servanda erit, qui cum voluntate episcopi sui juxta canonicam regulam de familia suae ecclesiae liberos [4]) facere voluerint.

XXI. *Qualiter stabilitum maneat quod episcopus in amicis suis servis aut libertis de re ecclesiae suae donare voluerit.*

Non putandum est contra regulam iri canonicam, quando ea instituimus quae servari oportet de re ecclesiastica. Quamvis etenim canonicae sententiae ordinem habeant quid episcopus pro re ecclesiae observare debeat, opportunum tamen est ut ibi ab episcopo bonus impenditur profectus, a succedente institutus teneatur modus. Placuit huic sancto concilio, ut si

---

1) *unquam* M. — 2) *maneant* M. — 3) *rescindendi* M. — 4) *libertos* in m. M. —

episcopus ecclesiae suae in qua praesidet, de rebus suis inventus fuerit plurima contulisse, quidquid amicis suis servis aut libertis vel quibuslibet personis de ecclesiae suae rebus compertus fuerit aliquid donasse, si triplum aut multo plus patuerit esse quod conscripsit in nomine ecclesiae suae, firmum maneat quod distribuit in personis quae praenotatae sunt superiori ordine [1]), nec licebit succedenti episcopo prioris sui irrumpere voluntatem. His etiam si causae ecclesiasticae fuerint commissae, et fideliter prosequentes in rebus ecclesiae profectum visi fuerint facere, laboris sui consequantur mercedem, ita ut de eo quidquid acquisierint, quia constat eos non sine utilitate ecclesiae negotia commissa peragere [2]), de eo quidquid cum fide et bona intentione ad effectum perduxerint et ad jus ecclesiae per eos reductum [3]) patuerit, de mobili re decimum suum sequantur; pro immobili ab episcopo repensationem dignam accipiant, et tamen quae meruerint ipsi aut posteritas eorum vel quibus largiri voluerint, perenniter possideant. Si quis episcoporum contra hujus sententiae ordinem agens irrumpere voluerit quod prior ejus fecit, et vocem amittat et scripturae quae facta est poenam adimpleat, insuper et a coetu fraterno excommunicatus maneat ut excessus sui emendet causam.

XXII. *Qualiter excommunicari oportet* [4]) *qui canonis hujus* [5]) *non custodierit sententiam.*

Quia juvante nos divina gratia ea in hoc sancto concilio peregimus quae ad rectitudinem ecclesiastici ordinis sunt debita, in aliquibus sententiis cavendi modum imposuimus, aliqua tamen, quia singulari ordine non manent constricta, per hujus sententiae decretum instituimus, quod quisque episcoporum vel presbyterorum atque inferiori gradu constituti debeant metuere. Quisquis hujus canonicae regulae instituta servare distulerit, quamlibet major esse videatur, mediocri vero aut inferiori gradu constitutum se esse perspexerit, ut causa permiserit, a metropolitano episcopo cum suis confinitimis, qui supra notatum sententiarum ordinem custodierint, is qui servare distulerit, excommunicatum se evidentissime noverit.

XXIII. *Confirmatio hujus concilii.*

Postquam fidei nostrae exposuimus credulitatem et quae necessaria extiterunt, ut potuimus, digessimus per ordinem, creatori nostro et domino, quem credimus trinum in unitate et veneramur unum in trinitate, patri et filio et spiritui sancto debitas persolvimus laudes, tantae majestatis glorificantes [6]) nomen, qui dignatus est nobis rectitudinis viam ostendere; ac deinde serenissimo atque piissimo [7]) orthodoxo viro, clementissimo domino nostro [8]) Reccesvintho regi gratiae impendimus opem [9]),

---

[1]) *quae notatae sunt per ordinem* M. — [2]) *peregisse* M. — [3]) *redactum* M. — [4]) *oporteat* M. — [5]) *hujus* deest ap. M. — [6]) *collaudantes* in m. M. — [7]) *et* add. M. — [8]) *nostro* om. a M. — [9]) *nomen* in m. M. —

cujus vigilantia et saecularia regit cum pietate summa, et ecclesiastica plenius disponit [1]) divinitus sibi sapientia concessa. Ipse enim dominus, cujus trinitatem veneramur et confitemur, et ecclesiae suae fidei conferat lucra et sacerdotibus, ministris atque omni clero, ut digne illi serviant, conferat remedia quae ipsi sunt placita; clementissimo principi Reccesvintho regi felicem vitam felicioraque praesenti in saeculo et futuro post in regno sempiterna concedat gaudia possidenda; atque id omnibus in se credentibus praestare dignetur, ut dum sui judicii manifestare voluerit tempus, omnibus tribuat perenne remedium ipse dominus et redemptor noster qui cum deo patre et cum spiritu sancto in trinitate deus permanet unus, cui est honor, gloria, virtus et imperium nunc et in omnia saecula saeculorum. Amen.

CONCILIUM BRACARENSE TERTIUM [2])

HABITUM ANNO QUARTO GLORIOSISSIMI DOMINI NOSTRI WAMBANIS [3]) REGIS ERA DCCXIII.

Decenter satis per divinum spiritum in Bracarensi urbe collecti de his quae intra dei ecclesiam perversa actione geruntur tractaturi convenimus, ut adjuvante nos illo qui dixit [4]): *Ubicumque fuerint duo vel tres in nomine meo collecti ibi ero in medio eorum*, pari animo parique devotionis studio exurgentes male habitos extirpemus errores. Etenim dum nos in unum synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati primum de sanctae fidei sacramento coepimus habere sermonem, scilicet ne aut vanitate disputantium aut nescientia simplicium erroris quidpiam in hoc sacrosancto sacramento fidei teneretur. Unde cum omnes nos in vera fide uti speculum perlustraremus [5]) illaesos in eo quia [6]) nullum nostrorum schismatici erroris foedaverat [7]) turbo, sed vera nos et simplex in hoc sacramento apostolica ostendit idoneos praedicatio, grates omnipotenti peregimus deo: quam tamen nostrae fidei regulam ipsis verbis atque sententiis commemorando reteximus, quibus eam in conventu Nicaeni concilii declaratam esse scimus.

Credimus in unum deum patrem omnipotentem etc. [8]).

---

1) *plenus* (om. voce *disponit*) M. — 2) *Quartum* M. (v. pag. 29 not. 1.) — 3) *Wambani* M. — 4) *dicit* M. — Matth. 18, 20. — 5) *perlustremus* M. — 6) *qui* M. — 7) *fatigaverat*, al. *fuscaverat* in m. M. — 8) v. Conc. Toletan. VIII. c. 1. (Part. I. pag. 271). —

Post hujus sanctae fidei sacramentum relatus est in cognitionem [1]) omnium nostrorum error manifestus pariter et diversus, qui tanta debet disciplinae arte retundi, quanta et perversitate comprobatur admitti [2]). Quidam enim in [3]) sacrificiis domini relati sunt lac pro vino, pro vino botrum offerre; eucharistiam quoque vino madidam pro complemento communionis credunt populis porrigendam, et quod pejus his omnibus est, quidam sacerdotum in vasis domini epulas sibi apponunt et manducare in iis praesumunt. Quidam etiam e sacerdotibus relati sunt quod ecclesiasticae consuetudinis ordine praetermisso missam sine orariis audeant dicere, et quod in solemnibus [4]) martyrum reliquias suo collo imponant et in sellulis non ab aliis se portandos nisi ab albatis diaconibus credant. Illud quoque quod plerique sacerdotum absque testimonio cum foeminis commorentur, et quod quidam illorum honoratos fratres suos verberibus indiscretis subjiciunt [5]); nec non et illud quod quidam Simonis [6]) cupiditate arrepti, quos ordinaturi sunt sub cautione dimittant, qualiter postquam ordinati fuerint pecuniam ab illis [7]) promissam accipiant. Illud quoque quod familiam ecclesiae in propriis laboribus quassant, damnum rebus dominicis facientes. Quae omnia ne confuse viderentur esse prolata, discretis titulorum ordinibus credimus subnectenda [8]).

I. *Ut repulsis omnibus opinionibus superstitionum panis tantum et vinum aqua permixtum in sacrificio offeratur* [9]).

Cum omne crimen atque peccatum oblatis deo sacrificiis deleatur, quid de cetero pro delictorum expiatione domino dabitur quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos contra divinos ordines et apostolicas institutiones lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare, alios quoque intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere, quosdam etiam non [10]) expressum vinum in sacramento dominici calicis offerre, sed oblatis uvis populis [11]) communicare. Quod quam sit evangelicae atque apostolicae doctrinae contrarium et consuetudini ecclesiasticae adversum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur a quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Cum enim magister veritatis verum salutis nostrae sacrificium suis commendaret discipulis, non illum [12]) lac sed panem tantum et calicem sub hoc sacramento benedixisse cognoscimus [13]). Ait enim evangelica veritas: *Accepit Jesus panem et calicem et benedicens dedit discipulis suis.* Cesset ergo lac in sacrificando [14]) offerri, quia manifestum et evidens

---

1) *in collationem* BR., *in concionem* E. 4. T. 1., *in concione* in t., *in cognitione* in m. M. — 2) *infundi* in m. M. — 3) *in* om. a M. — 4) *solemnitatibus* BR. E. 4. T. 1. 2., et M. — 5) *subjiciant* M. — 6) *simoniae* M. — 7) *ipsis* M. — 8) Quae praemissa sunt, primum conficiunt canonem in editione Mansi cum inscriptione: *De fide*, sequentia secundum etc. etc. — 9) *offerantur* M. — 10) *non* om. in m. M. — 11) *populos* M. — 12) *illis* M. — 13) *sacramento cognoscimus commendata* in m. M. — 14) *sacrificio* ibid. —

exemplum evangelicae veritatis illuxit, quod praeter panem et vinum aliud offerre non sinit. Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis nec hoc prolatum ex evangelio testimonium recipit, ubi apostolis corpus suum et sanguinem commendavit; seorsum enim panis et seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum praebuisse non legimus, excepto illi tantum discipulo quem intincta buccella magistri preditorem ostenderet, non quae sacramenti hujus institutionem signaret. Nam quod de inexpresso botro, id est de uvarum [1]) granis, populus communicatur, valde est omnino confusum; calix enim dominicus, juxta quod quidam doctor edisserit [2]), vino et aqua permixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et jungitur, quae copulatio et conjunctio aquae et vini sic miscetur in calice domini, ut commixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis; si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. Ergo quando botrum solum offertur in quo vini tantum efficientia demonstratur, salutis nostrae sacramentum negligitur, quod per aquam significatur: non enim potest calix domini esse aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque [3]) misceatur. Et ideo quia jam ex hoc plurima et multiplex majorum emanavit sententia, quorum pietas in deum religiosa horum sacramentorum et efficientias copiose disseruit et institutiones verissime declaravit, omnis talis error atque praesumptio cessare jam de cetero debet, ne perversorum inordinata compago statum veritatis enervet. Et ideo nulli deinceps licitum erit aliud in sacrificiis divinis offerre, nisi juxta antiquorum sententias conciliorum panem tantum et calicem vino et aqua permixtum. De cetero aliter quam praeceptum est faciens tamdiu a sacrificando cessabit, quamdiu legitima poenitentiae satisfactione correptus [4]) ad gradus sui officium redeat, quem [5]) amisit.

II. *Ne vasa domino* [6]) *sacrata humanis usibus serviant.*

Omni cura omnique studio providendum est, ne hi qui locum videntur obtinere regiminis contumeliam videantur inferre coelestibus sacramentis. Etenim quod et auditui horribile [7]) et visui execrabile judicatur, relatum nobis est quod quidam sacerdotum sacrilega temeritate praecipites vasa domini in proprios usus assumant epulasque sibi in iis comesturi [8]) apponant. Quod malum et obstupentes deflemus et deflentes obstupescimus, ut illic humana temeritas sibi epulam praeparet ubi sanctum spiritum cognoscitur advocasse, et ibi esum

---

[1]) *uvae* M. — [2]) Julius papa in epistola ad episcopos per Aegyptum.
[3]) *sibi* add. M. — [4]) *correctus* M. — [5]) *quod* in m. M. —
[6]) *domini* M. — [7]) *terribile* in m. M. — [8]) *comesuras* in t., *comedendas* in m. M. —

carnium crapulatus assumat ubi divina visus est celebrasse mysteria, et in quibus tantae rei sacramentum pro expiatione delictorum percepit [1]) in his expleat voluntatem ludibrii sui. Et ideo hujus de cetero praesumptionis persona, quae sciendo divina vasa vel ministeria aut in usus suos transtulerit aut comedere in his vel poculum sibi sumendum elegerit, gradus sui vel officii periculum sustinebit; ita tamen ut si de saecularibus fuerit, perpetua excommunicatione damnetur; si vero religiosus, ab officio deponatur; sub hac quoque damnationis sententia et illi obnoxii tenebuntur, qui ecclesiastica ornamenta, vela vel quaelibet alia indumenta atque etiam utensilia sciendo in usus suos transtulerint vel aliis vendenda vel danda [2]) crediderint.

III. *Ne sacerdos sine orario missam audeat celebrare.*

Cum antiqua et [3]) ecclesiastica noverimus institutione praefixum, ut omnis sacerdos cum ordinatur orario utroque humero ambiatur, scilicet ut qui imperturbatus praecipitur consistere inter prospera et adversa, virtutum semper ornamento utrobique [4]) circumseptus appareat, qua ratione tempore sacrificii non assumat quod se in sacramento accepisse non dubitat [5])? Proinde modis omnibus convenit, ut quod quisque percepit in consecratione honoris hoc [6]) retentet [7]) in oblatione vel perceptione suae salutis; scilicet ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit aut per [8]) se deo sacrificium oblaturus aut sacramentum corporis et sanguinis domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suae dignoscitur consecratus, ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et utrumque humerum premens signum in suo pectore praeferat [9]) crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitae subjacebit.

IV. *Ne sacerdotes sive quicumque ex clero sine testimonio cum quibuslibet foeminis habitent.*

Quamquam antiqua canonum institutio de hujusmodi praesumptione absolutas et multiplices disciplinas atque institutiones ediderit, nos tamen brevitatis causa omnem fornicandi occasionem cupientes auferre id omnimoda sancimus auctoritate tenendum, ut nullus sacerdotum sive quisquis ille de clero absque honesto et competenti testimonio, excepta sola matre, cum quibuslibet foeminis secrete se praesumat adjungere, non solum cum extraneis mulieribus, sed nec [10]) ipsis etiam sororibus vel propinquis, ne licentia sororum vel propinquarum mulierum quisquis ille solutus [11]) familiarior habeatur ad perpetrandum

---

1) *in quibus tantum sibi offerri sacramenta pro exp. delict. praecepit* in m. M. — 2) *donanda* Codd. Hisp. (praeter A.), et M. — 3) *et* deest ap. M. — 4) *utroque*, al. *utrimque*, add. voce *humero* post *appareat*, in m. M. — 5) *dubitatur* M. — 6) *hoc et* M. — 7) *in consecr. honoris, hoc retineat et* in m. M. — 8) *pro* M. — 9) *praeparet* M. — 10) *cum* add. M. — 11) *quisquis solus* in m. M.

scelus. Hujus ergo praeceptionis transgressor sex mensibus se noverit poenitentiae legibus subjacere.

V. *De damnata praesumptione quorumdam episcoporum, qui in festivitatibus martyrum ad ecclesiam procedentes appensis collo reliquiis ab albatis diaconibus in sellulis vehuntur* [1].

Bona siquidem res est divina sacerdotibus contrectare mysteria, sed cavendum valde est ne hoc quisque ad usum pravitatis suae intorqueat, unde soli deo de bono conscientiae placere debuerat; scriptum est enim: *Vae his qui faciunt opus domini fraudulenter et desidiose* [2]. Ut enim quorumdam episcoporum detestanda praesumptio nostro se coetui intulit dirimenda, agnovimus quosdam episcopos [3] quod in solemnitatibus martyrum ad ecclesiam progressuri reliquias collo suo imponant, et ut majoris fastus apud homines gloria intumescant [4], quasi ipsi sint reliquiarum arca levitae albis induti in sellulis eos deportant. Quae detestanda praesumptio abrogari per omnia debet, ne sub sanctitatis specie simulata vanitas sola praevaleat, si modum suum uniuscujusque ordinis reverentia non agnoscat. Et ideo antiqua in hac parte et solemnis consuetudo servetur, ut in festis quibusque diebus [5] arcam domini cum reliquiis non episcopi sed levitae in humeris gestent, quibus et in veteri lege [6] onus id et impositum novimus et praeceptum. Quod si etiam episcopus reliquias per se deportare elegerit, non ipse a diaconibus in sellula [7] vectabitur, sed potius pedissequa eo una cum populis progressione procedente ad conventicula sanctarum ecclesiarum sanctae dei reliquiae per eumdem episcopum portabuntur. Jam vero qui haec instituta sciendo adimplere distulerit, quamdiu in hoc vitio fuerit a sacrificando cessabit.

VI. *De honesta honoratorum disciplina* [8].

Cum beatus apostolus arguere, obsecrare vel increpare in omni patientia praecipiat et doctrina [9], novimus quosdam ex [10] fratribus tantis caedibus in honoratos subditos effervescere, quantas poterant latrocinantium promereri personae. Et ideo qui gradus jam ecclesiasticos meruerunt, id est presbyteres, abbates sive levitae, excepto gravioribus et mortalibus culpis, nullis debent [11] verberibus subjacere; non enim est dignum ut passim unusquisque praelatus honorabilia membra sua, prout voluerit et cum placuerit [12], verberibus subjiciat et doloribus [13], ne dum incaute subdita percutit membra, ipse quoque debitam sibi subditorum reverentiam subtrahat, juxta illud quod quidam sapiens dixit: Leviter [14] castigatus reverentiam ex-

---

1) *vectantur* M. — 2) Jer. 48, 10. — 3) *de episcopis* M. — 4) *intumescat* M. — 5) *diebus* deest ap. M. — 6) 1 Chron. 16, 2. — 7) *sellulis* M. — 8) *De honestate honoratorum et disciplina* in m. M. — 9) *extra hanc doctrinam* in m. M. — 2 Tim. 4, 2. — 10) *a* M. — 11) *debeant* M. — 12) *et complacuerit* M. — 13) *dolori* M. — 14) *Leniter* BR. T. 1. 2. —

hibet castiganti, asperitate autem nimiae increpationis [1]) nec increpationem recipit nec salutem. Et ideo si quis aliter quam dictum est praedictos honorabiles subditos licentia perceptae potestatis elatus malitia tantum crediderit verberandos, juxta modum verberum quem intulerit excommunicationis pariter et exilii sententiam sustinebit.

VII. *Ne promissione* [2]) *munerum honoris gratia venumdetur.*

Quia non expedit ut donum sancti spiritus pecuniis comparetur, quamquam ex hoc antiquorum canonum disciplinae et multiplices maneant et diversae, tamen quia necesse est ut frequentius retundatur quod sine intermissione praesumitur, ideo novellae hujus institutionis formulam [3]) instituentes decernimus, ut quicumque pro conferendo cuiquam sacerdotii gradu aut munus quodcumque aut promissionem muneris antequam ordinetur acceperit, vel etiam postquam ordinatus fuerit in aliquo se pro hoc ipso praesumpserit munerari, sive ille qui dederit sive qui acceperit juxta sententiam Chalcedonensis concilii [4]) gradus sui periculum sustinebit.

VIII. *Ne rectores* [5]) *ecclesiae plus propria quam ecclesiastica jura laborare intendant.*

Non decet rectores ecclesiae in suis strenuos et in ecclesiasticis rebus esse remissos. Nam quorumdam fertur opinio, quod quidam sacerdotum familias ecclesiae in suis propriis laboribus quassent, rei propriae profectum augentes, dominicis vero dispendium nutrientes. Unde quicumque sub hoc neglectu res divinas laborare distulerit, speciali placito distringendus est, qualiter si de rebus seu augmentis ecclesiae quaestum vel labores rei propriae [6]) auxit, et [7]) ex hoc ecclesiasticis rebus aut neglectum laboris exhibuit aut minorationem vel perditionem induxit: quidquid in rebus ecclesiae minorationis exhibuit, totum [8]) de rebus propriis ecclesiae illi restituat [9]), ex cujus rebus atque suffragiis suos convinctus [10]) fuerit ampliasse labores. Quod si aliquid pro utilitatibus ecclesiae aut substantiae expendit aut dispendii vel perditionis quidpiam pertulit [11]), si hoc comprobare potuerit, totum illi a rebus ejusdem ecclesiae reformabitur pro cujus utilitatibus id expendisse probatur [12]).

Gratias itaque omnipotenti peragimus deo; post haec sit pax, salus et diuturnitas piissimo et amatori Christi domino nostro Wambani [13]) regi, cujus devotio nos ad hoc decretum salutiferum convocavit, divinam postulantes clementiam, ut gloria Christi regnum ejus corroboret usque ad ultimam senectutem, praestante ipso qui cum patre et spiritu sancto unus vivit et gloriatur in trinitate deus in saecula saeculorum.

---

1) *asperitatis nimiae increpatio* in t., *asperitas autem nimiae increpationis* in m. M. — 2) *repromissione* M. — 3) *formam* M. — 4) Can. 2. 5) *actores* in m. M. — 6) *laboribus suis proprie* in m. M. — 7) *ut* in t., *et* in m. M. — 8) *tantum* M. — 9) *quidquid in rebus eccl. minuit illi restituat* in m. M. — 10) *convictus* M. — 11) *pertulerit* M. — 12) *comprobatur* M. — 13) *Wambano* M. —

CONCILIUM CAESARAUGUSTANUM TERTIUM

HABITUM [1]) SUB DIE KALENDARUM NOVEMBRIUM ANNO QUARTO ORTHODOXI ATQUE SERENISSIMI DOMINI EGICANI REGIS ERA DCCXXIX [2]).

Sacerdotes domini, quos non solum divina pietas ad magisterium provehit sacrum, sed etiam et [3]) speculatores instituit plebium, ea se debent auctoritatis munire sententia, quo [4]) et divinis sine intermissione insistant praeceptis et cunctam plebem dignis condirigant exemplis. Et ideo quia nos divina celsitudo ex jussu excellentissimi et piissimi magnique dei cultoris domini nostri Egicani principis in hanc Caesaraugustanam urbem coadunari praecepit, et ita sub omnimoda specialitate instituit, ut resecante falce justitiae aequitatis consolidetur materies, et quidquid cujuslibet indiscreta pernicies a sanctis institutionibus patrum de ordinibus ecclesiasticis divellit nostris elucubratis sententiis deo mediante in lumine deducatur veritatis: idcirco dum nobis de sanctae trinitatis mysterio secundum formulam Nicaeni concilii triduo mutua fuisset collatio [5]), ea [6]) quae se coetui nostro ad aedificationem totius plebis ingesserunt conspicua diligentique ratione pertractantes, quae necessaria extiterint [7]), Christo opitulante cujus nos causa salutis ad hoc provocavit studium, in brevibus atque continuatis capitulis cuncta definivimus, et ad perennitatis suae robur [8]) ea quae a nobis acta vel definita sunt propriae manus nostrae exaratione firmare procuravimus.

I. *Ut non liceat episcopis citra dies dominicos [9]) consecrationes ecclesiarum exercere.*

In sanctum et satis venerabile concilium residentibus nuntiatum est nobis, eo quod aliqui pontifices regulam veritatis praetermittentes ecclesias quae a fidelibus pia devotione construuntur extra dies dominicos [9]) consecrent. Si ergo, cum quisque nostrum mortalium ad sacerdotale promovetur officium, nullatenus patimur ut in reliquis diebus nisi tantum dominicis festivitatibus hi [10]) qui honoris digni habentur officio in ordine praeficiantur ecclesiastico, quanto magis ut sancta deificata templa, quae ab hominibus fidelibus censentur honorificanda, sine diebus dominicis perhibeantur consecranda? Cujusque nos talium praesumptiones pontificum non solum sanctorum

---

1) *Incipiunt gesta synodalia in urbe Caesaraugusta* M. — 2) Deest hoc concilium in codicibus BR. E. 3, T. 1. 2, U. G. Contulit Aguirre cum ms. Augustini archiep. Tarraconensis. — 3) *et* deest ap. M. — 4) *quod* M. — 5) *consolatio* Cod. Aug. (v. not. 2.) — 6) *et* M. — 7) *extiterunt* M. — 8) *roborem* M. — 9) *diebus dominicis* M. — 10) *ii* M. —

patrum cohibemur prohibere sententia, sed et propria deliberatione censemus, ut nulli penitus pontificum in quibuscumque provinciis constituto [1] amodo liceat praeter certos dies dominicos [2] ecclesias sanctas consecrare.

II. *Ut confinitimi episcopi de sacra solemnitate paschali annua vice primatum suum inquirant* [3].

Siquidem sancta institutio patrum de solemnitate paschali praecipiat, ut omnes confinitimi episcopi annua vicissitudine primatum suum inquirant quo tempore paschae festum peragant, tamen quia didicimus nonnullos episcopos sententiam patrum transgredientes propter quod etiam debuerunt usquequaque vigilantes manere, placuit omnibus nobis ut abinceps cuncti confinitimi episcopi nullam sibi occasionem objicientes [4] aut longinquitate itineris praecaventes annua recursione de [5] festivitate paschali tempore congruo primatum suum, sub cujus potestatis manserint regimine, inquirant, ut quo die et tempore illis paschae festum pronuntiaverit sollicita veneratione peragant.

III. *Ut monasteria diversoria saecularium non fiant.*

Sanctorum patrum decrevit sententia, ne monasteria diversoria saecularium fiant. Unde quia novimus quosdam abbates, quibus regulariter cura regendarum animarum commissa est, dum quasi patrono affectu [6] aditum saecularibus in monasteriis attribuunt [7], diversas insolentias monachis ibidem deo deservientibus ingerunt, dum et eorum operationem, quo [8] se divinae pietati placituros alacri curiositate exhibent, deprehendunt, et vitam et mores illorum quadam mentis pernicie infauste detrahendo deturpare non desinunt, et iterum, quod pessimum est, dum extraneis passim commorandi aditus infra claustra monasterii confertur, grave inolescit vitium monachorum, quo et vitam suam per lucra mundialia sectantes degenerant, et se a proprio coenobio voluptuosa foeditate dissociant. Quae res ad hoc nostrum paterna pietate demulcet animos, ut ea constituamus quae et sanctis animabus juvaminis solamen impendant et praesumptiones saecularium removeant. Quamobrem placuit universo coetui nostro hoc statuere vel potius definire, ut nullus abinceps saecularium seu potestative seu etiam vel ex permissu [9] abbatis vel cujuslibet monachorum infra claustra monasteriorum hospitandi vel commorandi habeat receptaculum, excepto quos vita probabiles, egenos aut paupertate depressos inspectio praeviderit abbatis; quos et suscipere benevola voluntate in monasteriis et alendos eleemosynis modis omnibus sinimus. De reliquis autem personis saecularibus, sicuti [10] a nobis est superius praemissum, nul-

1) *constitutis* pro *constituto* M. — 2) *diebus dominicis* M. — 3) *requirunt* M. nec vero cod. Aug. — 4) *subjicientes* M. nec vero cod. Aug. — 5) *de* om. a M. — 6) *patrono affatu* M., *paterno affectu* Cod. Aug. — 7) *tribuunt* Cod. Aug. — 8) *quae* Cod. Aug. (forte *qua* M.) — 9) *permisso* M. — 10) *sicut jam* M. —

lum penitus patimur infra claustra monasteriorum [1]) habere receptaculum. Ceterum si secretius aut sequestratim a monasterio ad id quod constructum pro supervenientibus domicilium patuerit, ibi eos suscipere abbates vel monachos oportebit, quatenus et vita eorum remotis saeculi conturbationibus in omni opere deifico probabilis inveniatur et nullius vanissimis detractionibus dehonestentur, aut certe, quod inhonestum est, ne per talium susceptiones dissolutionem incurrant et a bono proposito vitam suam extorrem efficiant.

IV. *De libertis qui ab episcopis ex familia ecclesiae manumittuntur.*

Non est dubium a sanctis patribus definitum fuisse, ut omnes liberti, qui ab episcopis ex propriis familiis ecclesiae manumissionis gratia titulantur, post decedentis episcopi obitum, mox ut alius supervenerit episcopus, infra anni spatium libertates suas repraesentent, quo secundum canonis sententiam per suas professiones debitam originis suae conditionem agnoscant. Sed quia ita speciali modo sancta decrevit synodus, ut si ipsi liberti infra anni spatium supervenienti suo pontifici cartulas libertatis suae praesentare neglexerint, protinus eos in pristinam servitutis redigant conditionem; et licet illi [2]) congruentius satisque luculentius retractatum fuerit [3]), hoc tamen a nobis conspicuum perpenditur, quo non solum et praedia ecclesiarum debita auctoritate disponimus, sed etiam et oppressis pium suffragium porrigimus, per quod et cupiditas sacerdotalis frustretur et imbecillitas pauperum sublevetur. Quia ergo comperimus quosdam pontifices potius lucra sua ampliare studentes quam de mercedis opere domino placentes, libertos [4]) quos ex familia ecclesiae a [5]) suis praecessoribus inveniunt, pro eo quod cartulas libertatis suae infra consultum tempus non praesentent [6]), statim eos in propriam servitutem redigere; hoc [7]) pietatis studio generali modo subrogamus beneficium, ut si iidem liberti forsitan ignoraverint ordinem canonum, aut certe, ut assolet fieri, ad praesentandas libertates suas tepuerint, ipsius pontificis sollicitudo, mox in sedem sibi creditam successerit, per clerum aut domesticos perquirere procurabit quos decedentes episcopi de familiis ecclesiae manumissionis gratia titulaverunt [8]), ut eodem [9]) pontifice praemonente ipsi liberti cartulas libertatis suae repraesentent, qualiter nec liberti ecclesiae de institutione canonum ignorantes se esse perhibeant, nec sacerdotis callida voluntas patescat, unde contra ordinem reducantur manumissi ad originem servitutis. Quod si pontifice praemonente contempserint infra anni spatium suas libertates propriae sedis episcopo pandere, licitum sit ei secundum canonum sanctiones in jure suae ecclesiae reducere servituros.

---

1) *hospitandi* add. M. — 2) *illis* M., *ut licet illic* Cod. Aug. — 3) *fuerat* M. — 4) *liberos* forte *libertos* M. — 5) *a* deest ap. M. — 6) *repraesentent* M. — 7) *unde hoc* M. — 8) Ita Cod. Aug., *gratulaverint* M. — 9) *eosdem* Æ., et M. —

V. *Ut defuncto principe superstes regina statim*[1] *et vestem saecularem deponat et in coenobio virginum mancipetur permansura.*

Licet plenissime in concilio Toletano de principum relictis institutum fuisset, ut nulli licitum esset superstitem reginam in conjugio ducere, aut sordidis contactibus maculare neque secuturis regibus nec cuilibet hominum esset permissum; tamen nostri ordinis causa est, ut crebrissime ad hoc aciem mentis nostrae condirigamus, quae animae intuemur exhibere profectum. Unde quia praeteritis temporibus multas scimus atque cognovimus principum relictas post eorum vocationem pro apice regni, quem[2] regendo in cunctis tenuerunt, nullam reverentiam honoris iis adhiberi a populis, sed passim unicuique probatum est diversas assumentes occasiones non solum latenter in earum[3] contrarietate insidias moliuntur, verum etiam, quod veritati contrarium est, procaciter verba contumeliosa in conventu multorum eas afficiunt, et, quod omni religione[4] abominandum atque horrendum est, de his[5] detrahere non sinunt, quas in caterva populi cernunt commorare; proinde paterna pietate commoti atque condigna circa tantum culmen[6] providentes, per hujus decreti nostri paginam non solum quae in praedicto concilio exarata sunt de conjuge principum custodiri perenniter atque firma stabilitate decernimus permanere, sed etiam ea quae sunt conspicua honestati necessaria modo annectere[7] procuramus: ut servatis in omnibus sanctionibus[8] canonum totius Toletani concilii, quae de principum relictis promulgatae atque definitae esse noscuntur, deinceps relicta principis superiorem sententiam illibato animo pudice servans statim accersito[9] ab hoc saeculo principe vestem saecularem deponat, et alacri curiositate religionis habitum assumat. Quam etiam et confestim in coenobio virginum mancipandam esse censemus, ut[10] ab omni turbine mundi remota, nequaquam cuilibet locus attribuatur per quod aut contumelium[11] tantae potestati[12] ingeratur aut subdita plebi[13] haesisse patescat quorum ante dudum noscitur[14] domina fuisse; sed infra claustra monasterii jugi sedulitate persistens atque sanctimonialem vitam peragens de regno temporali opitulatione divina ad regnum aeternitatis mereatur pervenire.

Quicumque igitur superiores constitutiones, quae salubri consilio a nobis definitae esse noscuntur, violaverit vel execrari quacumque factione pertentaverit aut permiserit, noverit se excommunicationis percepturum sententiam atque etiam exilii damnationis diuturno tempore incurrere jacturam.

Peractis quoque a nobis quae congrua fuerunt de ordinibus ecclesiasticis, in primis immensas laudes omnipotenti deo patri

---

1) *statum* M. — 2) *quod* Cod. Aug. — 3) *eorum* M. — 4) *religioni* M. — 5) *iis* M. — 6) *circa tanto culmine* M. — 7) *advertere* M. — 8) Ita Cod. Aug., *servatas .. sanctiones* M. — 9) *arcessito* M. — 10) *et ut* M. — 11) *contumelia* M. — 12) *in publico* add. in Æ., et ap. M. — 13) *esse* add. M. — 14) *agnoscitur* M.

et filio et spiritui sancto, cui cura est pacem et unitatem ecclesiae suae [1]) sanctae catholicae providere, deferimus; deinde orthodoxo et serenissimo domino nostro Egicano [2]) regi, cujus instinctu et devotissimo instituto in hoc coadunari meruimus synodali conventu, multiplices gratiarum actiones persolvimus, qui non solum nostrorum animos ad corrigendos ordines ecclesiasticos excitavit, sed etiam et populum per oracula regni sui voto gratioso ab impensione tributi reddidit absolutum: pro quo beneficii studio, quo [3]) plebi suae tanta largitus est dona, dominum Jesum Christum, qui nos potentia virtutis suae decoravit, pretiosa [4]) ac propria [5]) effusione sanguinis sui redemit, exoramus ut ipse regnum ejus in pace sub multimoda annorum curricula solidet gentemque et universam patriam [6]) in tranquillitate conservet, et contra hostem adversum victrix Christi dextera victorem efficiat semper, quo [7]) expletis hujus extensis [8]) vitae temporibus ad aeternum [9]) beatitudinis praemium pervenire mereatur illaesus, praestante domino nostro Jesu Christo, cui est honor, summa virtus et potestas in saecula saeculorum. Amen.

---

1) *suae* deest ap. M. — 2) *Egicani* M. — 3) *qui* M. — 4) *propria* Cod. Aug. — 5) *pretiosa* M. — 6) *ejus* add. M. — 7) *atque* M. 8) *exilis* Cod. Aug. — 9) *aeternae* M. —

CONCILIUM ARELATENSE PRIMUM[1]).

Domino[2]) sanctissimo fratri Silvestro Marinus vel[3]) coetus[4]) episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quid decreverimus communi consilio caritati tuae[5]) significamus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant.

I. *Ut uno die et tempore pascha celebretur.*

Primo loco[6]) de observatione paschae domini[7]), ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis[8]) observetur et juxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.

II. *Ut ubi quisque*[9]) *ordinatur ibi*[10]) *permaneat.*

De his qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis[11]) perseverent.

III. *Ut qui in pace arma projiciunt excommunicentur.*

De his qui arma projiciunt in pace[12]), placuit abstineri[13]) eos a communione.

IV. *Ut aurigae dum agitant excommunicentur.*

De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agitant a communione separari.

V. *Ut theatrici quamdiu agunt*[14]) *excommunicentur.*

De theatricis, et ipsos placuit quamdiu agunt a communione separari.

VI. *Ut*[15]) *in infirmitate conversi manus impositionem accipiant.*

De his qui in infirmitate credere volunt, placuit iis debere[16]) manum imponi.

---

1) Monachi ex ordine S. Benedicti, qui Conciliorum Galliae collectionem ediderunt, hujus concilii canones contulerunt ad mss. codd. Regios 1451 A., 1452 B., 1455 D., 1563 R.; Jesuit. 563 A., 569 B.; Cottonianum et Corbeiensem. Tituli canonum desunt in duobus regiis et Corbejensi. — *Conc. Arel. I. a plurimis episcopis gestum in civitate Arelato apud Marinum episcopum temporibus Constantini imperatoris eo tempore quo etiam concilium Nicaenum habitum est trecentorum decem et octo Episcoporum* Codd. Hisp. — 2) *et* add. Codd. Hisp., om. voce *fratri.* — 3) *Marinus vel* deest in quinque mss. Paris., et in Codd. Hisp. — 4) *sexcentorum* add. mss. Jesuit. unus, Reg. 1452, Corbejensis, et Morbacensis quem vidit P. Coustant. — Regius idem ad calcem canonum habet: *Expliciunt canones quos fecerunt episcopi sexcenti in urbe Arelatensi.* 5) *caritative* in m. M. — 6) *Primo loco* deest in Codd. Hisp. — 7) Plures mss. (et Codd. Hisp.) *dominicae,* Edit. *dominici.* — 8) *a nobis* deest in Codd. Hisp. — 9) *minister* add. T. 2. — 10) *ibi* deest in Codd. Hisp. — 11) *locis* deest in Cottoniano. — 12) *in proelio* Regius unus et Cotton.; Surius notat in cod. pervetusto legi *in bello.* — 13) Al. *abstinere.* — 14) *Ut qui in theatris conveniunt* Codd. Hisp. — 15) *ut* deest in Codd. Hisp. — 16) *debere his* Codd. Hisp. —

VII. *De fidelibus qui praesides fiunt vel rem publicam agere volunt* [1].

De praesidibus qui fideles ad praesidatum prosiliunt, placuit [2] ut cum promoti fuerint literas accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen ut in quibuscumque locis gesserint, ab episcopo ejusdem loci cura illis agatur, et cum coeperint contra disciplinam [3] agere, tum demum a communione excludantur. Similiter et de his qui rempublicam agere volunt.

VIII. *De baptismo eorum qui ab haeresi convertuntur* [4].

De Afris quod [5] propria lege sua utuntur ut rebaptizent [6], placuit ut [7] si ad ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum [8] symbolum; et si perviderint eum in patre et filio et [9] spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc trinitatem, baptizetur [10].

IX. *Ut qui confessorum literas afferunt, alias accipiant* [11].

De his qui confessorum literas afferunt, placuit ut sublatis iis literis alias accipiant communicatorias.

X. *Ut is* [12] *cujus uxor adulteraverit aliam illa vivente* [13] *non accipiat.*

De his qui conjuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles et prohibentur nubere, placuit ut in [14] quantum possit consilium iis detur, ne viventibus [15] uxoribus suis licet adulteris [16] alias accipiant.

XI. *De puellis quae gentilibus junguntur* [17].

De puellis fidelibus quae gentilibus junguntur placuit, ut aliquanto tempore a communione separentur.

XII. *Ut clerici foeneratores excommunicentur.*

De ministris qui foenerant, placuit eos juxta formam divinitus datam a communione abstineri.

XIII. *De iis qui scripturas sacras, vasa dominica vel nomina fratrum tradidisse dicuntur* [18].

De his qui scripturas sanctas [19] tradidisse dicuntur vel vasa dominica vel nomina fratrum suorum, placuit nobis ut

---

1) *De praesidibus ut cum conscientia episcopi sui communicent* Codd. Hisp.
2) *ita placuit* Codd. Hisp. — 3) *publicam* add. Codd. Hisp. —
4) *Ut ex haerese conversi, si in trinitate baptizati sunt, manus impositionem accipiant* Codd. Hisp. — 5) *De Arianis qui* Codd. Hisp. — Al. *Arriis.*
6) *rebaptizentur* Codd. Hisp. — 7) *ut* deest in Codd. Hisp. —
8) *nostrae fidei sacerdotes* add. Reg. unus et Cotton. — 9) *et in* Codd. Hisp. — 10) *aliqui .. venerint .. eos .. eos .. baptizatos .. iis .. accipiant .. interrogati .. responderint .. baptizentur* Codd. Hisp. —
11) *portant alias recipiant* Codd. Hisp. — 12) *si* Codd. Hisp. —
13) *illa vivente* deest in C. Hisp. — 14) *ut in* deest in C. Hisp. —
15) *etiam* add. C. Hisp. — 16) *licet adulterae sint ut non* C. Hisp. —
17) *Ut foeminae fideles quae gentilibus se junxerint excommunicentur* C. Hisp.
18) *Ut proditores fratrum vel vasorum sacrorum seu scripturarum cum verberibus deponantur* C. Hisp. — 19) *sanctas* deest in A. E. 4. G. —

quicumque eorum ex [1]) actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis [2]) ab ordine cleri amoveatur; nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et hi quos ordinaverunt rationales subsistunt [3]), non illis obsit [4]) ordinatio. Et [5]) quoniam multi sunt qui contra ecclesiasticam regulam pugnare [6]) videntur et per testes redemptos putant se ad accusationem [7]) admitti debere, omnino non admittantur [8]), nisi, ut supra diximus, actis publicis docuerint [9]).

XIV. *Ut qui falso accusant fratres suos* [10]) *usque ad exitum excommunicentur.*

De his qui falso accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare [11]).

XV. *Ut diacones* [12]) *non offerant.*

De diaconibus quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.

XVI. *Ut ubi quisque fuit excommunicatus ibi communionem consequatur* [13]).

De his qui pro delicto suo a communione separantur, placuit [14]) ut in quibuscumque locis fuerint [15]) exclusi in iisdem [16]) communionem consequantur.

XVII. *Ut nullus episcopus alium conculcet episcopum.*

Ut nullus episcopus alium episcopum inculcet [17]).

XVIII. *De diaconibus urbicis ut sine conscientia presbyterorum nihil agant* [18]).

De diaconibus urbicis ut non sibi tantum praesumant, sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant.

XIX. *Ut peregrinis episcopis* [19]) *locus sacrificandi detur.*

De episcopis peregrinis qui in urbem solent venire, placuit iis [20]) locum dari ut offerant.

XX. *Ut sine tribus episcopis nullus episcopus ordinetur.*

De his qui usurpant sibi quod soli debeant episcopos [21]) ordinare, placuit ut nullus hoc sibi praesumat nisi assumptis secum aliis septem episcopis. Si tamen non potuerit [22]) septem, infra tres non audeat ordinare.

---

1) *in* C. Hisp. — 2) *verberibus multis* Reg. unus et Cotton. — 3) *et de his quos ordinaverunt ratio subsistit* C. Hisp. — 4) *obsistat* C. Hisp. — 5) *et* abest a C. Hisp. — 6) *contra ecclesiam repugnare* C. Hisp. — 7) *se excusatione* C. Hisp. — 8) *permittantur* C. Hisp. — 9) *omni se suspicione carere* add. Regii duo et Cotton. 10) *Ut falsi accusatores fratrum* C. Hisp. — 11) *sed falsum testem juxta scripturam impunitum non licere esse* add. C. Hisp. — 12) *levitae* C. Hisp. — 13) *Ut poenitentes ubi acceperint orationem ibi communicent* C. Hisp. — 14) *ita placuit* C. Hisp. — 15) *fuerant* C. Hisp. 16) *eodem loco* (om. v. *in*) C. Hisp. — 17) *conculcet* Reg. unus et Cotton., et C. Hisp. — 18) *Ut diaconus nihil sine presbytero offerat* (*agat* T. 1. 2. U. G.) C. Hisp. — 19) *peregrino episcopo* C. Hisp. — 20) *illis* C. H. — 21) *sibi soli debere episcopum* C. H. — 22) *poterit* C. H.

XXI. *Ut presbyteri aut diacones qui ad alia loca se transferunt deponantur* [1]).

De presbyteris aut diaconibus qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt et ad alia loca se transferunt [2]), placuit ut iis locis ministrent quibus praefixi sunt. Quod si [3]) relictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

XXII. *De apostatis qui in infirmitate communionem petunt* [4]).

De his qui apostatant et nunquam se ad ecclesiam repraesentant, ne [5]) quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate accepti petunt communionem, placuit iis non dandam communionem nisi revaluerint [6]) et egerint dignos fructus poenitentiae.

XXIV [7]).

Placuit ut quantum potest inhibeatur viro, ne dimissa uxore vivente liceat ut aliam ducat super eam: quicumque autem fecerit alienus erit a catholica communione.

XXV.

Placuit ut mulierem corruptam clericus non ducat uxorem, vel is, qui laicus mulierem corruptam duxerit, non admittatur ad clerum.

XXVI.

De aliena ecclesia clericum ordinare alibi nullus episcopus usurpet; quod si fecerit, sciat se esse judicandum cum inter fratres de hoc fuerit appetitus.

XXVII.

Abstentum clericum alterius ecclesiae alia non admittat; sed pacem in ecclesia inter fratres simplicem tenere cognoscat.

XXVIII.

Venientem de Donatistis vel de Montensibus per manus impositionis suscipiantur, ex eo quod contra ecclesiasticum ordinem baptizare videntur.

XXIX.

Praeterea, quod dignum, pudicum et honestum est, suademus fratribus ut sacerdotes et levitae cum uxoribus suis non coeant, quia ministerio quotidiano occupantur. Quicumque contra hanc constitutionem fecerit, a clericatus honore deponatur.

---

1) *Ut clericus alibi transiens excommunicetur* C. Hisp. — 2) *transtulerunt* C. Hisp. — 3) *ut his locis ministrent ut si* C. Hisp. — 4) *Ut apostatae qui tardius revertuntur nisi per dignam poenitentiam non recipiantur* C. Hisp. — 5) *nec* C. Hisp. — 6) *praevaluerint* U. G. —
7) In cod. Lucensi 124 reperi concilio huic Arelatensi adjectos VI. canones, quos statim subdo quamquam mihi persuasum est ad aliam forte Arelatensem synodum pertinere. Adjunguntur continuata numerorum serie cum praecedentibus; admonuisse autem lectores juvat sinceros Arelatenses canones hic numerari XXIII., cum duo ibidem in unum coaluerint. Mansi. — 8) Alia manus sed antiqua addit *vel absentem*. Mansi. —

CONCILIUM[1] VALENTINUM PRIMUM[2].

Dilectissimis fratribus per Gallias et quinque provincias constitutis episcopis Foegadius[3], Eumerius[4], Florentius, Artemius[5], Aemilianus, Britto[6], Justus, Evodius[7], Rhodianus, Eortius[8], Chrestus[9], Concordius, Constantius, Paulus, Antherius, Felix, Neoterius, Nicetius[10], Urbanus, Simplicius et Vincentius episcopi in domino salutem. Transactis[11] Valentiae[12] omnibus et in dei nomine in statu meliori compositis quae fuerant coepta causa dissidii, quorumdam fuit fratrum[13] utilis et religiosa suggestio, retractandum etiam de his quae nec recipere possumus ob ecclesiae sanctitatem, nec tamen usurpatae consuetudinis causa damnare. Ita enim per omnes ecclesias ejusmodi vitiorum germen inolevit ut ad plena remedia difficilis[14] sit recursus; certe non sine verecundia eorum quos causa contigit. Quocirca, fratres, librato diu moderatoque consilio ea cautelae ratio servata est, quae et scandala submoveret et sanctitatem ecclesiae custodiret.

I[15]. *De digamis non ordinandis*[16].

Sedit igitur, neminem post hanc synodum, qua ejusmodi illicitis vel sero succurritur, de digamis aut internuptarum maritis ordinari clericum[17] posse; nec requirendum, utrumne initiati sacramentis divinis, anne gentiles, hac se infelicis sortis[18] necessitate macularint[19], cum divini praecepti casta sit forma. Sed quia fratrum nostrorum vel imperitiam vel simplicitatem vel etiam praesumptionem damnare non possumus, nec per omnes ecclesias quae sunt jam pridem male gesta

---

1) Collatum ad mss. codd. Regios 1451 A, 1452 B, 1455 C, 1563 R; Jesuitarum 563 A, 569 B, 570 C; Cotton. — 2) *Statuta synodi apud ecclesiam Valentinam* Reg. B. et Jes. B. — *Incipiunt statuta etc.* Reg. A, C, et Jesuit. A, C. — *Concilium Valentinum habitum tempore Gratiani et Valentiniani imperatorum* Reg. R et Cotton. — *Conc. Val. viginti episcoporum habitum era 413 Gratiano et Valentiniano imperatoribus sub die IV. Idus Julias Gratiano tertio et Equitio* [*Quintio* E. 3.] *consulibus* C. Hisp. — *Concil. Val. XX. episcoporum in quo statuti sunt canones IV. quorum auctor maxime Fegadius ep. extitit, subscribentibus Emerio, Florentio etc.* Collectio Isidori apud Harduinum. Alius ibidem codex habet, concilium fuisse XXX episcoporum. — 3) *Egadius* A. E. 4. G., *Fegatius* T. 2. — 4) *et ceteri episcopi in domino salutem* Reg. R, et Cotton. aliis omissis. — 5) *Anthemius* Æ. — 6) *Bricio* Reg. R. — 7) *Euphodius* C. Hisp. praeter Æ. in quo *Euphrodius*, et U. in quo *Eufomius*. — 8) Deest in Reg. A et Jes. C. Observat. Sirmondus in Codice Aniciensi litertula olim adjecta scriptum esse *Evortius*. — 9) *Cretus* C. Hisp. — 10) *Nicetius* deest in C. Hisp. — 11) Haec praefatio deest in Reg. A et Jesuit. C. — 12) *Valentinae* C. Hisp. — 13) *patrum* C. Hisp. — 14) *non facilis* C. Hisp. — 15) Nullo numero canones distinguuntur in Jesuit. B, C, et Cotton.; tituli canonum desunt in Reg. B, Jes. B, et Cott. — 16) *ne consecrentur* C. Hisp. — 17) *digamos* ... *maritos* ... *clericos* C. Hisp. — 18) *infelici sorte* C. Hisp. — 19) Pars hujus canonis subsequens deest in C. Hisp., in Reg. A, B, Jesuit. B, C, et Cotton.

corrigere, placuit etiam de eorum statu, qui prius ordinati sunt, nihil revolvi, si nulla extrinsecus causa procedat qua indigni ministerio comprobantur.

II. *De puellis deo devotis, si ad terrenas nuptias transierint* [1].

De puellis vero quae se deo voverunt [2], si ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut poenitentia his nec statim [3] detur, et cum data fuerit, nisi plene satisfecerint deo, in quantum ratio poposcerit earumdem [4] communio differatur.

III. *De iis qui post acceptum baptismum sacrificiis se daemonum vel incesta lavatione polluerint* [5].

Circa eorum vero personas, qui se post unum et sacrum lavacrum vel profanis sacrificiis daemonum vel incesta lavatione polluerint, eam censurae formam duximus esse servandam, ut his juxta synodum Nicaenam [6] satisfactionis quidem aditus non negetur, ne [7] infelicibus lacrymis vel solatii janua desperatione claudatur, acturi vero [8] poenitentiam usque in diem mortis; non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plene sperare debebunt, qui ejus largitatem [9] et solus obtinet, et tam dives misericordia [10] est ut nemo desperet; deus enim mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum.

IV. *Si quis de se verum vel falsum crimen sub ordinatione professus fuerit* [11].

Nec illud, fratres, scribere alienum ab ecclesiae utilitate censuimus, ut sciretis, quicumque se sub ordinatione vel diaconatus vel presbyterii vel episcopatus mortali crimine dixerint se esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos, reos scilicet vel veri confessione vel mendacio falsitatis. Neque enim absolvi in his potest, si [12] in se ipsos dixerint [13], quod dictum in alios puniretur, cum omnis qui sibi fuerit mortis causa major homicida fuerit [14].

Divina vos pietas in aeternum custodiat, fratres dilectissimi.

Epistola ejusdem concilii [15].

Dilectissimis fratribus, clero et plebi ecclesiae Forojuliensis Foegadius, Eumerius etc. in domino salutem. Quamvis ea

---

1) *Ut deo vota* [Æ.: *devota*] *si maritaverit vel moechaverit poenitentiae deputetur* C. Hisp. — 2) *voverint* Reg. C, Jes. B, et Cotton., et C. Hisp. (om. voce *deo*); *et praeclari nominis decore floruerint* add. Reg. C (cf. Arelat. II. c. 52). — 3) *ut poenitentia statim iis* Jesuit. A. 4) *earum* A. E. 4. T. 1. 2. U. G. — 5) *Ut qui baptizati idola colunt vel incesto polluti sunt, agant poenitentiam* C. Hisp. — Totus canon deest in Reg. A, B, et Jes. B, C. — 6) Can. II. — 7) *nec* C. Hisp. — 8) *vero* deest in C. Hisp. — 9) *qui jus ejus* C. Hisp. 10) *misericordiae* C. Hisp. — 11) *Ut sacerdos vel levita si de se crimen aliquod confitetur deponatur* C. Hisp. — 12) *nisi* C. Hisp. — 13) *Neque enim absolvi potest qui in seipsum dixerit* Reg. R. et Cotton. — 14) *sit* C. Hisp. — 15) *Item alia eorumdem quorum supra* C. Hisp. — Deest haec epistola in Reg. A, C, et Jes. C. —

Benedictus frater noster Concordius [1]) de sanctissimi Accepti persona suggesserit quae prudenti et Christiano viro digna sunt, quam quod [2]) studio omnium vestrum ad honorem sacerdotii poscatur edixerit: tamen quia in synodo jam sederat ordinationes hujusmodi submovendas quae sine scandalo esse non possunt [3]), non potuimus praestare uni quod ceteris negabatur. Et licet non ignoraremus multos verecundia et nonnullos suscipiendi sacerdotii metu trepidos, quae utique signa sunt sanctitatis, falsa in se rejiciendi honoris causa dixisse: tamen quia omnium fere ad ea quae sunt pejora proclive judicium est, et materies disputationum ex [4]) obtrectatione sacerdotum dei quaeritur, sedit in synodo ut quisquis de se vel vera vel falsa dixisset, fides ei quam suomet testimonio [5]) confirmaret haberetur. Quapropter decretum est submovendos protinus esse [6]) ab eo gradu quem ab omni scandalo liberum esse decet [7]).

Divina vos pietas in aeternum protegat, fratres dilectissimi [8]).

CONCILIUM TAURINENSE [9]).

Sancta synodus quae convenit in urbe Taurinatium die decimo [10]) Kalendas Octobris fratribus dilectissimis per Gallias et quinque provincias constitutis [11]).

Cum ad postulationem provinciarum Galliae sacerdotum [12]) convenissemus ad Taurinatium [13]) civitatem atque in ejusdem urbis ecclesia auctore vel medio [14]) domino sederemus, auditis allegationibus episcoporum, eorum videlicet qui ad judicium nostrum fuerant congregati, de singulis negotiis haec sententiae forma [15]) processit, ita ut pacis bonum [16]) et instituta [17]) canonum servarentur, et plurimorum intentionibus adhiberetur utilis medicina.

---

1) *noster Concordius* deest in Cod. Hisp. — Deest etiam *Concordii* nomen in Reg. A, C et Jes. C. — 2) *sint, cumque quo* C. Hisp. — 3) *possint* C. Hisp. — 4) *ex* deest in C. Hisp. — 5) *suismet testimoniis* C. Hisp. — 6) *submovendus* (om. verbis: *Quapr. decr. est* et *esse*) C. H. — 7) *licet* C. H. — 8) *fratres dilect.* deest in C. H. — 9) *Tauritanum* C. Hisp., *octoginta episcoporum* add. U., *septuaginta episc.* add. G. — Collatum est a monachis ord. Bened. ad mss. Regg. 1452 B, 1455 D, 1563 R, Jesuit. 563 A, Cotton. et Corbej. Tituli canonum desunt in Reg. B, D; in aliis ordine, numero ac verbis differunt; Corbej. quatuor tantum habet titulos, videlicet 1, 2, 6, 7, nullum canonem. — 10) Ita Reg. D.; numerus X. deest in Reg. B; ceterorum nullus diem aut mensem habet. — 11) *Fratribus dil. per Gall. et quinque prov. const. sancta syn. quae conv. in urbe Taurinantium* C. Hisp. — 12) *sacerdotes* C. Hisp. — 13) *Taurinantium* C. Hisp. 14) *mediatore* Reg. D, R. et Cotton. — 15) *haec sententia nostra* U. — 16) *ut paucis bonis* Reg. R, et Cotton., 17) *ut pacis bono statuta* C. Hisp.

I. *De primatu Proculi episcopi Massiliensis*[1].

Nam cum primum omnium vir sanctus Proculus, Massiliensis episcopus civitatis, se tanquam metropolitanum ecclesiis, quae in secunda provincia Narbonensi positae videbantur, diceret praeesse debere atque per se ordinationes in memorata provincia summorum fieri sacerdotum, siquidem assereret easdem ecclesias vel suas parochias[2] fuisse vel episcopos a se in iisdem ecclesiis ordinatos, et[3] e diverso ejusdem regionis episcopi aliud defensarent ac sibi alterius provinciae sacerdotem praeesse non debere contenderent: id judicatum est a sancta synodo contemplatione pacis atque concordiae, ut non tam civitati ejus, quae in altera provincia sita est cujus magnitudinem penitus nesciremus, quam ipsi potissimum deferretur, ut tanquam pater filiis honore primatus assisteret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate provinciae minime tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Haec igitur[4] ipsi tantum in vita ejusdem[5] forma servabitur, ut in ecclesiis provinciae secundae Narbonensis, quas vel suas parochias vel suos discipulos fuisse ordinatos constiterit, primatus habeat dignitatem. Illud quoque[6] a partibus sit observandum, quod licet ex superfluo non tamen inutiliter commonetur, ut ipse sanctus Proculus tanquam pius pater consacerdotes suos honoret ut filios, et memoratae provinciae sacerdotes tanquam boni filii eumdem habeant ut parentem, et invicem sibi exhibeant caritatis affectum, impleto hoc quod ait beatus apostolus: *Honore mutuo*[7] *praevenientes, non alta sapientes, sed humiliter consentientes.*

II[8]. *De primatu Arelatensis et Viennensis ecclesiae.*

Illud deinde inter episcopos urbium Arelatensis et Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, a sancta synodo definitum est, ut qui ex iis[9] approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciae honorem primatus obtineat et ipse juxta canonum praeceptum ordinationum[10] habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliore decretum est, ut si placet memoratarum urbium episcopis unaquaeque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas ecclesias visitet[11] quas oppidis suis vicinas[12] magis esse constiterit, ita ut memores unanimitatis atque concordiae non alter alterum longius sibi usurpando quod est alii proprium inquietet.

---

1) *Ut qui approbaverit suam civitatem metropolim fuisse, teneat primatum* C. Hisp. — 2) *parochias* deest in Reg. R et Cotton. — 3) *et* deest in C. Hisp. — 4) *igitur* deest in C. Hisp. — 5) *in diem vitae ejus* C. Hisp. — 6) *quoque* et *sit* desunt in C. Hisp. — 7) *invicem* Reg. R et Cotton. — Rom. 12, 10. 16. — 8) In Coll. Hisp. haec est secunda pars canonis primi. — 9) *ex his* C. Hisp. — 10) *juxta canonum ordinationes* Reg. R. et Cotton. — 11) *vindicet* Reg. B, et C. Hisp. praeter Æ. BR. U. — 12) *proximas* C. Hisp. —

III. *De ordinationibus illicitis contra statuta patrum praesumptis* [1].

Gestorum quoque seriem [2] conscribi placuit ad perpetem disciplinam, quae [3] circa Octavium, Ursionem, Remigium et Triferium [4] episcopos synodus sancta decrevit, qui in [5] usurpatione quadam [6] de ordinatione sacerdotum ad invidiam vocabantur. Quod iis eatenus [7] videtur indultum, ut de cetero hac auctoritate commoniti nihil tale usurpare conentur; si quidem ea se ab hac causa excusatione defenderint, quod dicerent prius se non esse conventos. Proinde judicavit synodus, ut siquis ex hoc fecerit contra statuta majorum, sciat is qui ordinatus fuerit sacerdotii se honore privandum, ille vero qui ordinaverit auctoritatem se in ordinationibus vel in conciliis minime retenturum. Non solum autem circa memoratos episcopos haec sententia praevalebit, sed et circa omnes qui simili errore decepti ordinationes hujusmodi perpetrarunt [8].

IV. *De Palladio laico qui presbytero crimen intulerat* [9].

De Palladio autem laico, qui Spano [10] presbytero non leve crimen intenderat, inter quos [11] episcopus Triferius ejusdem criminis causas se cognovisse [12] testatus est, id concilii decrevit auctoritas, ut idem Palladius in eadem sententia maneret, qua cognitionis tempore a Triferio fuerat sacerdote mulctatus, in hoc ei humanitate reservata concilii, ut ipse Triferius in potestate habeat quando voluerit ei relaxare.

V. *De Exuperantio presbytero qui episcopo suo contumeliosus extitit* [13].

Statuit quoque de Exuperantio presbytero sancta synodus, qui ad [14] injuriam sancti episcopi sui Triferii gravia et multa congesserat [15], et frequentibus eum contumeliis provocaverat, ita ut nonnulla fecerit [16] contra ecclesiasticam disciplinam, propter quam causam ab eo fuerat dominica communione privatus, ut in ejus sit arbitrio restitutio ipsius in cujus potestate fuit ejus abjectio, hoc est ut quando vel idem Exuperantius satisfecerit, vel episcopo Triferio visum fuerit, tunc gratiam communionis accipiat.

VI. *De iis qui a Felicis episcopi communione se separare voluerint, ut recipiantur* [17].

Illud praeterea decrevit sancta synodus, ut quoniam legatos

---

1) *Ut episcopi qui contra statuta faciunt honore priventur* C. Hisp. — 2) *serie* Reg R. et Cotton., et C. Hisp. — 3) *quod* C. Hisp. — 4) *ac Tryferium* C. Hisp., *Remedium ac Treverium* Reg. D solus. — 5) *in* deest in Reg. D, R, et Cotton. — 6) *in usurpationis quamdam*, om. voce *ad* ante *invidiam*, C. Hisp. — 7) *quod hactenus* [T. I. 2. *eatenus*] *his* C. Hisp. — 8) *perpetrarint* Reg. B, R, Cotton., C. Hisp. 9) *De laicis qui in clericos crimen intendunt* C. Hisp. — 10) *Ispano* Reg. R et Cotton., *Hispano* Reg. D. — 11) *et* (loco verborum *inter quos*) Reg. B. — 12) *recognovisse* C. Hisp. — 13) *De clericis qui per culpam ab episcopo suo excommunicantur* C. Hisp. — 14) *in* C. H. 15) *commiserat* . . 16) *faceret* Reg. R. et Cotton. — 17) *Ut qui se ab haeresi separat ab ecclesia suscipiatur* Reg. R et Cotton. *De eo qui se ab haereticis separare voluerit ut ab ecclesia catholica suscipiatur* C. Hisp.

episcopi Galliarum, qui Felici communicant, destinarunt; si qui [1]) ab ejus communione se voluerint [2]) sequestrare, in nostrae pacis consortium suscipiantur [3]), juxta literas venerabilis memoriae Ambrosii episcopi vel Romanae ecclesiae sacerdotis dudum latas, quae in concilio legatis praesentibus recitatae sunt.

VII. *Ut clericum alterius nemo suscipiat vel ecclesiae suae ordinet, neque abjectum in communionem recipiat* [4]).

Nec illud praetermittendum fuit quod synodi sententia definitum est, ut clericum alterius secundum statuta canonum nemo suscipiat, neque suae ecclesiae, licet [5]) in alio gradu, audeat ordinare, neque abjectum recipiat in communionem [6]).

VIII. *De ordinatis contra interdictum et de iis qui ordinati* [7]) *filios genuerunt.*

Hi autem qui contra interdictum sunt ordinati, vel in ministerio filios genuerunt, ne ad majores gradus ordinum permittantur, synodi decrevit auctoritas.

Incolumes vos dominus noster aevo longissimo conservare dignetur, domini fratres dilectissimi.

CONCILIUM REGENSE [8]).

Cum in voluntate domini apud Regensem [9]) ecclesiam convenissemus, et transgressionis apud Ebredunensem [10]) ecclesiam habitae remedium quaereretur, qua sacris ecclesiae canonibus ac reverendis patrum constitutionibus omni parte neglectis, absque trium episcoporum [11]) praesentia, absque comprovincialium literis, sine metropolitani auctoritate irritam ordinationis speciem a duobus temere convenientibus praesumptam esse clarebat: non minus doloris de praesumentium lapsu quam de ecclesiae ipsius convulsione in pectoribus omnium diutina collatione versatum est.

---

1) *ut si quis . . .* 2) *voluerit* C. Hisp. — 3) *consortio suscipiatur* C. Hisp. — 4) *Ut alterius clericum non promoveat alter nec abjectum recipiat* C. Hisp. — 5) *licet* abest a C. Hisp. — 6) *communione* C. Hisp. — 7) *De his qui contra interdictum sunt ordinati vel in honore* C. Hisp. — Canon iste in U. cum praecedente confusus et compactus est. — 8) Collatum ad mss. Regg. 1451 A, 1452 B, 1455 D, 1460 F, 1563 R, Jesuitarum 563 A, 569 B, 570 C, et Cottonianum. — *Concilium Regiense tredecim episcoporum habitum era 477 sub imperatoribus Theodosio minore et Valentiniano, Theodosio septies decies et Festo consulibus* C. Hisp. — 9) *Regiensem* C. Hisp. ubique. — 10) *Ebrudunensem* C. Hisp. ubique. — 11) *episcoporum* deest in C. Hisp.

I. *Ut duo qui soli ordinationem praesumpserant, ab omnibus deinceps ordinationibus et conciliis abstineant* [1]).

Primum itaque, quia non ulciscendi sed remediandi studium nutu domini universorum pectora prorsus sacerdotali consilio insederat, canonum in sermonibus singulis proprietate perspecta, placuit [2]) quod sicut reprobe [3]) praesumpta essent in irritum devocanda, ita eos qui reproba praesumpsissent, quamvis confundere censura cogeret, caritati liceret absolvere; praesertim cum hi qui tam perversa incidissent, a primo lapsus ipius die adhibitis passim precibus culpam poenitentes aut ignorantiae aut circumscriptioni imputassent; quia etsi inveniabile crederetur sacerdotem sacerdotalia statuta nescisse, levius tamen erat quam si ore impudenti fateretur se nota calcasse. Civilius est statuta nesciri quam scita omitti [4]). Itaque eos qui tam incondita ac tam instabilia usurpaverunt [5]), placuit misericordiae et caritatis occursu ita in communionem dilectionemque recipi, ut scirent secundum recentem [6]) et saluberrimam Taurinatis [7]) synodi definitionem ad perpetuam vitae istius suffusionem, nullis se de cetero ordinationibus, nullis ordinariis interfuturos esse conciliis, quia nihil salubre ab illis statuendum exspectaretur, qui [8]) tantae corruptionis tam detestanda exempla praebuerant.

II. *Ut Ebreduni, remoto eo qui perperam fuit assumptus, alia fiat legitima ordinatio.*

Ebredunensi [9]) ecclesiae ante omnia mature visum est consulendum, quia quatuor de biennio mensibus sacerdote legitimo destituta hoc gravius aegrotaverat, quod [10]) clerus innocens ac disciplinae, ut probatum est, memor quorumdam laicorum insolentia ac varia perturbatione vexatus etiam in sacerdotibus ac ministris minas ac jurgia et vim acerbissimam periculose perniciosa nuper caede pertulerat, nec poterat differri bonorum ac disciplinae memorum exspectatio [11]), ne viderentur contumacium et inquietorum vota palpari, quorum conspirationes iniquae [12]) machinationesque et in praeteritum quantum deprehendi possint animadversione ecclesiastica puniendae et in futurum anticipandae erant. Itaque ordinationem, quam canones irritam definiunt, nos quoque evacuandam [13]) esse censuimus, in qua praetermissa trium praesentia nec expetitis comprovincialium literis metropolitani quoque voluntate neglecta prorsus nihil quod episcopum faceret ostensum est. Itaque

---

1) In C. Hisp. canon I. incipit a verbis: *Itaque eos qui tam incondita etc.* cum titulo: *Ut non habeatur episcopus a duobus episcopis ordinatus.* — 2) *patuit* A. Æ. E. 3. 4. U. G. — 3) *reproba quae* C. Hisp. — 4) Ita Reg. B et Jes. B, desunt haec verba: *Civilius est etc.* in C. Hisp. 5) *usurpaverant* C. H. — 6) *rectam* Reg. R. et Cotton. — 7) *Taurinensis* T. 2. — Vide can. 3. — 8) *quia* C. Hisp. praeter U. — 9) *Ebrudunensi* C. Hisp. — cf. pag. seq. not. 1. — 10) *ut* C. Hisp. — 11) *spectatio* C. Hisp. — 12) *iniquae* deest in C. Hisp. — 13) *vacuandam* C. Hisp. —

placuit [1] in voluntate domini, remoto eo qui perperam assumptus erat episcopus, fieri omnino fratrum constitutionem ecclesiastica traditione servata.

III. *Armentario qui perperam fuerat ordinatus, poena remissa, chorepiscopi nomen certis legibus indultum.*

Verum quia haec sancta synodus non disciplinae tantum curam sed et misericordiae gessit, cumque occurreret quod se Armentarius diebus proximis eidem ecclesiae multa assentatorum insolentia retulisset, occurrebat tamen quod ante admonitionem discessisset, quod a nonnullis sacerdotum in hoc ipsum confirmatus se etiam privatae domui reddidisset, quod epistolas ad clerum ipsum emiserat, quibus episcopatui quem se non indemptum agnoscebat aperte renunciaverat, errati sui veniam petens [2], et hoc ipsum quod instabiliter in se praesumptum erat jam tunc inordinatum et irritum factum protestaturum [3] esse confirmans, in illam potius partem declinata sententia est, ut juveni educato in timore domini plus suffragaretur, quod in actu vitiosissimo interdum sana sensisset, quam quod juvenilibus titillationibus in aliqua parte cessisset. Itaque praetermissis his quae in ingressu [4] ipsius eum absque ullius excusationis effugio societate culpae resperserant [5], velut innocentem eumdem praeterire sacerdotes domini, qui huic concilio aderant, damnatione vacuum maluerunt [6]. Quod ergo in quibusdam schismaticis magis quam haereticis [7] recipiendis Nicaenum concilium statuit a singulis per territoria sua hoc etiam praesens conventus in hoc statuit ab omnibus debere servari: id est ut cuicumque de fratribus tale aliquid caritatis consilia dictaverint, liceat ei unam parochiarum suarum ecclesiam cedere [8], in qua aut chorepiscopi [9] nomine, ut idem canon loquitur, aut peregrina ut ajunt communione foveatur [10]. Primum itaque statuitur, ut hoc in qualibet provincia praeterquam in Alpina maritima liceat; quam si in aliqua parte accesserit, ut malorum incitator et quietis impatiens damnationi quam in se provocaverat subjacebit. Sed et si quis eidem quidquam ex his quae statuta sunt transgredienti communicaverit, a communione omnium fiat [11] alienus. Deinde ut quolibet in loco praeterquam in publico agat, nec quis [12])

---

1) His verbis incipit Can. II. in C. Hisp. cum titulo: *De remotione ejus quem ordinare perperam duo praesumpserunt.* — 2) Sic locum restituerunt monachi ord. Bened. ex Reg. R et Cotton. — *episcopatum . . indeptum agnoscebat appetere nuntiaverat, eradi nomen suum petens* C. H. 3) Ita iidem codices Paris.; *futurum protestatum* C. H. — 4) *quae regressu* C. H. — 5) *culpae sociatum asseverant* Reg. R et Cotton.; *culpae societatis respexerant* C. H. — 6) *de indulto eidem peregrini vel coepiscopi nomine* add. C. Hisp., in quibus hoc demum loco can. III. incipit cum titulo: *De haereticis et schismaticis episcopis, si ad catholicam fidem venerint, quid observent.* — 7) Verba: *magis quam haereticis* desunt in C. H. — 8) *concedere* T. 2. — 9) *coepiscopi* C. Hisp. praeter A. in quo: *episcopi.* — 10) *frueretur* C. Hisp. praeter A. in quo: *fruatur.* — Vide Nicaen. c. 7. — 11) *fiet* C. H. 12) *ageretur ne quisquam* C. Hisp. —

ei locus decernatur quem curiae et civitatis species aut ordo nobilitat. Additur, ne unquam in civitatibus vel sub episcoporum absentia offerre praesumat, nec ordinare vel ultimum clericum, nec in ea quidem ecclesia quae illi cujuscumque misericordia fuerit attributa, nec ulli episcoporum vel succedente aetate assumpto in rudimentis suis huic in aliquo quasi pro aetatis reverentia cedere liceat, nec usquam ipsi quidquam de episcopalibus officiis usurpare, praeterquam in ecclesia quam cujusquam misericordia fuerit indeptus, in qua ei solum neophytos confirmare et ante presbyteros offerre conceditur. Quod si unquam aliquid caritate alterius provocatus de habitationis commutatione variaverit, non aliter in alia ecclesia requiem accipiat quam in priori habuit cui renunciaverat [1]), nec omnino unquam duarum ecclesiarum gubernationem obtineat, cui etiam, in ea quae ipsi conceditur ministros a civitatis episcopo necesse est ordinari.

IV. *De clericis qui ab Armentario temere provecti dicebantur.*

Sane quia ministrorum mentio facta est et nonnulli ab ipso inventi excommunicati temere in clero provecti dicuntur, statutum est eos qui ita assumpti sunt [2]) deponendos; quibus autem nulla conversationis macula praejudicaverit [3]), prout Ebredunensi sacerdoti constituendum visum esset [4]), aut in ecclesiae suae ministerio tenendos, aut ad ipsum quocumque habitasset transferendos. Plebi quam acceperit [5]) ex constitutionis hujus permissu [6]) benedicere, et [7]), ut supra definitum est, in una eademque ecclesia neophytos confirmare, in castellis ac vicis totum illi [8]) ante presbyteros sicubi venerit liceat, quod in civitatibus omnino praescribitur [9]).

V. *Quod presbyteris liceat privatim benedictionem desiderantibus impertiri* [10]).

Et inter minutas has discussiones et indefinitas [11]) visum est, omni presbytero per familias, per agros, per privatas domos pro desiderio fidelium facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas jam provincias habere succurrit [12]). Huic autem [13]) etiam in ecclesiarum plebibus per loca tamen magis quam per urbes hoc idem visum est esse tribuendum. In ecclesia quoque in [14]) qua ordinatus fuerit consecrandi virginem, sicut confirmandi neophytum jus habebit, et per omnia ut sit multae indulgentiae testimonium, semper se inferiorem episcopo, superiorem presbytero agat; mandatis votisque omnium sanctorum prosequentibus vivat in timore domini, quietem colat, deo

---

1) *quam priori renuntiaverit* C. H. — 2) *essent* C. H. — 3) *praejudicaret* C. H. — 4) *constituendo visum est* C. H. — 5) *acciperet* C. H. 6) *permissione* C. H. — 7) *et* deest in C. H. — 8) *illud* T. 2. — 9) *omnino non praesumat* T. 2. — 10) *Ut presbyter et benedicat et confirmet* [*sanctificet* T. 2.] *neophytum* C. Hisp., in quibus est c. IV. — 11) *et indefinitas* deest in C. H. — 12) *occurrit* C. H. — 13) *autem* deest in C. H. — 14) *in* deest in C. H. —

serviat, synodi circa se benevolentiae gratias agat, semperque indignum se indultis et negatis imparem esse fateatur.

VI. *Ut defuncto episcopo ecclesiae illius curam vicinus gerat episcopus* [1]).

In commune autem omnes qui convenerant sacerdotes sibimetipsis contra hujusmodi scandala praecavendum censuerunt. Itaque propter ejusmodi temeritatem [2]) tali definitione consultum est, ut de cetero observaretur ne quis ad eam ecclesiam, quae episcopum perdidisset, nisi vicinae ecclesiae episcopus exequiarum tempore accederet: qui [visitatoris vice [3])] tamen statim ecclesiae ipsius curam districtissime gereret, ne quid ante ordinationem discordantium in [4]) novitatibus clericorum subversioni liceret. Itaque cum tale aliquid accidit, vicinis vicinarum ecclesiarum inspectio, recensio descriptioque mandatur.

VII. *Ne quis ad ordinationem veniat nisi metropolitani literis invitatus* [5]).

Haec autem omnia exequiarum tempore usque ad septimam defuncti diem aget. Exin se [6]) ecclesiae referens mandatum metropolitani, simul cum omnibus sanctis [7]) episcopis opperietur [8]). Nec quisquam ad ecclesiam quae summum amiserat sacerdotem nisi metropolitani literis invitatus accedat, ne a plebe decipiatur et vim pati voluisse videatur.

VIII. *Ut singulis annis bini fiant conventus.*

Quae voluntate communi in voluntate domini constituta omnes communi consensu conservanda neque, quod absit, sine offensa omnium ac dei a quoquam transgredienda definiunt: adjicientes ut secundum antiquam constitutionem, si quies temporum erit, bis in anno conventus agant, ac certe inter quaslibet anxietates, neglectis propriis ac domesticis necessitatibus, simul gratias agentes deo, solum ecclesiae remedium remota ultionis prurigine atque omni animositate quaerant [9]).

---

1) *Can. V. Ut episcopus qui sepelierit episcopum curam habeat ecclesiae ipsius* C. H. — 2) *hujusmodi temeritates* C. H. — 3) Haec desunt in Reg. R et Cotton., et in C. H. — 4) *in* deest in Reg. R et Cotton. Quidam alii *ignavitatibus.* — 5) *Can. VI. Ut absque metropolitano nullus ordinetur episcopus* C. H. — 6) *eximiae* C. H. — 7) *socii* Æ. — 8) *sepeliretur* C. H. — 9) Hunc locum in Mss. et editis valde intricatum ex editione Biniana nec non ex codicibus Reg. B et Jesuit. C restituerunt monachi ordinis S. Benedicti. Sirmond, puncto post verbum *agant* interposito, sic habet: *Certe ... necessitatibus quoquomodo simul gratias agentes deo, quo donante quidquid spiritu considerant consurgentes, solum ecclesiae remedium ... quaesissent.* Haec verba: *quidquid — consurgentes* ut insititia expunxerunt quia absunt a Reg. B et Jes. C. Ceterum totus hic canon deest in Regg. F, R, Cotton., Jes. B, in editione Merlini, et in Codd. Hisp. In editione Crabbeana a. 1551 primum prodiit ex Cod. Gemblacensi. —

IX. *De his qui ecclesiarum vel earum* [1] *cultoribus id est sacerdotibus seditiosi extiterint* [2].

Perventum est huic sanctae synodo quod aliqui ignoti institutiones canonum fastu superbiae editiones [3] antiqui hostis consilio emutilare nituntur, qui non humiles sed superbi seditionemque [4] ecclesiabus dei vel ejus sacerdotibus persistunt; placuit omni synodo hos tales ab ecclesia dei et a coetu catholicorum segregari ac excommunicatos exilio relegari, ut post correcti satisfactione [5] poenitentiae ad sanctam communionem possint iidem admitti, non ad clerum.

X. *Ut bis in anno concilium fiat* [6].

Sufficere visum est bis in anno per singulas provincias episcoporum concilium fieri, semel quidem post tertiam hebdomadam paschalis festivitatis, ita ut in quarta quaque [7] hebdomada quae consequitur, id est media pentecoste [8] concilium compleatur. Admoneant autem comprovinciales episcopi ii qui peramplioribus, id est in metropolitanis civitatibus degunt. Secundum vero concilium Idibus Octobribus [9] pro [10] vindemiae temporibus habeatur, qui dies apud Graecos Hyperberetaei mensis decimus invenitur. In ipsis autem conciliis et presbyteros et diacones et judices, sive curiales ac privatos [11] praesentes esse oportet, et omnes quotquot se laesos existimant [12] causas enarrent et synodicam expectent sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos concilia metropolitanorum queat esse praesentia [13] et absque metropolitanorum episcoporum conscientia facere, quibus de omnibus causis veridicum ac fidelissimum constat emissum esse sanctionis judicium [14].

---

1) *eorum* Bened. — 2) Hic canon et sequens ex cod. Urgelitano desumpti sunt, qui eos ponit post septimum, octavumque interim omittit. Desunt in codicibus reliquis omnibus. Eosdem ex eodem dant monachi ordinis S. Benedicti, sed variantibus illis lectionibus, quas apposito nomine *Bened.* notavimus. — 3) Forte *elatiores* ait Balutius, forte *elatiores* Benedictini. Nos autem hoc verbum supervacaneum existimamus, ajunt editores Collect. Hisp. — 4) Lege: *seditiosique.* Bened. — 5) *satisfactionem* Bened. — 6) *agitetur* Bened. 7) *quoque* Bened. — 8) *pentecosten* Bened. — 9) *Octobris* Bened. 10) *post* Bened. — 11) *privati* Bened. — 12) Bened. punctum hoc loco interponunt. — 13) Abundare videntur haec verba *metr. queat esse praes. et*, aut ad quaedam alia hic praetermissa referenda. — 14) *Sicut in nomine Christi consedimus, manu propria subscribamus* add. Bened. —

CONCILIUM ARAUSICANUM PRIMUM [1]

I [2]. *De haereticis si in mortis discrimine convertantur.*

Haereticos in mortis discrimine positos si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris [3] cum chrismate et benedictione consignari placuit.

II. *De non iteranda chrismatis benedictione* [4].

Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit [5] officium, sine chrismate usquam debere progredi, quia inter nos placuit semel [6] chrismari. De eo autem qui in [7] baptismate quacumque necessitate faciente non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos commonebitur [8]. Nam inter quoslibet [9] chrismatis ipsius nonnisi una benedictio est, non ut praejudicans quidquam [10], sed ut non [11] necessaria habeatur repetita chrismatio.

III. *De* [12] *poenitentibus qui de corpore recedunt* [13].

Qui recedunt de corpore poenitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione iis communicari [14], quod morientis sufficit consolationi secundum definitiones patrum, qui hujusmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod [15] si supervixerint, stent in ordine poenitentium, et [15] ostensis necessariis poenitentiae fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiant [16].

IV. *Poenitentiam clericis non negandam* [17].

Poenitentiam desiderantibus clericis non negandam.

V. *Qui ad ecclesiam confugiunt tradi non debent* [18].

Eos qui ad ecclesiam confugerint tradi non oportere, sed loci [19] reverentia et intercessione defendi.

---

1) Collatum ad mss. Codd. Regg. A, B, D, F, R, S, Jesuit. A, B, C, et Cottonianum. — *Conc. Aurasicum* [*Arausicum*-BR. T. 1. 2.] *sexdecim episcoporum habitum era 479. Theodosii minoris temporibus sub die VI. Idus Novembris Cyro consule in ecclesia Justinianensi* Codd. Hisp. — *era 489.* Reg. F. — *Theodosio juniore et Dioscoro coss.* Reg. R et Cotton. — 2) Tituli canonum a Sirmondo confecti. Variant enim in Codd. Reg. F et Jesuit. A et quoad numerum et quoad verba. — 3) Quidam mss. *per presbyterum,* et deinde *placet.* — *a presbytero* C. Hisp. — 4) *Ut nullus minister sine chrismate proficiscatur* C. Hisp. — Can. II. in quibusdam Codd. Parisiensibus ordine primus. — 5) *recipit* C. H. — 6) *in baptismate* add. Reg. R et Cotton. — 7) *in* deest in C. Hisp. — 8) *non commonebitur* in m. M. — 9) *quos* C. Hisp. — 10) *dico* add. Reg. R et Cotton.; *non praejudicantes cuiquam hoc dicimus* in m. M. — 11) *non* om. in editionibus Merlin., Crabb., Sur., Bin. — 12) *De non reconciliatis* T. 2. — 13) *exeunt* C. Hisp. — 14) *communicare* (absque *iis*) Reg. R et Cotton. — 15) *ut* C. Hisp. — 16) *accipiant* C. Hisp. — 17) *De clericis poenitentiam volentibus* C. Hisp. — 18) *De his qui ... ne tradantur* C. Hisp. — 19) *sancti* add. C. Hisp.

VI. *De iis qui ecclesiae mancipia occupant pro suis* [1]).

Si quis autem mancipia clericorum pro suis mancipiis ad ecclesiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes ecclesias districtissima damnatione feriatur.

VII. *De manumissis in ecclesia vel ecclesiae per testamentum commendatis* [2]).

In ecclesia manumissos vel per testamentum ecclesiae commendatos si quis in servitutem vel obsequium vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coerceatur [3]).

VIII. *Si quis alibi consistentem clericum ordinandum putarit* [4]).

Si quis alibi consistentem [5]) clericum ordinandum putaverit, prius definiat ut cum ipso habitet. Sic quoque non sine consultatione ejus episcopi cum quo ante habitavit, eum [6]) qui fortasse non sine causa diu ab alio ordinatus non est ordinare praesumat.

IX. *De iis qui alienos cives ordinant* [7]).

Si qui autem alienos cives aut alibi consistentes ordinaverint, nec ordinati in ullo accusantur [8]), aut ad se eos revocent aut gratiam ipsis [9]) eorum impetrent cum quibus habitant.

X. *Si quis ecclesiam in alienae civitatis territorio aedificet* [10]).

Si quis episcoporum in alienae civitatis territorio ecclesiam aedificare disponit, vel pro fundi sui negotio aut ecclesiastica utilitate vel pro quacumque sua [11]) opportunitate, permissa licentia aedificandi, quia prohibere [12]) hoc votum nefas est, non praesumat dedicationem, quae illi omnimodis reservatur in cujus territorio ecclesia assurgit, reservata aedificatori episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is cujus territorium est, vel si ordinati jam sunt ipsos habere acquiescat. Et omnis ecclesiae ipsius gubernatio ad eum in cujus civitatis territorio ecclesia surrexerit [13]) pertinebit. Quod si etiam saecularium quicumque ecclesiam aedificaverit, et alium magis quam eum in cujus territorio aedificat invitandum putaverit, tam ipse cui contra constitutionem ac disciplinam gratificari [14]) vult quam omnes episcopi qui ad hujusmodi dedicationem invitantur a conventu abstinebunt [15]).

---

1) *De mancipiis confugientibus ad ecclesiam* C. Hisp. — 2) *De libertis qui ecclesiae commendati sunt ne opprimantur* C. H. — 3) *coercebitur* C. H. — 4) *De his qui clericum alienum ordinare praesumunt* C. H. 5) *Si quilibet consistentem alibi* C. H. — 6) *nec eum* C. Hisp., conjunctis iis quae antecedunt (*sic quoque*) cum prioribus. — 7) *ordinaverunt* C. H. — 8) *Si quis .. ordinaverit, ne inordinati .. accusentur* C. H. — 9) *ipsi* C. H. — 10) *De episcopis qui non in possessione sua sed in aliena dioecesi basilicam construxerunt* C. H. — 11) Sex Codd. mss. hunc locum sic exhibent: *pro fundi sui aut ecclesiastici vel pro quacumque suorum.* Ita quoque Codd. Hisp. — 12) *prohiberi* C. H. — 13) *surrexit* C. H. — 14) *gratificare* C. H. — 15) Reliqua hujus canonis desunt in Reg. R et Cotton. —

Si quis excesserit, in reatum devocabitur [1]: si quis excesserit, ordinem recognoscat.

XI. *Quod episcopus ei, qui ab alio excommunicatus est, communicare non debeat* [2].

Placuit in reatum venire episcopum, qui admonitus de excommunicatione cujuscumque, sine reconciliatione ejus qui excommunicavit, ei communicare praesumpserit, ut integra omnia, si reconciliatio intercesserit, de justitia vel de iniquitate excommunicationis proximae synodo reserventur.

XII. *Subito obmutescenti danda est poenitentia si petat* [3].

Subito obmutescens, prout status [4] est, baptizari aut poenitentiam accipere potest si voluntatis aut praeteritae testimonium aliorum verbis habet [5] aut praesentis in suo nutu.

XIII. *Amentibus quae pietatis sunt conferenda* [6].

Amentibus quaecumque pietatis sunt conferenda.

XIV. *Energumenis baptizatis si monitis obtemperant danda communio* [7].

Energumeni baptizati, si de purgatione sua curant et se sollicitudini clericorum tradunt monitisque obtemperant, omnimodis communicent sacramenti ipsius virtute [8] vel muniendi ab incursu daemonii [9] quo infestantur vel purgandi quorum jam ostenditur vita purgatior.

XV. *Energumenis catechumenis de baptismate consulendum* [10].

Energumenis [11] catechumenis quantum [12] vel necessitas exegerit vel opportunitas permiserit de baptismate consulendum.

XVI. *Arreptitii clerici ne fiant, et qui ordinati sunt ab officio repellantur* [13].

Qui palam aliquando arrepti sunt, non solum non assumendi ad ullum ordinem clericatus, sed et si jam aliqui ordinati sunt ab imposito officio repellendi.

XVII. *Ut in unum propositio sacramenti ordinetur* [14].

Cum capsa et calix [15] offerendus [16] est, et admixtione eucharistiae consecrandus [17].

---

1) Verba: *Si quis — devoc.* absunt a Reg. A, B et Jes. C, et abundare videntur. — 2) *De episcopis qui excommunicatum alterius suscipiunt* C. H. — 3) *De his qui subito obmutescunt quod et baptismum et poenitentiam accipere possint* C. H. — 4) *statutum* C. H. — 5) *habeat* C. H. — 6) *De his qui mente desipiunt* C. H. — 7) *De energumenis baptizatis* C. H. — 8) *virtuti* C. H. — 9) *daemonum* U. G. — 10) *Ut energumeni et catechumeni de baptismo consulantur* C. Hisp. praeter A. in quo deest hic canon. — 11) *et* add. C. H. — 12) *in quantum* C. H. — 13) *Ut energumeni ad clerum non promoveantur* C. H. 14) *consecretur* C. H. — 15) *Cum calice et patena* Hisp. A. — 16) Omnes Codd. praeter Reg. R et Cotton.: *inferendus*. Ita etiam C. H. 17) Reg. R et Cotton. hunc canonem sic exhibent: *Admixtionem eucharistiae simul consecrandam censuimus.* —

XVIII. *Ut catechumeni lectionem evangelii* [1]) *audiant.*

Evangelia deinceps placuit catechumenis legi apud omnes provinciarum nostrarum ecclesias [2]).

XIX. *Ut catechumeni ad baptisteria* [3]) *non accedant.*

Ad baptisterium catechumeni nunquam admittendi.

XX. *Ut catechumeni benedictionem cum fidelibus non accipiant.*

A fidelium benedictione [4]) etiam inter domesticas orationes, in quantum caveri potest, segregandi informandique sunt [5]) ut se revocent, et signandos vel benedicendos semotim offerant.

XXI. *Si duo episcopum ordinare praesumpserint gradum amittant* [6]).

In nostris provinciis placuit de praesumptoribus, ut sicubi contigerit duos episcopos episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum ecclesiae ipse qui vim passus est substituatur, si tamen vita respondet; et alter in [7]) alterius dejecti loco nihilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, et ipse damnabitur, quo cautius ea quae sunt antiquitus statuta serventur.

XXII. *Ut clerici conjugati nisi castitatem professi fuerint* [8]), *diaconi non fiant.*

Sedit [9]) praeterea ut deinceps non ordinentur diacones conjugati, nisi qui prius conversionis proposito professi fuerint castitatem.

XXIII. *Ut diaconus qui ab uxore sua non abstinet ab officio abjiciatur* [10]).

Si quis autem post acceptam benedictionem leviticam cum uxore sua incontinens invenitur, ab officio abjiciatur.

XXIV. *Qui prius ordinati incontinentes fuerint ulterius non promoveantur* [11]).

De his autem qui prius ordinati hoc ipsum inciderunt, Taurinatis [12]) synodi sequendam esse sententiam, qua jubentur non ulterius promoveri.

XXV. *De viris probatis* [13]), *si qui e bigamis clerici fiant, ne ultra subdiaconatum provehantur.*

De idoneis autem et probatioribus [14]) viris, quos clericatui alligari ipsa vitae gratia suggerit [15]), si forte inciderunt dupli-

---

1) *evangelia* (om. v. *lectionem*) C. H. — 2) *omnem* . . *ecclesiam* C. H. 3) *baptisterium* C. H. — 4) *Ad fid. benedictionem* C. H., addita voce *catechumeni* in U. — 5) *sunt* abest a C. H. — 6) *Ut duo episcopi episcopum non faciant* C. H. — 7) Verba: *alter in*, desunt in C. H, eorumque editores majoris interpunctionis signum post vocem *substituatur* collocaverant. — 8) *nisi continentiam profiteantur* C. H. — 9) *Sed id* C. H. praeter Æ., addita voce *statuimus* post *conjugati* in U. 10) *De his qui post acceptum diaconium incontinentes inveniuntur* C. H. — 11) *De incontinentibus clericis* C. H. — 12) *Tauritanae* T. 2. — Can. VIII. 13) Reliqua tituli verba desunt in C. H. — 14) *probatis* T. 2. — 15) *gravitas cogit* BR. T. 1. 2.; *gratia ita egerit* A. Æ. E. 3. *gratuitas cogit* U.

cata matrimonia, non [1]) ultra subdiaconatum [2]) ecclesiasticas capiant dignitates.

XXVI. *De diaconissis non ordinandis* [3]) *et iis quae jam sunt revocandis.*

Diaconae [4]) omnimodis non ordinandae: si quae jam sunt, benedictioni quae populo impenditur capita submittant.

XXVII. *De viduis professis si nupserint aut raptae fuerint* [5]).

Viduitatis servandae professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita ab episcopo veste viduali indicandam [6]). Raptorem vero talium [7]) vel ipsam talis professionis desertricem merito esse damnandam.

XXVIII. *Professae castitatis praevaricatoribus poenitentia consulendum* [8]).

In utroque sexu desertores professae castitatis praevaricatores habendi, et his omnibus per poenitentiam legitimam consulendum.

XXIX. *Ut nullus conventus sine alterius conventus denunciatione solvatur* [9]).

Haec quae subscripsimus [10]) cum eorum quoque concordia qui consensus dederunt, rata deinceps inter nos ac nostros haberi volumus, et habenda sancimus; non ita praetereuntes eos qui synodo aut per se aut per consensus suos vel ad vicem sui per legatos destinandos [11]) adesse detrectant, ut sibi supra nos illi placeant qui patrum statuta despiciunt, quibus bis in anno, quod nobis pro temporum qualitate difficile est, sanctum est conveniri [12]); adjicientes quod si [13]) similibus deinceps paginis pro salubritate ac remediis ecclesiasticis congregare conventus voluerimus, constituamus [14]) ut nullus conventus sine alterius conventus denunciatione solvatur. Itaque sequenti anno, si domino ac deo nostro Jesu Christo permittente conceditur, die XV. Kalendas Novembres [15]) Luciano [16]) in Arausico territorio conventum habebimus: qui ideo tanto prius per conventum ipsum denunciatur, ut tam excusationis libertas quam invitationis necessitas non sit. De die enim ac loco per nos ipsos commonebimus, singuli nobiscum in exemplaribus ea quae per nos sunt constituta referentes: reliquos qui defuerunt beatissimi fratris nostri Hilarii sollicitudini relinquimus, datis ad ipsos horum exemplaribus commonendos.

---

1) *ut non* C. H. — 2) *vel* add. C. H. — 3) Reliqua tituli verba desunt in C. H. — 4) *Diaconissae* C. H. — 5) *De foeminis quae viduitatem professae sunt coram episcopo* C. H. — 6) *non esse violandam* C. H. — 7) *ejus vero raptorem* C. H. — 8) *De his qui professi sunt castitatem si praevaricaverint* C. H. — 9) *Ut nullus episcopus de concilio sine consensu discedat aut ad concilium ire excuset* C. H. — 10) *subscribimus* C. H. — 11) *destinando* C. H. — 12) *convenire* C. H. — 13) *si* deest in C. H. — 14) *eccl. congregandi adjicere optamus* C. H.. — 15) *Decembres* Reg. A et Jes. C. — 16) *Justiniano* omnes Codd. mss. quos viderunt Benedictini, et Codd. Hisp. —

XXX. *Ut episcopus infirmus non per presbyteros sed per alium episcopum agenda curet quae propria sunt episcopi* [1]).

Post omnia occurrit de imbecillitatibus fragilitatis humanae, ut si quis episcopus per infirmitatem debilitatemve [2]) aliquam aut hebetudinem sensus inciderit, aut officium oris amiserit, ea quae non nisi per episcopos geruntur, non sub praesentia sua presbyteros agere permittat, sed episcopum evocet cui quod in ecclesia agendum fuerit imponat.

CONCILIUM VASENSE PRIMUM [3]).

I [4]). *Ut Gallicani episcopi supervenientes in Galliis* [5]) *non discutiantur.*

Placuit ergo [6]) tractatu habito episcopos de Gallicanis provinciis venientes intra Gallias non discutiendos, sed solum sufficere si nullus communionem [7]) alicujus interdixerit; quia inter circumhabitantes ac sibi pene invicem notos non tam testimonio indigent probi, quam denotatione ac denunciationibus depravati.

II. *De poenitentibus subito mortuis, ut eorum oblationes recipiantur.*

Pro his qui poenitentia accepta in bonae [8]) vitae cursu satisfactoria compunctione viventes, sine communione, inopinato nonnunquam transitu, in agris aut in itineribus praeveniuntur, oblationem recipiendam et eorum funera ac deinceps memoriam ecclesiastico affectu prosequendam; quia nefas est eorum commemorationes [9]) excludi a salutaribus sacris, qui ad eadem sacra fideli affectu contendentes, dum se diutius reos statuunt, indignos salutiferis mysteriis judicant [10]) ac dum purgatiores restitui desiderant, absque sacramentorum viatico intercipiuntur, quibus fortasse nec absolutissimam reconciliationem sacerdos denegandam putasset.

---

1) Canonis hujus XXX. verba in C. Hisp. ad XXIX. pertinent can. — 2) *debilitatem vel* (om. voce *aut*) C. H. — 3) Collatum ad mss. Codd. Regg. A, B, D, F, R, S, Jesuitarum A, B, C, et Cottonianum. — *Conc. Vas. I. habitum era 480 apud Auspicium episcopum ecclesiae catholicae Theodosii minoris temporibus Dioscoro consule sub die Idus Novembris* C. H. — 4) Tituli canonum quinque priores cum Reg. F conveniunt; ceteri a Sirmondo ut videtur confecti; variant enim in mss. Codd. — Canones tres primi desunt in Reg. A, B, Jes. C; iidem et quintus in Jes. C; nonus et decimus in Reg. R. Ceterum non eadem in editis et in omnibus mss. canonum divisio. — 5) *in Gallias* (om. voce *supervenientes*) C. H. — 6) *ergo* deest in Reg. R, S, ac Cotton. — 7) *communioni* C. H. — 8) *bono*. C. H. — 9) *commemorationem* C. H. — 10) *indicant* (om. voce *dum*) C. H. —

III. *Ut ab alieno*[1] *episcopo chrisma nullus petat*[2] *sed tantum a proprio.*

Per singula territoria presbyteri vel ministri[3] ab episcopis, non prout libitum fuerit a vicinioribus, sed a suis propriis per annos singulos chrisma petant, appropinquante solemnitate paschali, nec per quemcumque ecclesiasticum, sed si qua necessitas aut ministrorum occupatio est, per subdiaconem, quia inhonorum est inferioribus summa committi; optimum autem est, ut ipse suscipiat, qui in tradendo usurus est. Si quid obstat, saltem is cujus officii est sacrarium disponere et sacramenta suscipere.

IV. *Ut qui oblationes defunctorum retinent excommunicentur.*

Qui oblationes defunctorum fidelium detinent[4] et ecclesiis tradere demorantur, ut infideles sunt ab ecclesia abjiciendi, quia usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc divinae pietatis exacerbationem, qua et fideles de corpore recedentes votorum suorum[5] plenitudine, et pauperes collatu alimoniae et necessaria sustentatione fraudantur. Hi enim tales quasi egentium necatores, nec credentes judicium dei habendi sunt. Unde et quidam patrum hoc[6] scriptis suis inseruit congruente sententia qua ait: Amico quippiam rapere furtum est, ecclesiam fraudare sacrilegium.

V. *Ut qui sententiae episcopi sui non acquieverit*[7] *recurrat ad synodum.*

Si quis episcopi sui sententiae non acquiescit, recurrat ad synodum.

VI. *De epistola sancti Clementis, quod ab iis averti debeant qui subsunt, a quibus qui praeest aversus est*[8].

Ex epistola sancti Clementis[9] utilia quaeque praesenti tempore ecclesiis necessaria sunt honorifice proferenda, et cum reverentia ab omnibus fidelibus ac praecipue clericis percipienda[10]: ex quibus quod[11] specialiter placuit, propter[12] venerandam antiquitatem statutis praesentibus roboramus, quod suprascriptus beatus martyr de beatissimi apostoli Petri institutione commemorat dicens: Quaedam autem etiam ex vobis ipsis intelligére debetis, si qua sint[13] quae ipse propter[14] insidias hominum malorum non potest evidentius et manifestius proloqui. Verbi gratia, si[15] inimicus est alicui pro actibus suis, vos nolite expectare ut ipse vobis dicat: Cum illo nolite amici esse; sed prudenter observare debetis et voluntati, ejus

---

1) *alterius* C. H. — 2) *accipiat*, om. seqq., C. H. — 3) *vel ministri* deest in Reg. R et Cotton. — 4) *retinent* (om. voce *fidelium*) C. H. 5) *suorum* deest in C. H. — 6) *in hoc* C. H. — Hieronymi ep. II. ad Nepotianum. — 7) *acquiescit* C. H. — 8) *Ut excommunicatus humiliet semetipsum ut festinius reconcilietur* C. H. — 9) Quae videlicet ad Jacobum inscribitur quamque Rufinus latine vertit. — 10) *recipienda* C. H. — 11) *quid* C. H. — 12) *praeter* C. H. — 13) *sunt* C. H. — 14) *praeter* C. H. excepto T. 2. — 15) *si* deest in C. H. —

videlicet qui ecclesiae curam gerit, absque commonitione [1]) obsecundare, et averti [2]) ab eo cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur; ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vestrum sibi gratiam reparare, festinet citius reconciliari ei qui omnibus praeest, ut per hoc redeat [3]) ad salutem cum obedire coeperit monitis praesidentis; et cetera quae in consequentibus denotant amicos eorum qui veritatis [4]) inimici sunt. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, sed et populus fidelium ad culpam sibi adscribendum, si quis hoc in vitio [5]) malorum confortator [6]) et disciplinae subversor agnoscatur [7]).

VII. *Accusandi licentia etiam in episcopis reprimenda* [8]).

Placuit praeterea accusandi licentiam etiam in nostri ordinis si qua existit levitate comprimere, ut se [9]) episcopus si quem judicat abstinendum, et [10]) pro humiliatione et correctione fratris assurgit exorari a ceteris, acquiescat fratri de quo agitur, correptione et comminatione adhibita; sin autem de crimine aliquem putet esse damnandum, accusatoris vice [11]) discutiendum sciat; fas est enim, ut quae uni probantur probentur omnibus.

VIII. *De correptione in criminibus occultis* [12]).

Quod si se tantum episcopus alieni sceleris conscium novit, quamdiu probare non potest [13]) nihil proferat, sed cum ipso ad compunctionem ejus secretis correptionibus elaboret: qui si correptus pertinacior fuerit, et se communioni publicae [14]) ingesserit, etiamsi episcopus in redarguendo illo quem reum judicat probationibus [15]) deficiat indemnatus licet ab [16]) his qui nihil sciunt, secedere ad tempus pro persona majoris auctoritatis [17]) jubeatur, illo, quamdiu probari [18]) nihil potest, in communione omnium praeterquam ejus qui eum reum judicat permanente.

IX. *De expositis collectis quid sit observandum* [19]).

De expositis, quia conclamata ab omnibus querela processit eos non misericordiae jam sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu quamvis inflexa [20]) praeceptis misericordiae mens humana detrectet [21]): id servandum visum est, ut secundum statuta fidelissimorum, piissimorum, augustissimorum [22]) principum quisquis expositum colligit, ecclesiam

---

1) *communione* C. H. — 2) *se* add. C. H. — 3) *et . . redit* C. H. 4) *veritati* C. H. — 5) *in hoc vitium* C. H. — 6) *confutator* C. H. 7) *agnoscitur* C. H. — 8) *Ut accusatores de levibus causis non audiantur, de criminalibus vero discutiantur* C. H. — 9) *se* deest in C. H. — 10) *si* C. H. 11) *accusatori suo se* C. H. — 12) *Ut episcopus alienum clericum peccantem redarguat* C. H. — 13) Ita Reg. F, R, et Cotton.; *quamdiu potest* Sirmond. cum aliis mss. — 14) *publice* C. H. — 15) *probatione* C. H. — 16) *de* C. H. — 17) *pro personae majoris auctoritate* Reg. F, R, et Cotton. — 18) *probare* C. H. — 19) *Ut qui expositum invenerit ecclesiam contestetur* C. H. — 20) *infelix a* C. H. 21) *detrectat* C. H. — 22) *augustissimorumque* C. H. —

contestetur, contestationem colligat: nihilominus de altario dominico die minister annuntiet, ut sciat ecclesia expositum esse collectum, ut infra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis se comprobaverit [1]) agnovisse; collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout maluerit, aut ad [2]) praesens ab homine aut in perpetuum cum deo gratia persolvenda.

X. *De iis qui expositos per calumniam repetunt* [3])

Sane si quis post hanc diligentissimam sanctionem expositorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione feriatur [4]).

CONCILIUM ARELATENSE SECUNDUM [5]).

I. *Neophytum levitam vel sacerdotem non ordinandum* [6]).

Ordinari ad diaconatus ac sacerdotii officium neophytum non debere.

II. *Si conjugatus ad sacerdotium fuerit electus* [7]).

Assumi aliquem ad sacerdotium non posse in conjugii vinculo constitutum, nisi fuerit praemissa conversio.

III. *Quae mulieres in domibus habitent clericorum* [8]).

Si quis clericus a gradu diaconatus in solatio suo mulierem praeter aviam, matrem [9]), sororem, filiam, neptem vel conversam secum uxorem, habere praesumpserit, a communione alienus habeatur. Par quoque et mulierem, si se separare noluerit, poena percellat.

IV. *Ut puellae ad cellarium clerici non intromittantur* [10]).

Nullus diaconus vel presbyter vel episcopus ad cellarii [11]) secretum intromittat puellam vel ingenuam vel ancillam.

---

1) *probaverit* C. H. — 2) *ad* deest in C. H. — 3) *Ut qui praeter constitutum expositum reposcit ut homicida habeatur* C. H. — 4) *ut homicida habendus est* C. H. — 5) Collatum ad codd. mss. Reg. A, B, D, F, R, S, Corbej., Jesuit. A, B, C, et Cotton. — Codd. Reg. D, R, F, Cotton. et Codd. Hisp. primos tantum XXV. canones habent. In Reg. C canones sunt XXXVII., iidem omnino qui in editione Biniana, at in Corbej., Reg. A, B, et Jesuit. B, C, XXXIII. tantum leguntur. In Remensi vero cod. (nunc Jesuit. A) LVI. numerantur, insertis videlicet ex synodo Arausicano XIX, in Reg. D consulto praetermissis, *quia*, ut amanuensis ait, *in antea scriptis reperies in ipsa synodo*, quibus verbis constat amanuensem praedictos XIX canones in codice suo legisse. Tituli desunt in plerisque codicibus; in aliis autem et numero et verbis differunt. — 6) *De neophytis clerici ne ordinentur* C. H. — 7) *Qualiter conjugati ad sacerdotium promoveantur* C. H. — 8) *Ut nullus clericus aut diaconus in solatio suo extraneam habeat mulierem* C. H. — 9) *thiam* Corbej., Reg. B et Jesuit. B, ex Graeco θεῖα quod habet concil. Nicaenum et Dionysius vertit *amitam*. — 10) *Ut nullus clericus in cellario vel secreto intromittat puellam* C. H. — 11) *cellarum* Reg. B et Jes. B.

V. *Ut episcopus sine metropolitani epistola et tribus comprovincialibus non ordinetur, vel si in duas fuerit electio facta personas* [1]).

Episcopum [2]) sine metropolitano vel epistola metropolitani vel tribus comprovincialibus non liceat ordinare [3]): ita ut alii comprovinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significent. Quod si inter partes aliqua nata [4]) fuerit dubitatio, majori numero metropolitanus in electione consentiat.

VI. *De eo* [5]) *qui sine conscientia metropolitani episcopus fuerit ordinatus.*

Illud autem ante omnia clareat, eum qui sine conscientia metropolitani constitutus fuerit episcopus, juxta magnam synodum [6]) esse episcopum non debere.

VII. *De his qui se carnaliter* [7]) *abscidunt.*

Hos qui se carnali vitio repugnare nescientes abscidunt, ad clerum [8]) pervenire non posse.

VIII. *Qui alterius excommunicatum receperit* [9]).

Si quis excommunicatum alterius sive clericum sive saecularem recipere post interdictum praesumpserit, noverit se reum fraternitatis factum causam in concilio redditurum.

IX. *De Novatianis nonnisi damnato errore recipiendis* [10]).

Novatianum in communionem recipi non debere, nisi suscepta poenitentia incredulitatis [11]) praeteritum [12]) damnet errorem.

X. *De his qui in persecutione fidem Christi negaverint* [13]), *quantum temporis ut recipiantur poenitentiam agant.*

De his qui in persecutione praevaricati sunt, si voluntarie fidem negaverint [14]), hoc de iis Nicaena synodus statuit, ut quinque annos [15]) inter catechumenos exigant [16]) et duos [17]) inter discommunicantes [18]), ita ut communionem inter poenitentes non praesumant. In potestate tamen vel arbitrio sit episcopi, ut si eos ex animo errorem deflere et agere poenitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipiat.

---

1) *Ut ep. cum ordinatur, cum consensu metropolitani tres eum ordinent episcopi* C. H. — 2) *Ut episcopum* C. H. — 3) *ordinari* C. H. — 4) *aliquanta* Reg. B. — 5) *episcopo* (om. postea voce *episcopus*) C. H. — Quidam Codd. Gallic. canonem hunc cum superiori conjunxerunt. — 6) Concil. Nicaen. c. 6. — 7) *qui se ipsos* C. H. — 8) *clericatum* C. H. — 9) *De his qui excommunicatos alterius suscipiunt* C. H. — 10) *Ut Novatiani in communionem non recipiantur* C. H. — 11) *poenitentiae credulitate* C. H. — 12) *proterνum* Reg. B. — 13) *in persec. praevaricati sunt* (om. sqq.) C. H. — 14) *negaverunt* C. H. — Conc. Nicaen. c. 11. — 15) *annis* C. H. — 16) *exeant* C. H. — 17) *duobus* C. H. — 18) Hoc est, poenitentes; *communicantes* (quod sequentibus verbis repugnat) C. H. et editio Sirmondi. —

XI. *Si qui in persecutione fidem negantes* [1] *sacrificare compulsi sunt.*

Si qui vero dolore victi et pondere persecutionis negare vel sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter catechumenos, triennio [2] inter poenitentes habeantur a communione suspensi.

XII. *De his qui in poenitentia positi* [3] *excesserunt.*

De his qui in poenitentia positi vita excesserunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti; sed pro eo quod honoravit poenitentiam, oblatio illius suscipiatur.

XIII. *Nullus clericus suam relinquat ecclesiam; quod si in aliena ecclesia habitans invito episcopo suo fuerit ordinatus, irrita sit ordinatio* [4].

Nullus cujuscumque ordinis clericus, non diaconus, non presbyter, non episcopus [5], quacumque occasione faciente propriam relinquat ecclesiam, sed omnimodis aut excommunicetur aut redire cogatur. Quod si aliquo [6] commorationis tempore, invito episcopo suo in aliena ecclesia habitans, ab episcopo loci clericus fuerit ordinatus, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.

XIV. *Ut clericus pecuniam ad usuram non donet nec conductor alienae rei vel negotiator existat* [7].

Si quis clericus pecuniam dederit ad usuram, aut conductor alienae rei voluerit esse, aut turpis lucri gratia genus aliquod negotiationis exercuerit, depositus a clero a communione alienus fiat.

XV. *Ut diaconus in secretario inter presbyteros non sedeat nec corpus Christi tradere praesente presbytero praesumat* [8].

In secretario diacono inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi praesente presbytero tradere non praesumat. Quod si fecerit, ab officio diaconatus abscedat.

XVI. *De Photiniacis vel Paulianistis* [9].

Photiniacos [10] sive Paulianistas secundum patrum statuta baptizari oportere.

XVII. *De Bonosiacis qualiter si petierint recipiantur* [11].

Bonosiacos [12] autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arianos baptizari in trinitate manifestum est, si [13] interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in ecclesia recipi sufficit.

---

1) *De his qui poenis victi* C. H. — 2) *et triennio* C. H. — 3) *vita* add. C. H. — 4) *Ut ne quis qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam* C. H. cf. ad hunc can. Conc. Arausic. c. 8. — 5) *non episcopus* deest in Reg. R et Cotton. — 6) *aliquis* Reg. D. — 7) *Ne clericus usuras accipiat* C. H. — 8) *Ne diaconus coram presbytero sedeat vel eucharistiam tradat* C. H. — 9) *Ut Photiniani et Paulianistae baptizentur* C. H. — 10) *Photinianos vero* C. H. — 11) *De haereticis baptizatis* C. H. — 12) *Bonosiacos* C. H. — 13) *dum* C. H.

XVIII. *De privilegio Arelatensis episcopi ad synodum congregandam* [1]).

Ad Arelatensis episcopi arbitrium synodus congreganda, ad quam urbem ex omnibus mundi partibus, praecipue Gallicanis [2]), sub sancti Martini tempore legimus celebratum fuisse concilium atque conventum. Si quis commonitus infirmitatis causa defuerit, personam vice sua dirigat.

XIX. *Si quis episcopus ad synodum venire distulerit aut de concilio sine permissu discesserit* [3]).

Si quis autem adesse neglexerit, aut coetum fratrum antequam concilium disolvatur crediderit deserendum, alienatum se a fratrum communione cognoscat, nec eum recipi liceat, nisi in sequenti synodo fuerit absolutus.

XX. *De agitatoribus sive theatricis* [4]).

De agitatoribus sive theatricis qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agunt a communione separari.

XXI. *Si poenitentiam professi nupserint* [5]).

Poenitens quaecumque [6]) defuncto viro alii nubere praesumpserit [7]), vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerit, cum eodem ab ecclesiae liminibus arceatur [8]). Hoc etiam [9]) de viro in poenitentia posito placuit observari.

XXII. *Si conjugati poenitentiam sibi dari petierint* [10]).

Poenitentiam conjugatis non nisi ex consensu dandam.

XXIII. *Si in cujuscumque territorio arbores, fontes vel saxa venerantur* [11]).

Si in alicujus episcopi [12]) territorio infideles aut faculas accendunt aut arbores, fontes vel saxa venerantur, si hoc eruere [13]) neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat. Dominus aut ordinator rei ipsius, si admonitus emendare noluerit, communione privetur.

XXIV. *De his qui fratribus suis aliquid falso objecerint* [14]).

Eos qui falso fratribus suis capitalia objecisse [15]) convicti fuerint, placuit usque ad exitum non communicare, sicut magna synodus ante constituit, nisi digna satisfactione poenituerint.

XXV. *De his qui religione professa apostatant vel post poenitentiam habitum saecularem praesumunt* [16]).

Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant et

---

[1]) *Ut metropolitani arbitrio synodus congregetur* C. H. — [2]) *praecipue Gallicanis* deest in Reg. A, B, R, Jes. B, C Cotton., et in C. H. — [3]) *Ut nulli episcopo liceat a synodo discedere* C. H. — [4]) *De aurigis et theatricis fidelibus* C. H. — [5]) *Si post acceptam poenitentiam quis nupserit* C. H. — [6]) *Poenitentes quae* C. H. — [7]) *aliis . . praesumpserint* C. H. — [8]) *vixerint . . arceantur* C. H. — [9]) *etiam et* C. H. — [10]) *Ut poenitentia conjugatis ex consensu detur* C. H. — [11]) *De sacerdotibus qui idolatriam non everterint* C. H. — [12]) *presbyteri* C. H. — [13]) *evertere* T. 2. — [14]) *De accusatoribus fratrum* C. H. — [15]) *crimina* add. U. — [16]) *De apostatis si non revertuntur* C. H. —

ad saeculum redeunt, et postmodum poenitentiae remedia non requirunt, sine poenitentia communionem penitus non accipiant: quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti, et quicumque ille post poenitentiam habitum saecularem non praesumat; quod si praesumpserit, ab ecclesia alienus habeatur.

XXVI. *Si haereticus moriens catholicus esse desiderat.*
(Vide Conc. Arausic. c. 1.)

XXVII. *Qui baptizandi officium accepit, sine chrismate non procedat.*
(Ibid. c. 2. init.: Nullum ministrum — semel chrismari.)

XXVIII. *De poenitentibus in extremis qualiter communicent.*
De his qui in extremis periclitantur, poenitentia accepta placuit sine reconciliatoria manus impositione iis communicari. Quod si accepto hoc viatico supervixerint, stent in ordine poenitentium, ut ostensis necessariis poenitentiae fructibus, legitime reconciliatoriam manus impositionem recipiant [1].

XXIX. *Si clericus poenitentiam sibi dari petierit.*
(Conc. Arausic. c. 4.)

XXX. *Confugientes ad ecclesiam tradi non oportet.*
Eos qui ad ecclesiam confugerint tradi non oportet: sed eos domini sui promissa intercessione exire persuadeant. Quod si ab ecclesia exeuntibus poenale aliquid intulerint, ut ecclesiae inimici habeantur excommunes [2].

XXXI. *Si quis clericus relicta synodo patrocinia saecularia expetierit; ut causae clericorum non saecularium sed episcoporum judicio terminentur.*
Si quis clericorum religionis negotia vel spirituales causas ecclesiae ad saecularia patrocinia, relicta synodo, transire praesumpserit, excommunicatione omnium ac detestatione dignus habeatur. Simili modo si causa inter clericos orta fuerit, ne invito episcopo ad saeculares judices deferatur, sed episcoporum judicio terminetur.

XXXII. *Si quis pro eo quod mancipia sua in ecclesia perdit, mancipia clericorum pervaserit.*
(Ibid. c. 6.)

XXXIII. *Si quis manumissum servitute oppresserit.*
Si quis per testamentum manumissum in servitute vel obsequio vel in colonaria conditione imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coerceatur [3].

XXXIV. *Si quis manumissum in servitutem revocandum putarit.*
Si quis in ecclesia manumissum crediderit ingrati titulo revocandum, non aliter liceat, nisi eum gestis apud acta municipum reum esse ante probaverit.

---

1) cf. Conc. Arausic. c. 3. — 2) Ibid. c. 5. — 3) Ibid. c. 7. —

XXXV. *Si quis alienum clericum ordinare instituat.*
(Ibid. c. 8.)

XXXVI. *Si quis episcopus in alieno territorio ecclesiam aedificaverit a quo debeat consecrari et gubernari.*

(Ibid. c. 10. init.:) Si quis episcopus — pertinebit; et si quid ipsi ecclesiae fuerit ab episcopo conditore collatum, is in cujus territorio est, auferendi exinde aliquid non habeat potestatem. Hoc solum aedificatori episcopo credidimus reservandum.

XXXVII. *Si quis ecclesiam aedificat et ad dedicandum locum ipsum alienae episcopum civitatis invitat.*

(Ibid. c. 10. fin.:) Quod si etiam quicumque ecclesiam aedificaverit — conventu abstinebuntur: si ordinem excesserit, in reatu revocabitur.

XXXVIII. *De his qui subito obmutescunt vel amentes fiunt.*

Subito obmutescens baptizari potest, et amentibus quaecumque pietatis sunt conferenda [1].

XXXIX. *Energumenis baptizatis communionem non negandam.*
(Ibid. c. 14.)

XL. *De energumenis catechumenis.*
(Ibid. c. 15.)

XLI. *Si qui palam aliquando arrepti sunt.*
(Ibid. c. 16.)

XLII. *Si duo sine epistola metropolitani episcopum ordinaverint.*

In provinciis nostris placuit de praesumptoribus, ut sicubi duo episcopi ausi fuerint episcopum facere etiamsi metropolitani episcopi epistolam non habuerint, et is qui ordinatus est cum ordinatoribus excludatur [2].

XLIII. *Si diaconus ordinandus fuerit conjugatus.*

Placuit praeterea, ut secundum synodi instituta non ordinentur etc.. (Ibid. c. 22.)

XLIV. *Si post benedictionem acceptam cum uxore sua incontinens invenitur.*
(Ibid. c. 23.)

XLV. *Ut bigami ultra subdiaconatum non promoveantur.*

De his quos clericatui alligari ipsa vitae gratia suggesserit, si forte internupta et duplicata matrimonia inciderunt, non ultra subdiaconatum ecclesiasticas capiant dignitates; quod si facti forsitan sunt, ab ecclesiastico removeantur officio [3].

XLVI. *Professae viduae si raptoribus consenserint.*

Professas viduas, si conniventiam praestiterint, cum raptoribus esse damnandas [4].

---

1) Ibid. c. 12. et 13. — 2) Ibid. c. 21. — 3) Ib. c. 25. — 4) Ib. c. 27.

XLVII. *Qui oblationes fidelium suppresserint.*

Secundum constitutionem synodi Vasensis [1], quicumque oblationem fidelium suppresserit aut negaverit, ab ecclesia cui fraudem fecerit excludatur.

XLVIII. *Si quis episcopi sui sententiae non acquiescit.*

Si quis episcopi sui sententiae non acquiescit, synodi legibus audiendum [2].

XLIX. *Qui a communione sacerdotali auctoritate fuerit suspensus.*

Secundum instituta seniorum, si quis a communione sacerdotali fuerit auctoritate suspensus, hunc non solum a clericorum sed etiam a totius populi colloquio atque convivio placuit excludi, donec resipiscens ad sanitatem redire festinet.

L. *De his qui inter se pacem non habent.*

Hi qui publicis inter se odiis exardescunt, ab ecclesiasticis conventibus removendi donec ad pacem recurrant.

LI. *De expositis quid observandum* [3].

Si expositus ante ecclesiam cujuscumque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam; et si is qui collectus est intra decem dies quaesitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post praedictum tempus calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.

LII [4]. *De puellis conversis si ad terrenas nuptias transierint.*

De puellis quae se voverunt deo et praeclari decore nominis floruerunt, si post viginti et quinque annos aetatis ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his cum quibus se alligaverint communione priventur, ita ut iis postulantibus poenitentia non negetur; cujus poenitentiae communio multo tempore differatur.

LIII. *Si servus furore actus seipsum percusserit.*

Si quis famulorum cujuslibet conditionis aut generis quasi ad exacerbandam domini districtionem se diabolico repletus furore percusserit, ipse tantum sanguinis sui reus erit, neque ad dominum sceleris alieni pertinebit invidia.

LIV. *De eligendis episcopis venalitate vel ambitione submota.*

Placuit in ordinatione episcopi hunc ordinem custodiri, ut primo loco venalitate vel ambitione submota tres ab episcopis nominentur, de quibus clerici vel cives erga unum eligendi habeant potestatem.

LV. *Si quis saecularium religionis amore se ad sacerdotem contulerit.*

Si quis saecularium amore religionis se ad quemcumque

---

1) Conc. Vasens. I. c. 4. — 2) cf. conc. Vasens. I. c. 5. — 3) cf. conc. Vasens. I. c. 9. 10. — 4) cf. conc. Valent. I. c. 2. —

sacerdotum crediderit conferendum, ipse sibi eum quem erudiendi gratia susceperit vindicabit.

LVI. *Ut nihil metropolitani sibi contra synodi interdictum praesumant.*

Hoc etiam placuit custodiri, ut nihil contra magnam synodum metropolitani sibi aestiment vindicandum.

CONCILIUM ANDEGAVENSE [1].

Cum ad ordinandum episcopum in civitate Andegavorum episcopi convenissent, et Talasius esset episcopus [2]) ordinatus, omnibus pariter residentibus Leone, Eustochio, Chariatone [3]) Rumorido, Viventio [4]), Victorio et Talasio episcopis, pari consilio atque tractatu decisionem, quam verbis decreverant, etiam scripturae mandare voluerunt: ut ab hac die, hoc est quarta Nonas Octobris, Opilione viro clarissimo consule, hae regulae ecclesiasticae servarentur, quae a senioribus juxta auctoritatem scripturarum jam fuerant constitutae.

I. *Ut clerici episcoporum judicio acquiescant, illis inconsultis saecularia judicia non expetant, nec ad alium locum transeant, et sine illorum literis non peregrinentur.*

Primum ut contra episcopale judicium clericis non liceat prosilire [5]), neque, inconsultis sacerdotibus suis saecularia [6]) judicia expetere, sed nec de loco ad alium sine episcopi permissione transire, nec sine commendatitiis sacerdotum suorum literis commeare.

II. *Ut diaconi presbyteris humiliter deferant.*

Ut diaconi presbyteris noverint omni humilitate deferendum.

III. *A violentia et perputatione abstinendum.*

Ut a violentia et crimine perputationis [7]) abstineantur.

IV. *Ut qui ab extraneis foeminis revocare se nolunt, non ministrent et ulterius non provehantur; qui vero tradendis vel capiendis urbibus interfuerint, a communione et conviviis arceantur.*

Familiaritatem extranearum foeminarum noverint esse vitandam. Sed si qui sunt coelibes, nonnisi a sororibus aut

---

1) Deest hoc concilium in codicibus Hispanis. Primus fuit editor Baronius. Contulerunt Benedictini ad solum codicem Fossatensem. Tituli canonum a Sirmondo quoad majorem partem confecti. — 2) Supple: Andegavensis. — 3) *Charilatone* in m. M. — 4) *Vincentio* in m. M. — 5) *resilire* in m. M. — 6) *saecularium* (om. voce *suis*) in m. M. — 7) Ita mss. omnes et editt.; forte legendum: *a vinolentia et crimine perputationis.* Harduinus. —

amitis suis aut a matribus consolentur; quia sicut bonum non est homini solum esse, ita familiares esse clericos foeminis non oportet extraneis, quia frequenter plurimorum ruinas sub hac occasione deflemus. Si quis autem post hoc interdictum a praedictis familiaritatibus se revocare noluerit, nequaquam gradu altiore donabitur, et si jam ordinatus fuerit, non ministret. Tum si qui tradendis vel capiendis civitatibus fuerint interfuisse detecti, non solum a communione habeantur alieni, sed nec conviviorum quidem admittantur esse participes.

V. *Ut qui accepta poenitentia resiliunt et sanctimoniales quae decidunt communione priventur.*

Quod etiam de his qui accepta poenitentia resilierint debita severitate servabitur; quae forma etiam circa eas quae de virginitate sanctimoniali crimine proprio deciderunt, statuto rigore permaneat.

VI. *De iis qui alienis uxoribus conjugii nomine abutuntur.*

Hi quoque qui alienis uxoribus, superstitibus ipsarum maritis, nomine conjugii abutuntur, a communione habeantur extranei.

VII. *Qui relicto clero ad saecularem militiam se conferunt, ab ecclesia ejiciendi.*

Clerici quoque, qui relicto clero se ad saecularem militiam et ad laicos contulerint, non injuste ab ecclesia quam reliquerunt amoventur.

VIII. *Ut monachi qui propositum deserunt et sine literis vagantur ad communionem non recipiantur.*

Monachi quoque qui coeptam observationis viam relinquunt et absque epistolis et absque certis negotiis vel necessitatibus per regiones vagantur alienas, cognita districtione si se non emendaverint, ab abbatibus suis vel a sacerdotibus ad communionem non recipiantur.

IX. *Alieno clerico episcopus gradum ne augeat.*

Aliis quoque episcopis aliorum clericis gradum augere non liceat.

X. *De laicis excommunicare non liceat nisi probatis criminibus.*

Quicumque autem vel de laicis vel de clero ministri fuerint ordinati et observare noluerint, si laicus, communicare non liceat, nisi forte reprobaverint criminosos.

XI. *Qui digami fuerunt, diaconi vel presbyteri non ordinentur.*

Nonnisi unius uxoris viri iidemque virginibus copulati diaconi vel presbyteri ordinentur.

XII. *Ut poenitentia conversis omnibus pateat, et pro episcopi aestimatione venia concedatur.*

Poenitentiae sane locus omnibus pateat qui conversi errorem suum voluerint confiteri, quibus perspecta qualitate peccati secundum episcopi aestimationem erit venia largienda.

Quod ita inter praedictos viros pari consilio et ordinatione decretum est, ut si quis ex ipsis contra hanc ordinationem [1]) agendum esse praesumpserit, obvius fuisse regulae ecclesiasticae judicetur: adversus quem ceteris fratribus suis quasi adversus contemptorem licebit exsurgere.

CONCILIUM TURONICUM PRIMUM [2]).

Severino v. c. consule sub die decima quarta [3]) Kalendas Decembris, cum ad sacratissimam festivitatem qua domni Martini receptio celebratur in civitate Turonorum beatissimi sacerdotes, quorum subscriptio subter adjecta est, convenissent, necessario crediderunt ut quia per longam incuriam in aliquo de rebus ecclesiasticae disciplinae regula fuisset vitiata, definitionem suam, quae cum patrum auctoritate concordat, praesentis scripturae emissione firmarent: non quae prius illicite admissa sunt revolventes, sed in posterum universorum utilitati prospicientes; ut secundum evangelica praecepta et apostolicam doctrinam patrum statuta servantes, ecclesia domini pura et immaculata permaneat.

I. *De sanctitate sacerdotum et ministrorum ecclesiae* [4]).

Primo ergo in loco sacerdotes vel ministri ecclesiae, de quibus dictum est: *Vos estis lux mundi* [5]), ita in omni sancta conversatione a [6]) dei timore actus suos dirigant, ut et divinae possint placere clementiae, et bonum fidelibus praebeant exemplum, quia sicut vae iis per quos nomen dei blasphematur, ita illi immortalitatis gloriam consequentur per quorum actus nomen dei benedicitur. Si enim universis fidelibus secundum apostolicam doctrinam [7]) castitas custodienda indicitur, ut qui habent uxores ita sint quasi non habentes; quanto magis sacerdotes dei ac levitae divino mancipati altario custodire debent, ut non solum cordis verum etiam corporis puritatem servantes, pro plebe supplicaturi preces suas ad divinum introire mereantur auditum? quia, secundum auctoritatem apostoli, *qui in carne sunt deo placere non possunt; vos autem non estis in carne, sed in spiritu* [8]); et iterum: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed pol-*

---

1) *aliquid* add. in m. M. — 2) Collectum add. mss. Codd. Regg. C, D, E, et Jesuit A. Tituli canonum a Sirmando confecti. Deest hoc concilium in codicibus Hisp. — 3) *sub die XVIII.* Reg. D. et Jesuit. A.
4) Hic canon totus est conflatus ex cap. 9. epist. Siricii papae. Harduin.
5) Matth. 5, 14. — 6) *cum* Reg. C. — 7) 1 Cor. 7, 29. —
8) Rom. 8, 8. 9. —

luta est eorum et mens et conscientia [1]). Cum ergo laico abstinentia imperetur, ut possit orationi vacans et deum deprecans exaudiri, quanto magis sacerdotibus vel levitis [2]), qui omni momento parati deo esse debent in omni munditia et puritate, securi ne aut sacrificium offerre aut baptizare, si id temporis necessitas poposcerit, cogantur? Qui si contaminati fuerint carnali concupiscentia, qua mente [3]) excusabunt? quo pudore usurpabunt? qua conscientia, quo merito exaudiri se credent?

II. *Quod sacerdotes et diaconi ab uxoribus suis abstinere, atque ebrietatem vitare clerici omnes debeant.*

Et licet a patribus nostris emissa auctoritate id fuerit constitutum, ut quicumque sacerdos vel levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, a communione dominica abstineretur; nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes et justam constitutionem mollientes [4]) id decrevimus, ut sacerdos vel levita conjugali concupiscentiae inhaerens vel a filiorum procreatione non desinens, ad ulteriorem gradum non ascendat neque sacrificium deo offerre vel plebi ministrare praesumat. Sufficiat his tantum, ut a communione non efficiantur alieni. Sed ut haec valeant observari, fomitem omnium vitiorum oportet abscidi, apostolo praecipiente: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria* [5]). Et quam gravi ebrietas supplicio expietur, idem apostolica manifestat doctrina, inter cetera dicens [6]), neque fornicatores neque idolis servientes neque ebriosos regnum dei possessuros. Si quis vero in omni officio clericali deo militans [7]) ab ebrietate se non abstinuerit, secundum status sui ordinem competens in eum vindicta tribuatur.

III. *De familiaritate extranearum foeminarum clericis interdicta.*

Et quia nullum diabolo locum dari oportet, hoc praecipue custodiendum decrevimus, ut nullam clerici cum extraneis foeminis habeant familiaritatem, ne ullum male loquendi vel sententiendi hominibus aditum tribuant, quia frequenter per hanc indecentem occasionem contigit ut diabolus, qui insidiatur sicut leo in cubili suo, de ruina servorum dei insultet. Si quis vero clericus post interdictum episcopi sui illicitis familiaritatibus extranearum foeminarum voluerit inhaerere, a communione habeatur alienus.

IV. *Ut clericus cui uxorem ducere licet viduam non accipiat.*

Ut clericus cui nubendi datur licentia internuptam non accipiat uxorem; quod si fecerit, ultimum in officio clericali teneat locum.

---

1) Tit. 1, 15. — 2) *sacerdotes vel levitae* Reg. D, E. — 3) *fronte* Reg. D. — 4) *molientes* Mansi; *mollientes* habent mss. Vaticana estque vera lectio. — 5) Eph. 5, 18. — 6) *adjiciens* Reg. C. — 1 Cor. 6, 9. 10. — 7) *ministrans* Reg. C. —

V. *De clericis qui ad laicam vitam redeunt.*

Si quis vero clericus relicto officii sui ordine laicam voluerit agere vitam vel se militiae tradiderit, excommunicationis poena feriatur.

VI. *De iis qui virginibus sacratis matrimonio junguntur vel religionem professam deserunt.*

Qui vero se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint vel propositum professae religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni; quia si quis templum dei violaverit, disperdet illum deus, donec resipiscentes a laqueo diaboli, a quo capti tenentur ad ipsius voluntatem, ad auxilium poenitentiae revertantur.

VII. *Cum homicidis non communicandum.*

Homicidis penitus non communicandum, donec per confessionem poenitentiae ipsorum crimina diluantur.

VIII. *Si poenitentes derelicta poenitentia ad saeculares illecebras revertantur.*

Si quis vero post acceptam poenitentiam, sicut canis ad vomitum suum, ita [1]) ad saeculares illecebras derelicta quam professus est poenitentia fuerit reversus, a communione ecclesiae vel a convivio fidelium extraneus habeatur, quo facilius et ipse compunctionem per hanc confusionem accipiat [2]) et alii ejus terreantur exemplo.

IX. *De praesumptoribus episcopis qui aliorum dioeceses pervadunt aut illorum clericos promovent.*

De praesumptoribus etiam placuit observari, ut si quis episcopus in jus fratris sui suam conatus fuerit inserere potestatem, ut aut dioeceses alienas transgrediendo terminos a patribus constitutos pervadat, aut clericos ab aliis ordinatos [3]) promovere praesumat, ab universorum fratrum et consacerdotum suorum communione se alienum efficiendum non dubitet, quia apostolo dicente [4]) cognoscimus nullam nos cum fratribus inordinate ambulantibus et non secundum traditionem a patribus constitutam posse habere participationem.

X. *De illicitis ordinationibus.*

Ordinationes vero illicitas in irritum devocamus, nisi satisfactione quae ad pacem pertinent componantur.

XI. *De vagantibus clericis.*

Si quis vero clericus absque episcopi sui permissu derelicta ecclesia sua ad alium se transferre voluerit locum, alienus a communione habeatur.

XII. *Clericus sine commendatitiis non ambulet.*

Et ut clerici non absque sacerdotum suorum commendatione ad alias provincias sive civitates, ambulare disponant.

---

1) *iterum* in m. M. — 2) *capiat* ibid. — 3) *vel sanctimoniales* add. tres Regg. — 4) 2 Thess. 3, 6. —

XIII. *Ut clerici usurarii non sint.*

Illud etiam secundum scripturarum auctoritatem vel patrum constitutionem addendum credidimus, ut ne quis clericus, qui negotiandi studium habere voluerit, usuras accipiat, quia scriptum est: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, et alio loco: *In plateis ejus usura et dolus* [1]. Manifestum est enim, beatitudinis non posse consequi gloriam qui a praeceptis divinis deviaverit.

Et ut humilitatis nostrae constitutio adjuvante domini misericordia valeat custodiri, sancti ac beatissimi sacerdotis domni Martini quae deo accepta est obtinebit intercessio. Confidimus enim sacerdotum domini consensu definitionem nostram firmandam, quae cum patrum nostrorum auctoritate concordat.

CONCILIUM VENETICUM [2].

Epistola synodi ad episcopos ejusdem provinciae qui concilio non interfuerant [3].

Dominis beatissimis et nobis in Christo omni caritatis honore venerandis fratribus Victorio et Talasio episcopis Perpetuus, Paternus, Albinus, Athenius, Nunechius [4] et Liberalis episcopi.

Cum semper a nobis [5] cura religionis haberi debeat in promptu nec aliunde debeat esse meditatio, eo praecipue tempore quo nos aut voluntas aut occasio congregarit, ut communis ex multorum collatione tractatus consentiente in Christo spiritu multarum sententiarum auctoritate firmetur; ne singulorum pro arbitrii sui qualitate definitio, aut imperitiae decipiatur errore aut tumore praesumptionis vel iracundiae depravetur; et dum unusquisque sine fratrum collatione suo tantum credit arbitrio, statuat quod merito possit omnibus displicere: itaque quoniam nos in ecclesia Venetica causa ordinandi episcopi congregavit, rectum esse credidimus de regula ecclesiastica quae nobis donante domino credita est et de districtione cujus cura non sine culpa nostra omittetur, habita consultatione ut quae in prioribus patrum statutis videmus omissa et pro-

---

1) Ps. 15, 5. 55, 12. — 2) Venetia urbs Galliae Lugdunensis, quae a Britonibus incolitur, juxta Oceani Gallici littora, cujus episcopus metropolitano Turonensi erat subjectus. — Collatum est hoc concilium a Benedictinis ad ms. Regg. C, D, E, S, Jesuit. 563, et ad collectionem canonum S. Benigni Divion. ita signatam: *Biblia sacra n. 12*. — Deest in Codd. Hisp. — 3) *Epistola episcoporum provinciae Armoricanae haec continet* Reg. C, E, S; *incipiunt canones Veneticae ecclesiae* Reg. D et Jesuit. — 4) *Nunnechius* in m. M. — 5) *a nobis* deest in plerisque. —

cedente tempore licentia ex nimia prolabentis saeculi libertate praesumpta, statutis saluberrimis sanciremus. Quod in notitiam beatitudinis vestrae, quia praesentia vestra nobis necessitate faciente fraudata est, credidimus deferendum, ut si probabile duxeritis id quoque et vestra auctoritate firmetur et districtione servetur.

I. *De homicidis et falsis testibus.*

Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi poenitentiae satisfactione crimina admissa diluerint.

II. *De iis qui relictis uxoribus alias ducunt.*

Eos quoque qui relictis uxoribus suis, sicut in evangelio dicitur [1]), excepta causa fornicationis sine adulterii probatione [2]) alias duxerint, statuimus a communione similiter arcendos, ne per indulgentiam nostram praetermissa peccata alios ad licentiam erroris invitent.

III. *De iis qui susceptam poenitentiam deserunt.*

Poenitentes quoque, qui susceptam publice poenitentiam intermiserint et ad prioris erroris consuetudinem revoluti, vitae se saeculari conversationique reddiderint, non solum a communione dominicorum sacramentorum sed etiam a conviviis fidelium submovendos.

IV. *De virginibus professis quae moechantur.*

Eas etiam quae virginitatem professae et benedictionem fuerint per manus impositionem sub contestatione [3]) hujus propositi consecutae, si fuerint in adulterio deprehensae, cum adulteris ipsarum arcendas a communione censemus.

V. *Ut clerici sine commendatitiis non vagentur* [4]).

Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi; et omni loco ad quem sine epistolis episcopi sui ut dictum est venerint, a communione habeantur alieni.

VI. *Ut monachi sine commendatitiis non vagentur.*

In monachis quoque par sententiae forma servetur: quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri.

VII. *Ut monachi solitarias cellas sine abbatis sui licentia non petant.*

Servandum quoque de monachis, ne iis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab abbatibus regula remittatur. Quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa manentes, tamen sub abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur.

---

1) Matth. 5, 32. — 2) *si adulterii provocatione* Reg. E, S. — 3) *sub contestatione* deest in quibusdam Codd. — 4) Quintum, sext., sept., oct. canonem comprehendit Agathensis XXXVIII. —

VIII. *Uni abbati plura monasteria habere non liceat.*

Abbatibus quoque singulis diversas cellas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis intra muros receptacula collocare.

IX. *Ut clerici saecularia judicia non adeant.*

Clericis nisi ex permissu episcoporum suorum saecularia judicia adire non liceat. Sed si quis fortasse episcopi sui judicium coeperit habere suspectum, aut ipsi de proprietate aliqua adversus ipsum episcopum fuerit nata contentio, aliorum episcoporum audientiam, non saecularium potestatum debebit ambire. Aliter a communione habeatur alienus.

X. *Episcopi alienos clericos ne promoveant.*

Episcopi quoque ab aliis episcopis ordinatos clericos sine permissu eorum a quibus fuerint ordinati promovere ad superiorem ordinem non praesumant, ne concordiam fraternam injuria illata contaminet.

XI. *Ut clerici nuptiarum convivia devitent* [1].

Presbyteri, diaconi atque subdiaconi vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec iis coetibus admisceantur ubi amatoria cantantur et turpia, aut obscoeni motus corporum choris et saltibus efferuntur [2]: ne auditus et obtutus sacris mysteriis deputatus, turpium spectaculorum atque verborum contagio polluatur.

XII. *Ut clerici Judaeorum convivia declinent* [3].

Omnes deinceps clerici Judaeorum convivia evitent nec eos ad convivium quisquam excipiat, quia, cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi: cum ea quae apostolo permittente nos sumimus ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse clerici quam Judaei, si nos quae ab illis apponuntur utamur, illi a nobis oblata contemnant.

XIII. *Ut clerici ebrietatem evitent* [4].

Ante omnia a clericis vitetur ebrietas, quae omnium vitiorum fomes ac nutrix est; nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere judicium, cum captus vino a sensu probetur alienus, et proclivis ad vitium mente labefacta ducatur, ac plerumque possit peccatum aut crimen dum nescit incurrere. Sed ignorantia talis non potest non subjacere poenae, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum esse supplicio.

---

1) Conc. Agathens. c. 39. — 2) *offeruntur* Reg. D, E. et Jes. — 3) Mss. alii hunc canonem foedissime depravatum exhibent. Congruit cum Agathensi 40. — 4) cf. Conc. Agathens. c. 41. —

XIV. *Ut clerici qui in civitate fuerint matutinis hymnis intersint.*

Clericus quem intra murum civitatis suae manere constiterit et a matutinis hymnis sine probabili excusatione aegritudinis inventus fuerit defuisse, septem diebus a communione habeatur extraneus: quia ministrum sacrorum eo tempore, quo non potest ab officio suo ulla honesta necessitas occupare, fas non est a salubri devotione cessare.

XV. *Ut idem ordo sacrorum et psallendi observetur intra provinciam.*

Rectum quoque duximus, ut vel intra provinciam nostram sacrorum ordo et psallendi una sit consuetudo, et sicut unam cum trinitatis confessione fidem tenemus, unam et officiorum regulam teneamus; ne varia observatione in aliquo devotio nostra discrepare credatur.

XVI. *De auguriis et sortibus sanctorum* [1].

Ac ne id fortasse videatur omissum, quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti clerici student auguriis, et sub nomine fictae religionis quas sanctorum sortes vocant divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt; hoc quicumque clericus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

Incolumem coronam vestram ecclesiae suae deus protegat, domini fratres.

CONCILIUM AGATHENSE [2].

Cum in nomine [3] domini ex permissu domini nostri gloriosissimi, magnificentissimi piissimique regis [4] in civitate Agathensi sancta synodus convenisset [5], ibique flexis in terram

---

[1]) Congruit hic canon cum Agathensis concilii can. 42. — [2]) Collatum ad manuscriptos codd. Regg. A, B, D, F, K, R, S, Corbej., Jesuit. A, B, C, D, Cotton. — Contulit Mansi ad Lucens. Cod. n. 124. — Quod in editione sua monuerat, hujus synodi canones in codice Gemblacensi extare tantum 48, hoc idem a Sirmondo in Lugdunensi, Remensi, Corbejensi, Fossatensi atque in aliis quibusque antiquissimis exemplaribus observatum est, ita ut dubium ei minime videatur, non plures hoc numero conditos primum a synodo ipsa fuisse, reliquos vero 25 aliunde postea, ex Epaunensi potissimum synodo depromptos esse. cf. Conc. Toletan. XVII. fin. (Part. I. pag. 392.). — In Codd. Hisp. omnes exstant 71 canones, sed Epaonenses nonnisi 30. cf. notam ad can. 48. — [3]) *Conc. Agath. viginti quinque episcoporum habitum era 544* [*543* Æ.]. *Anno vicesimo secundo Alarici regis sub die tertio Idus Septembris cum in nom.* Codd. Hisp. — *Messala v. c. consule* habet Corbej., Jes. A, B, Reg. B; in aliis deest nota consularis. — [4]) Verba: *ex permissu — regis* desunt in C. H. — [5]) *in civ. Agath. convenissemus,* om. sequentibus usque ad verba: *in sancti Andreae etc.,* C. H.

genibus pro regno ejus, pro longaevitate, pro populo dominum deprecaremur [1]), ut qui nobis congregationis permiserat potestatem, regnum ejus dominus felicitate extenderet, justitia gubernaret, virtute protegeret; in sancti Andreae basilica consedimus de disciplina et ordinationibus clericorum atque pontificum vel de ecclesiarum utilitatibus tractaturi.

I. *De bigamis* [2]) *clericis ut non ministrent.*

In primis [3]) id placuit ut canones et statuta patrum per ordinem legerentur. Quibus lectis [4]) placuit de bigamis aut internuptarum [5]) maritis, quamquam aliud patrum statuta decreverint, ut qui hucusque [6]) ordinati sunt, habita miseratione, presbyterii vel diaconatus nomen tantum obtineant; officium vero presbyteri consecrandi et ministrandi hujusmodi diacones non praesumant.

II. *De contumacibus clericis* [7]).

Contumaces vero clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab episcopis corrigantur: et si qui prioris gradus elati [8]) superbia communionem [9]) fortasse contempserint, aut ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint [9]), peregrina iis communio [10]) tribuatur; ita ut cum eos poenitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum dignitatemque recipiant.

III. *De episcopis qui vel innocentes vel pro minimis causis aliquos excommunicant.*

Episcopi vero, si sacerdotali moderatione postposita innocentes aut minimis causis culpabiles excommunicare praesumpserint, et ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, a vicinis episcopis cujuslibet provinciae literis moneantur: et si parere [11]) noluerint, communio illis usque ad tempus synodi a reliquis episcopis non negetur [12]); ne fortasse ad [13]) excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte praeveniantur.

IV. *De his qui suas vel propinquorum oblationes ecclesiae defraudant* [14]).

Clerici etiam vel saeculares qui oblationes parentum aut donatas aut testamentis relictas retinere persliterint [15]), aut id quod ipsi donaverint ecclesiis vel monasteriis crediderint auferendum, sicut synodus sancta constituit velut necatores pauperum, quousque reddant, ab ecclesiis excludantur.

---

1) *deprecaretur* M. — 2) *digamis* C. H. ubique. — 3) *in primo* C. H. 4) *definierunt* add. U. In omnibus autem Codd. Hisp. hic demum finis est praefationis. — 5) *iterum nuptarum* Lucens. n. 124. — 6) *hujuscemodi* Luc. — 7) *et ad officium tardis* add. C. H. — 8) *si qui priores gradus ut elati* Luc. — 9) *excommunicationem .. praesumpserint* Reg. D. — 10) cf. Conc. Regens. c. 3. — 11) *parcere* Reg. R, et Hisp. BR. T. 1. 2. — 12) *episcopis denegetur* Reg. F, K, R, Jes. D, Codd. Hisp. (praeter T. 1. 2. in quibus: *non denegetur*). — 13) *in* C. Hisp. — Deest *ad* in Luc. — 14) *fraudant* C. Hisp. — 15) *praesumpserint* Reg. A, D, Hisp. U. —

V. *Si clericus ecclesiae furtum fecerit.*

Si quis clericus furtum ecclesiae fecerit, peregrina communio ei tribuatur.

VI. *Si episcopo ab extraneis*[1] *quidquam fuerit derelictum.*

Pontifices vero, quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid aut cum ecclesia aut sequestratim aut dimittitur aut donatur, quia hoc ille qui donat pro redemptione animae suae, non pro commodo sacerdotis probatur offerre, non quasi suum proprium sed quasi dimissum ecclesiae inter[2] facultates ecclesiae computabunt, quia justum est, ut sicut sacerdos habet quod ecclesiae dimissum est, ita et ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti[3]. Sane quidquid per fideicommissum aut sacerdotis nomine[4] aut ecclesiae fortasse dimittitur cuicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas ecclesia computare aut retinere non[5] poterit.

VII. *De rebus ecclesiae quomodo ab episcopis distrahantur*[6], *et de servis ecclesiae qualiter ab episcopo manumittantur.*

Casellas vero vel mancipiola ecclésiae episcopi, sicut prisca canonum praecepit auctoritas, vel vasa ministerii quasi commendata fideli proposito integro ecclesiae jure possideant; id est ut neque vendere, neque per quoscumque contractus res unde pauperes vivunt alienare praesumant. Quod si necessitas certa compulerit, ut pro ecclesiae aut necessitate aut utilitate[7] vel in usufructu vel in directa[8] venditione aliquid distrahatur, apud duos vel tres comprovinciales vel vicinos episcopos causa, qua necesse sit vendi[9], primitus comprobetur: et habita discussione sacerdotali eorum subscriptione quae facta fuerit venditio roboretur; aliter facta venditio vel transactio non valebit. Sane si quos de servis ecclesiae bene meritos sibi episcopus libertate[10] donaverit, collatam libertatem a successoribus placuit custodiri, cum hoc quod iis manumissor in libertate[11] contulerit; quod tamen jubemus viginti solidorum[12] numerum, et[13] modum in terrula, vineola vel hospitiolo tenere. Quod amplius datum fuerit, post manumissoris mortem ecclesia revocabit. Minusculas vero res aut ecclesiae minus utiles peregrinis vel clericis salvo jure ecclesiae in usum praestari[14] permittimus[15].

VIII. *De clericis qui ad saeculares confugiunt.*

Id etiam placuit, ut clericus si relicto officio suo propter districtionem ad saecularem fortasse[16] confugerit, et is ad

---

1) *a quibuslibet* C. H. — 2) *reliquas* add. Reg. D, S. — 3) *relinquitur a sacerdote* Reg. D et Jes. C, *reliquerit sacerdos* Jes. B. — 4) *aut sacerdoti* Reg. R et Cotton., et C. H. — 5) *non* deest in Jes. B. 6) *habeantur* C. H. — 7) *pro ecclesiae augmento aut necessitate* Reg. D. 8) *vel indirecta* Luc. et C. H. — 9) *quae necesse sit vendendi* C. H. — 10) *libertati* C. H. — 11) *in libertatem* C. H. praeter Æ. BR. T. 1. 2. 12) *XXIII. solid.* Reg. F., *XXX. sol.* Luc. — 13) *et* deest in C. H. et in Luc. — 14) *perstare* C. Hisp. — 15) *praecipimus* Reg. S. — 16) *judicem* solus addit Labbeus, *defensionem* Luc. —

quem recurrit [1]) solatium ei [2]) defensionis impenderit, cum eodem de ecclesiae communione pellatur.

IX. *De presbyteris et diaconibus qui ad conjugalem torum [3]) revertuntur.*

Placuit etiam, ut si diacones aut presbyteri conjugati ad torum uxorum suarum redire voluerint, papae Innocentii ordinatio et [4]) Siricii episcopi auctoritas, quae est his canonibus inserta [5]), conservetur.

Epistola [6]) S. Innocentii Papae.

Dilectissimo fratri Exuperio Innocentius. Consulenti tibi, frater carissime. *Et post alia:* Proposuisti quid de his observari debeat, quos in diaconii ministerio aut in officio presbyterii positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodiderunt. De his et divinarum legum manifesta est disciplina, et beatae recordationis viri Siricii episcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis talibus positi omni ecclesiastico honore privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium, quod sola continentia oportet impleri. *Et post alia:* Nam si ad aliquos forma illa ecclesiasticae [7]) vitae pariter et disciplinae, quae a Siricio episcopo ad provincias commeavit, non probabitur pervenisse, his ignorationis [8]) venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere, et ita gradus suos in quibus inventi fuerint sic retentent [9]) ut ad potiora iis non liceat ascendere: quibus in beneficio esse debet, quod hunc ipsum locum quem retinent non amittunt [10]). Si qui autem scisse formam vivendi missam a [11]) Siricio episcopo detegentur [12]) neque statim cupiditates libidinis [13]) abjecisse, illi sunt modis omnibus submovendi, qui post admonitionem cognitam praeponendam arbitrati sunt voluptatem.

X. *Ut nullus clericorum cum extraneis foeminis habitet.*

Id etiam ad custodiendam vitam et famam [14]) speciali ordinatione praecipimus, ut nullus clericorum extraneae mulieri qualibet consolatione [15]) aut familiaritate jungatur. Et non solum in domo [16]) illius extranea mulier non accedat, sed nec ipse frequentandi ad [17]) extraneam mulierem habeat potesta-

---

1) *is ad quem recurrit* deest in Reg. A, B, Corb., Jes. A, Cotton. — 2) *et* deest in C. H. — 3) *cottum* C. H. — 4) *vel* C. H. — 5) Verba: *quae est his can. ins.* desunt in Codd. Hisp. — 6) Nullum hujus epistolae fragmentum habent Jes. A, B; ultimum tantum, quod incipit a verbis: *Nam si ad aliquos etc.* extat in Reg. A, B, F, R, Corb., Cotton., et in C. H. Epistolae prooemium et totum caput primum exhibent Reg. D, S. — 7) *Quodsi ad aliquos formula illa ecclesiastica* C. Hisp. — 8) *ignorationibus* U. G. — 9) *retineant* C. Hisp. — 10) *amittant* C. H. — 11) *dimissam a sancto* C. H. praeter U. G. — 12) *deteguntur* C. H. — 13) *cupiditatis libidines* C. H. — 14) *vitae famam* Cotton. — 15) *collatione* Reg. F, K, Jes. D, Cotton., et C. H.; *quolibet consortio* Reg. D, G, S; *consociatione* Luc. — 16) *in domum* Reg. A et Cotton. — 17) *ad* deest in Cotton. —

tem; sed cum matre tantum, sorore, filia [1]) et [2]) nepte, si habuerit aut voluerit, vivendi [3]) habeat potestatem, de quibus nominibus nefas est aliud quam natura constituit suspicari.

XI. *Ne ancillae aut libertae secretum clericis ministerium impendant* [4]).

Ancillas vel libertas [5]) a cellario vel a secreto ministerio et ab eadem mansione in qua clericus manet placuit removeri.

XII. *Ut omni quadragesima* [6]) *sabbato jejunetur.*

Placuit etiam ut omnes ecclesiae filii [7]), exceptis diebus dominicis in quadragesima, etiam die sabbato [8]), sacerdotali ordinatione et districtionis [9]) communicatione jejunent [10]).

XIII. *Ut symbolum ante octo dies paschae competentibus praedicetur.*

Symbolum etiam placuit ab omnibus ecclesiis una die, id est ante octo dies dominicae [11]) resurrectionis publice in ecclesia [12]) competentibus tradi.

XIV. *Ut altare et benedicatur et ungatur.*

Altaria [13]) placuit non solum unctione chrismatis sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.

XV. *Qualiter majores, qualiter minores* [14]) *poenitentiam accipiant.*

Poenitentes tempore quo poenitentiam petunt impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem [15]) comas non deposuerint aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur: et nisi digne poenituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam poenitentia non facile committenda est propter aetatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum.

XVI. *Qua aetate diacones ordinentur et quo modo si fuerint conjugati* [16]).

Episcopus [17]) benedictionem diaconatus minoribus quam viginti quinque annorum penitus non committat. Sane si conjugati juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione praemissa [18]), posteaquam pariter conversi fuerint, ordinentur.

XVII. *Qua aetate episcopi vel presbyteri consecrentur.*

Presbyterum vero vel episcopum ante triginta annos, id

---

1) *filia* deest in Luc. — 2) *aut* C. H. — 3) *liberam* add. novem Codices Paris., et Codd. Hisp. — 4) *Ut nullus clericus in cellario vel secreto foeminam intromittat* C. Hisp. — 5) *liberas* Luc. — 6) *omnibus diebus quadragesimae* C. H. — 7) *filii* deest in Luc. et Codd. Hisp. — 8) *sabbati* C. H. — 9) *discretionis* Reg. D. et Cotton. — 10) *et districtione communicationis debere jejunare* Luc. — 11) *id est octavo die ante dominicam* Luc. — 12) *a sacerdote* add. Reg. S. — 13) *vero* add. C. H. — 14) *juniores* BR. T. 2. — 15) *et si aut* C. H. — cf. Conc. Barcinon. I. c. 6. — 16) Verba: *et quo modo etc.*, desunt in C. Hisp. — 17) *vero* add. C. Hisp. — 18) *promissa* Luc. et C. Hisp. —

est antequam ad viri perfecti aetatem veniat [1]), nullus metropolitanorum ordinare praesumat, ne per aetatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur [2]).

XVIII. *De laicis quibus temporibus communicare debeant.*

Saeculares [3]) qui natale domini, pascha et pentecosten non communicaverint, catholici non credantur nec inter catholicos habeantur.

XIX. *De sanctimonialibus qua aetate velentur.*

Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum aetatis suae quadragesimum non velentur.

XX. *De clericis qui comam nutriunt.*

Clerici qui comam nutriunt ab archidiacono etiam si noluerint inviti detondeantur: vestimenta vel calceamenta etiam iis nisi quae religionem deceant [4]) uti vel habere non liceat.

XXI. *Ut solemnitates majores in civitatibus aut parochiis [5]) celebrentur.*

Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus ut ibi missas teneat [6]) propter fatigationem familiae justa ordinatione permittimus: pascha vero, natale domini, epiphania [7]), ascensionem domini, pentecosten et natalem [8]) sancti Joannis baptistae vel si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus aut in parochiis teneant. Clerici vero si qui in [9]) festivitatibus quas supra diximus, in oratoriis [10]) nisi jubente aut permittente episcopo missas facere aut tenere voluerint, a communione pellantur.

XXII. *Ut non liceat presbytero aut [11]) clerico rem ecclesiae vendere aut [11]) donare.*

Et licet superfluum sit de re nota et antiquis canonibus prohibita iterato aliquid definire, attamen quo facilius cupiditas aut improbitas reprimatur id statuimus quod omnes canones [12]) jubent, ut civitatenses sive dioecesani presbyteri vel clerici salvo jure ecclesiae rem ecclesiae, sicut permiserint episcopi, teneant; vendere autem aut donare penitus non praesumant. Quod si fecerint [13]), et facta venditio non valebit et de facultatibus, si quas habent proprias, indemnem ecclesiam reddant et communione priventur.

XXIII. *Ut clericus minor [14]) seniori non praeponatur.*

Episcopus [15]) etiam quorum vita non reprehenditur posteriorem priori nullum praeponat, nisi fortasse elatus superbia quod

---

1) *perveniant* C. H. — 2) Burchardus habet: *detineantur*. Mansi. — 3) *vero* add. C. H. — 4) *doceant* Luc. — 5) *aut parochiis* deest in C. Hisp. — 6) *teneant* C. Hisp. — 7) *epiphaniam* C. Hisp. — 8) *natale* C. H. — 9) *in his* C. H. — 10) *his* add. C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *canones* deest in C. H. — 13) *aut fecerunt* add. Luc. — 14) *junior* C. H. — 15) *clericorum*, ac postea *nullus* pro *nullum*, Reg. R et Cotton. —

pro necessitate ecclesiae episcopus jusserit implere contemnat. Sane si officium archidiaconatus [1]) propter simpliciorem naturam implere aut expedire nequiverit, ille loci sui nomen teneat et ordinationi ecclesiae quem elegerit episcopus praeponatur.

XXIV. *De expositis inventis.*

De expositis [2]) id observandum quod jam dudum synodus sancta [3]) constituit.

XXV. *De saecularibus qui suas uxores derelinquunt.*

Hi vero saeculares qui conjugale consortium culpa [4]) graviore dimittunt vel etiam dimiserunt, et nullas causas discidii probabiliter proponentes propterea sua matrimonia dimittunt ut aut illicita aut aliena praesumant: si antequam apud episcopos comprovinciales discidii causas dixerint, et prius uxores quam judicio damnentur abjecerint, a communione ecclesiae et sancto populi coetu pro eo quod fidem et conjugia maculant excludantur.

XXVI. *Si quis documenta ecclesiae supprimat vel adversariis tradat* [5]).

Si quis [6]) de clericis documenta quibus ecclesiae possessio firmatur aut supprimere [7]) aut negare aut adversariis fortasse tradere damnabili et punienda obstinatione praesumpserit [8]), quidquid per absentiam documentorum damni ecclesiae illatum est de propriis facultatibus reddat, et communione privetur [9]). Hi etiam, qui in damno [10]) ecclesiae instrumenta ecclesiae impie sollicitatis [11]) traditoribus susceperint, pari sententia feriantur [12]).

XXVII. *Ut monasterium novum* [13]) *inconsulto episcopo nullus constituat* [14]) *et de monachis sine abbatis consensu non ordinandis.*

Monasterium novum nisi episcopo aut permittente aut probante nullus incipere aut fundare praesumat. Monachi etiam [15]) vagantes ad officium clericatus nisi iis testimonium abbas suus dederit, nec in civitatibus nec in parochiis ordinentur. Monachum nisi abbatis sui [16]) permissu aut voluntate ad alterum monasterium commigrantem nullus abbas suscipere aut retinere praesumat, sed ubicumque fuerit [17]) abbati suo auctoritate

---

1) *archidiaconus* C. H. — 2) *infantibus* add. quatuor Codd. Pariss. — 3) *nostra* add. Reg. K. — v. Conc. Vasens. I. c. 9. — 4) *nulla culpa* Reg. D, R, Cotton., et Jes. C, D. — 5) *Ut si voluntarie clericus damnum ecclesiae fecerit, et satisfaciat et excommunicetur* C. Hisp. — 6) *Si qui vero* C. Hisp. — 7) *subripere* C. Hisp. praeter Æ. BR. E. 3. T. 1. 2. — 8) *praesumpserint* C. H.; *aut praesumpsit aut praesumpserit* Luc. et quidam Codd. Pariss. — 9) *reddant .. priventur* C. H. 10) *in damnum* C. H. — 11) *sollicitati a* (om. verbis: *pari sent. fer.*) C. H. 12) In Reg. K, Jes. D et Cotton. sic desinit canon: *Hi autem qui in damno ecclesiae impie sollicitati a traditoribus aliquid susceperint superiori sententia teneantur.* — *susceperunt vel susceperint poenitentia feriantur* Luc. — 13) *novum* deest in C. H. — 14) *construat* C. H, in quibus desunt verba: *sine abb. cons. non ord.* — 15) *vero* C. H. — 16) *aut* add. C. H. — 17) *fuerint* C. H. —

canonum revocetur [1]). Si necesse fuerit clericum de monachis ordinari, cum consensu et voluntate abbatis praesumat episcopus.

XXVIII. *Ut monasteria puellarum procul a monachis constituantur* [2]).

Monasteria puellarum longius a monasteriis monachorum aut propter insidias diaboli aut propter oblocutiones hominum collocentur.

XXIX. *De libertis ut in necessitate ab ecclesia defendantur* [3]).

Libertos legitime a dominis suos factis ecclesia si necessitas exegerit tueatur; quos [4]) si quis ante audientiam aut pervadere [5]) aut exspoliare praesumpserit, ab ecclesia repellatur.

XXX. *Ut post antiphonas orationes dicantur.*

Et quia convenit ordinem ecclesiae ab omnibus aequaliter [6]) custodiri, studendum [7]) est, ut sicut ubique fit et post antiphonas collectiones per ordinem ab episcopis vel presbyteris dicantur, et hymni matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur [8]), et in conclusione [9]) matutinarum vel vespertinarum missarum post hymnos capitella [10]) de psalmis dicantur, et plebs collecta oratione ad vesperam ab episcopo cum benedictione dimittatur [11]).

XXXI. *De his qui propter* [12]) *odium ad pacem non revertuntur.*

Placuit etiam, ut sicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua inter se lite dissenserint et ad pacem revocari diutina [13]) intentione nequiverint, a civitatis primitus sacerdotibus [14]) arguantur: qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de ecclesiae coetu justissima excommunicatione pellantur.

XXXII. *Ut clericus inconsulto episcopo ad judicem saecularem non pergat.*

Clericus ne quemquam [15]) praesumat apud saecularem judicem episcopo non permittente pulsare, sed si pulsatus fuerit respondeat [16]), non proponat nec audeat criminale negotium in judicio saeculari proponere. Si quis vero saecularium per calumniam ecclesiam aut clericum fatigare tentaverit et victus [17]) fuerit, ab ecclesiae liminibus et a catholicorum communione nisi digne poenituerit arceatur.

XXXIII. *Si episcopus haeredes non habens ecclesiam cui praefuit haeredem non fecerit.*

Episcopus qui filios aut nepotes non habens alium quam

---

1) *revocentur* C. H. 2) *monasterium* .. *construatur* C. H. 3) *tueantur* C. H. 4) *quod* C. H. — 5) *persuadere* Æ. — 6) *aequaliter* deest in Luc. 7) *statuendum*, sublata particula *ut* et verbis quae sequuntur modo infinitivo positis: *dici*, *decantari etc.* Duo Codd. Regg. et Cotton. — 8) *hymnos matutinos vel vespertinos* .. *decantari* C. H. — 9) *in conclusionem* C. H. — 10) *capitula* U. — 11) *dici et plebem* . . . *dimitti* C. H. — 12) *per* C. H. — 13) *durissima* Reg. D, S. — 14) *sacerdote* Luc. — 15) *nequaquam* C. H. — 16) *non respondeat* Reg. D, K, Cotton., Jes. D. — 17) *et evictus* C. H. (praeter T. I. 2.) et Luc. —

ecclesiam relinquit [1]) haeredem, si quid de ecclesia [2]) non in ecclesiae causa aut necessitate praesumpsit, quod distraxit aut donavit irritum habeatur: qui vero filios habet, de bonis quae relinquit [1]) ab haeredibus ejus indemnitatibus ecclesiae consulatur.

XXXIV. *De Judaeis qui converti cupiunt qualiter recipiantur* [3]).

Judaei quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad legem [4]) catholicam venire voluerint, octo mensibus inter catechumenos ecclesiae limen introeant, et si pura fide venire noscuntur tum demum baptismatis gratiam mereantur [5]). Quod si casu aliquo [6]) periculum infirmitatis intra praescriptum tempus incurrerint, et desperati fuerint, baptizentur [7]).

XXXV. *Si episcopus a metropolitano admonitus pro synodo vel ordinatione episcopali venire distulerit.*

Si metropolitanus episcopus ad comprovinciales episcopos epistolas direxerit, in quibus eos aut ad ordinationem summi pontificis aut ad synodum invitet, postpositis omnibus, excepta gravi infirmitate corporis aut praeceptione regia, ad constitutam diem adesse non differant. Quod [8]) si defuerint, sicut prisca canonum praecipit [9]) auctoritas, usque ad proximam synodum caritate fratrum et ecclesiae communione priventur.

XXXVI. *Ut stipendia clericorum juxta meritum distribuantur.*

Clerici etiam omnes, qui ecclesiae fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum vel ordinationem canonum a sacerdotibus consequantur.

XXXVII. *De homicidis et* [10]) *falsis testibus.*

Itaque censuimus homicidas et falsos testes a communione ecclesiastica submovendos, nisi poenitentiae satisfactione crimina admissa diluerint [11]).

XXXVIII. *Ut sine episcopi sui epistola non liceat clerico vel monacho* [12]) *proficisci, et de monachis vel abbatibus.*

Clericis sine commendatitiis epistolis episcopi sui licentia non pateat evagandi. In monachis quoque par [13]) sententiae forma servetur: quos si verborum increpatio non emendaverit, etiam verberibus statuimus coerceri. Servandum quoque de monachis, ne iis ad solitarias cellulas liceat a congregatione discedere, nisi forte probatis post emeritos labores aut propter infirmitatis necessitatem asperior ab abbatibus regula remittatur; quod ita demum fiet, ut intra eadem monasterii septa

---

1) *reliquit* C. H. — 2) *de ecclesiae rebus* in m. M. — 3) *suscipiantur* C. H. — 4) *ecclesiam* T. 1. 2. — 5) *consequantur* A. E. 4. U. G. 6) *quis* add. C. H. — 7) *incurrerit . . fuerit baptizetur* C. H. — 8) *qui* C. H. — 9) *praecepit* C. H. — 10) *vel* C. H. — 11) *deleverint* in m. M. — 12) *clericum vel monachum* C. H. — cf. Conc. Venet. c. 5. 6. 7. 8. — 13) *praesentis* Reg. D, Jes. D, Cotton., et C. Hisp.; *praesens* Reg. A. —

manentes, tamen sub abbatis potestate separatas habere cellulas permittantur. Abbatibus quoque singulis diversas cellulas aut plura monasteria habere non liceat, nisi tantum propter incursum hostilitatis [1]) intra muros receptacula collocare.

XXXIX. *Ut clerici nuptialia vitent convivia.*

Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his coetibus admisceantur ubi amatoria cantantur et turpia, aut obscoeni motus corporum choris et saltibus [2]) efferuntur: ne auditus et obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur [3]).

XL. *Ne Christiani Judaeorum utantur conviviis* [4]).

Omnes deinceps clerici sive laici Judaeorum convivia evitent, nec eos ad convivium quisquam [5]) excipiat; quia cum apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quae apostolo permittente nos sumimus ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Christiani [6]) quam Judaei, si nos quae ab illis apponuntur utamur, illi vero a nobis oblata contemnant.

XLI. *Ut a clericis vitetur* [7]) *ebrietas.*

Ante omnia a clericis vitetur [7]) ebrietas, quae omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio [8]).

XLII. *De sortilegis vel auguratoribus* [9]) *ut ab ecclesia separentur.*

Ac ne id fortasse videatur omissum quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti clerici sive [10]) laici student auguriis, et sub nomine fictae religionis per eas [11]) quas sanctorum sortes vocant divinationis scientiam profitentur aut quarumcumque scripturarum inspectione futura promittunt; hoc quicumque clericus vel laicus detectus fuerit vel consulere vel docere, ab ecclesia habeatur extraneus.

XLIII. *Ut* [12]) *de poenitentibus clericus non ordinetur, et ordinati non ministrent* [13]).

De poenitentibus id placuit observare [14]) quod sancti pa-

---

1) *hospitalitatis* C. H. — 2) *saltationibus* C. H. — 3) *deputatus* ... *polluatur* C. H. — v. Conc. Venet. c. 11. — 4) *Ut* ... *vitent convivia* C. H. — v. Conc. Venet. c. 12. — 5) *quisquis* C. H. — 6) *catholici* plures mss. Pariss. — 7) *vetetur*, om. voce *a*, C. Hisp. et Luc. — v. Conc. Venet. c. 13. — 8) Verba: *aut corp. subd. suppl.* desunt in solo Reg. S. — 9) *auguria observantibus* C. H. — v. Conc. Venet. c. 16. — 10) *vel* C. H. — *sive laici* deest in Reg. B. 11) *per eas* deest in C. Hisp. — 12) *Ne*, om. voce *non*, C. Hisp. — 13) *et ut presbyter altare non erigat* C. H. — 14) *observari* C. H. — cf. Statut. eccl. ant. c. 68 (Part. I., pag. 147). —

tres nostri [1]) synodali sententia censuerunt [2]), ut nullus de his clericus ordinetur, et qui jam sunt per ignorantiam ordinati ut [3]) sicut bigami aut internuptarum mariti locum teneant; ministrare [4]) diaconus [5]) aut consecrare altare [6]) hujusmodi [7]) presbyter non praesumat.

XLIV. *Ne presbyter* [8]) *benedictionem populo vel poenitenti* [9]) *in ecclesia dare praesumat.*

Benedictionem super plebem in ecclesia fundere aut poenitentem in ecclesia benedicere presbytero penitus non licebit.

XLV. *Quod episcopus exiguas ecclesiae possessiones distrahere potest* [10]).

Terrulas aut vineolas exiguas et ecclesiae minus utiles aut longe positas parvas episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat potestatem.

XLVI. *Ut servos ecclesiae fugitivos liceat vendere episcopo.*

Fugitivi etiam domos suas aut familias deserentes, qui etiam si revocati fuerint teneri non possunt, simili ratione ab episcopo, si voluerit [11]), aut si ita illi meruerint, distrahantur.

XLVII. *Ut ante missam expletam egredi populus non praesumat.*

Missas die dominico a saecularibus totas teneri speciali ordinatione praecipimus, ita ut ante benedictionem sacerdotis egredi populus non praesumat: qui si fecerint, ab episcopo publice confundantur [12]).

XLVIII. *De rebus episcopi propriis vel acquisitis.*

Ut de rebus episcopi propriis vel acquisitis vel [13]) quidquid episcopus de suo proprio habet, haeredibus suis [14]) si voluerit derelinquat [15]); quidquid vero de provisione ecclesiae fuerit [16]) sive de agris sive de frugibus sive de oblationibus, omnia in jure ecclesiae reservare [17]) censuimus.

---

1) *in* add. C. H. — 2) *statuerunt* C. H. et Luc. — 3) *aut* C. H. 4) *ordinare* Codd. Hisp. praeter E. 3. U. Æ. BR. — 5) *diacones* C. H. praeter Æ. BR. — 6) *altare* deest in Reg. S et Cotton.; *altarium* Luc. — 7) *hujusmodi* deest in C. H. — 8) *praesente episcopo* add. U. — 9) *poenitentiam*, om. voce *populo*, C. Hisp. — 10) *Ut episcopus exiguum aliquid sine clericorum etiam conniventia distrahat* C. Hisp. — 11) *episcopis si voluerint* C. H. — 12) Qui sequuntur canones extant in mss. codd. Regg. F, K, R, Cotton., et in Codicibus Hispanis. In aliis, et in Cod. Lucensi quem contulit Mansi desunt. In Reg. A et Corbej. canon 47. cum initio 71. conjunctus est, cujus haec verba complectitur: *Synodum — plac. congregari.* In Reg. S et Lucens. 124 can. 48. constat his verbis canonis 71: *Et quia etc.*; prima autem verba ejusdem can. 71. (*Synod. — congreg.*) can. 49. efficiunt. — cf. pag. 145, not. 1. — 13) Verba: *Ut — vel* desunt in C. Hisp. — 14) *ad haeredes suos* C. H. — 15) *Ut — derelinquat.* Haec et interposita desunt in Cotton. — 16) *fuerit* deest in C. H. 17) *reservari* Reg. R et Cotton. —

XLIX. *De non alienandis ab aliquo* [1]) *rebus ecclesiae et de libertis.*

Diacones vel presbyteri [2]) in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissae [3]), ut superius comprehensum est, alienare [4]) praesumant. Quod si fecerint [5]), convicti in concilio et ab honore depositi de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare praesumpserit [6]), si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud [7]) stare licebit. Libertos tamen [8]), quos sacerdotes, presbyteri vel [9]) diaconi de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiae prosequi jubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus* [10]).

Si episcopus, presbyter aut [11]) diaconus capitale crimen commiserit [12]) aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio [13]) retrudatur, et ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

LI. *De testamento episcopi* [14]).

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi tantumdem [15]) de juris proprii facultate suppleverit.

LII. *De clericis qui sine epistolis sui pontificis* [16]) *proficiscuntur.*

Presbytero aut diacono vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem [17]) nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res ecclesiae distrahentibus.*

Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris proprietate [18]) distraxerit, inane habeatur et vacuum, vendicatione [19]) comparantis et actione vendentis [20]).

LIV. *De iisdem ut quidquid emerint in nomine comparent ecclesiae.*

Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad

---

1) *ab episcopo* C. H. — 2) *Diaconus vel presbyter* C. H. et Reg. F. — 3) *commissis* C. Hisp. — 4) *emutilare* Reg. F, *emutare* BR. — 5) *facere voluerint* C. H. — 6) *voluerit* C. H. — 7) *illud* C. H. — 8) *ita tamen libertos* C. H. — 9) *vel* deest in C. H. — 10) *qui crim. cap. commiserint* C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *commiserint* et sic deinceps in plurali, tres mss. Pariss. et C. H. — 13) *in monasterium* C. H. — 14) *De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint* C. H. — 15) *tantum* C. H. — 16) *episcopi* C. H. — 17) *Presbyter .. diaconus .. clericus ambulans communionem ei* C. H. — 18) *possessione* C. H. — 19) *emptione* Cotton. 20) *venditore* (*venditorem* A., *venditori* U.) *comparantis actione vertente* C. Hisp. —

ecclesiae nomen scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [1]) ecclesiae ordinatione discedat.

LV. *Ut sacerdotes et levitae canibus ad venandum et accipitribus non utantur.*

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit [2]), si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus se abstineat [3]), diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. *De venditionibus quas abbates facere praesumunt.*

In venditionibus quas abbates facere praesumunt [4]) haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbate [5]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. *Ne unus abbas duobus coenobiis praeponetur* [6]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. *Ne monasterium sine notitia episcopi constituatur.*

Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

LIX. *De rebus ecclesiae usui collatis ut praesciptionis tempore* [7]) *non defendantur.*

Clerici quilibet quaecumque [8]) diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in jus proprium praescriptione temporis non vocentur [9]), dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis [10]) suae posse transcribere.

LX. *De lapsis qui de catholica fide in haeresim transeunt.*

Lapsis, id est qui in catholica fide [11]) baptizati sunt, si [12]) praevaricatione damnabili post in haeresim transierint [13]), grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos, annorum multitudine breviata, poenitentiam biennii conditione infra scriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertio [14]) sine relaxatione jejunent et ecclesiam studeant frequentare. In poenitentium loco standi et orandi humilitatem ita [15]) noverint observandam, ut etiam ipsi, cum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint,

---

1) *tenet* tres mss. Pariss. — 2) *fuerit* deest in C. H. — 3) *abstineatur*, om. voce *se*, C. H. — 4) *praesumpserint* C. H. — 5) *abbatibus* C. H. — 6) *praeferatur* C. H. — 7) *praescriptione temporis* C. H. — 8) *quodlibet etiam quantacumque* C. H. — 9) *vocetur* C. H. 10) *proprietati* (om. v. *in jus*) C. H. — 11) *ecclesia* BR. — 12) Verba: *sunt si*, desunt in C. H. — 13) *transierunt* C. H. — 14) *tertia die* C. H. — *die* etiam addit Cotton. — 15) *ita* deest in C. H. —

XLIX. *De non alienandis ab aliquo* [1] *rebus ecclesiae et de libertis.*

Diacones vel presbyteri [2] in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissae [3], ut superius comprehensum est, alienare [4] praesumant. Quod si fecerint [5], convicti in concilio et ab honore depositi de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare praesumpserit [6], si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud [7] stare licebit. Libertos tamen [8], quos sacerdotes, presbyteri vel [9] diaconi de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiae prosequi jubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus* [10].

Si episcopus, presbyter aut [11] diaconus capitale crimen commiserit [12] aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio [13] retrudatur, et ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

LI. *De testamento episcopi* [14].

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi tantumdem [15] de juris proprii facultate suppleverit.

LII. *De clericis qui sine epistolis sui pontificis* [16] *proficiscuntur.*

Presbytero aut diacono vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem [17] nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res ecclesiae distrahentibus.*

Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris proprietate [18] distraxerit, inane habeatur et vacuum; vendicatione [19] comparantis et actione vendentis [20].

LIV. *De iisdem ut quidquid emerint in nomine comparent ecclesiae.*

Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad

---

1) *ab episcopo* C. H. — 2) *Diaconus vel presbyter* C. H. et Reg. F. — 3) *commissis* C. Hisp. — 4) *emutilare* Reg. F, *emulare* BR. — 5) *facere voluerint* C. H. — 6) *voluerit* C. H. — 7) *illud* C. H. — 8) *ita tamen libertos* C. H. — 9) *vel* deest in C. H. — 10) *qui crim. cap. commiserint* C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *commiserint* et sic deinceps in plurali, tres mss. Pariss. et C. H. — 13) *in monasterium* C. H. — 14) *De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint* C. H. — 15) *tantum* C. H. — 16) *episcopi* C. H. — 17) *Presbyter .. diaconus .. clericus ambulans communionem ei* C. H. — 18) *possessione* C. H. — 19) *emptione* Cotton. 20) *venditore* (*venditorem* A., *venditori* U.) *comparantis actione vertente* C. Hisp. —

ecclesiae nomen scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [1]) ecclesiae ordinatione discedat.

LV. *Ut sacerdotes et levitae canibus ad venandum et accipitribus non utantur.*

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit [2]), si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus se abstineat [3]), diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. *De venditionibus quas abbates facere praesumunt.*

In venditionibus quas abbates facere praesumunt [4]) haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbate [5]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. *Ne unus abbas duobus coenobiis praeponetur* [6]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. *Ne monasterium sine notitia episcopi constituatur.*

Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

LIX. *De rebus ecclesiae usui collatis ut praesciptionis tempore* [7]) *non defendantur.*

Clerici quilibet quaecumque [8]) diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in jus proprium praescriptione temporis non vocentur [9]), dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis [10]) suae posse transcribere.

LX. *De lapsis qui de catholica fide in haeresim transeunt.*

Lapsis, id est qui in catholica fide [11]) baptizati sunt, si [12]) praevaricatione damnabili post in haeresim transierint [13]), grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos, annorum multitudine breviata, poenitentiam biennii conditione infra scriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertio [14]) sine relaxatione jejunent et ecclesiam studeant frequentare. In poenitentium loco standi et orandi humilitatem ita [15]) noverint observandam, ut etiam ipsi, cum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint,

---

1) *tenet* tres mss. Pariss. — 2) *fuerit* deest in C. H. — 3) *abstineatur*, om. voce *se*, C. H. — 4) *praesumpserint* C. H. — 5) *abbatibus* C. H. — 6) *praeferatur* C. H. — 7) *praescriptione temporis* C. H. — 8) *quodlibet etiam quantacumque* C. H. — 9) *vocetur* C. H. 10) *proprietati* (om. v. *in jus*) C. H. — 11) *ecclesia* BR. — 12) Verba: *sunt si*, desunt in C. H. — 13) *transierunt* C. H. — 14) *tertia die* C. H. — *die* etiam addit Cotton. — 15) *ita* deest in C. H. —

XLIX. *De non alienandis ab aliquo*[1] *rebus ecclesiae et de libertis.*

Diacones vel presbyteri[2] in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissae[3], ut superius comprehensum est, alienare[4] praesumant. Quod si fecerint[5], convicti in concilio et ab honore depositi de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare praesumpserit[6], si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud[7] stare licebit. Libertos tamen[8], quos sacerdotes, presbyteri vel[9] diaconi de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiae prosequi jubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus*[10].

Si episcopus, presbyter aut[11] diaconus capitale crimen commiserit[12] aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio[13] retrudatur, et ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

LI. *De testamento episcopi*[14].

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi tantumdem[15] de juris proprii facultate suppleverit.

LII. *De clericis qui sine epistolis sui pontificis*[16] *proficiscuntur.*

Presbytero aut diacono vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem[17] nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res ecclesiae distrahentibus.*

Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris proprietate[18] distraxerit, inane habeatur et vacuum; vendicatione[19] comparantis et actione vendentis[20].

LIV. *De iisdem ut quidquid emerint in nomine comparent ecclesiae.*

Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad

---

1) *ab episcopo* C. H. — 2) *Diaconus vel presbyter* C. H. et Reg. F. — 3) *commissis* C. Hisp. — 4) *emutilare* Reg. F, *emulare* BR. — 5) *facere voluerint* C. H. — 6) *voluerit* C. H. — 7) *illud* C. H. — 8) *ita tamen libertos* C. H. — 9) *vel* deest in C. H. — 10) *qui crim. cap. commiserint* C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *commiserint* et sic deinceps in plurali, tres mss. Pariss. et C. H. — 13) *in monasterium* C. H. — 14) *De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint* C. H. — 15) *tantum* C. H. — 16) *episcopi* C. H. — 17) *Presbyter .. diaconus .. clericus ambulans communionem ei* C. H. — 18) *possessione* C. H. — 19) *emptione* Cotton. 20) *venditore* (*venditorem* A., *venditori* U.) *comparantis actione vertente* C. Hisp. —

ecclesiae nomen scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [1]) ecclesiae ordinatione discedat.

LV. *Ut sacerdotes et levitae canibus ad venandum et accipitribus non utantur.*

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit [2]), si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus se abstineat [3]), diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. *De venditionibus quas abbates facere praesumunt.*

In venditionibus quas abbates facere praesumunt [4]) haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbate [5]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. *Ne unus abbas duobus coenobiis praeponetur* [6]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. *Ne monasterium sine notitia episcopi constituatur.*

Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

LIX. *De rebus ecclesiae usui collatis ut praesciptionis tempore* [7]) *non defendantur.*

Clerici quilibet quaecumque [8]) diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in jus proprium praescriptione temporis non vocentur [9]), dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis [10]) suae posse transcribere.

LX. *De lapsis qui de catholica fide in haeresim transeunt.*

Lapsis, id est qui in catholica fide [11]) baptizati sunt, si [12]) praevaricatione damnabili post in haeresim transierint [13]), grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos, annorum multitudine breviata, poenitentiam biennii conditione infra scriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertio [14]) sine relaxatione jejunent et ecclesiam studeant frequentare. In poenitentium loco standi et orandi humilitatem ita [15]) noverint observandam, ut etiam ipsi, cum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint,

---

1) *tenet* tres mss. Pariss. — 2) *fuerit* deest in C. H. — 3) *abstineatur*, om. voce *se*, C. H. — 4) *praesumpserint* C. H. — 5) *abbatibus* C. H. — 6) *praeferatur* C. H. — 7) *praescriptione temporis* C. H. — 8) *quodlibet etiam quantacumque* C. H. — 9) *vocetur* C. H. 10) *proprietati* (om. v. *in jus*) C. H. — 11) *ecclesia* BR. — 12) Verba: *sunt si*, desunt in C. H. — 13) *transierunt* C. H. — 14) *tertia die* C. H. — *die* etiam addit Cotton. — 15) *ita* deest in C. H. —

XLIX. *De non alienandis ab aliquo*[1] *rebus ecclesiae et de libertis.*

Diacones vel presbyteri[2] in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissae[3], ut superius comprehensum est, alienare[4] praesumant. Quod si fecerint[5], convicti in concilio et ab honore depositi de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare praesumpserit[6], si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud[7] stare licebit. Libertos tamen[8], quos sacerdotes, presbyteri vel[9] diaconi de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiae prosequi jubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus*[10].

Si episcopus, presbyter aut[11] diaconus capitale crimen commiserit[12] aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio[13] retrudatur, et ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

LI. *De testamento episcopi*[14].

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi tantumdem[15] de juris proprii facultate suppleverit.

LII. *De clericis qui sine epistolis sui pontificis*[16] *proficiscuntur.*

Presbytero aut diacono vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem[17] nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res ecclesiae distrahentibus.*

Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris proprietate[18] distraxerit, inane habeatur et vacuum; vendicatione[19] comparantis et actione vendentis[20].

LIV. *De iisdem ut quidquid emerint in nomine comparent ecclesiae.*

Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad

---

1) *ab episcopo* C. H. — 2) *Diaconus vel presbyter* C. H. et Reg. F. — 3) *commissis* C. Hisp. — 4) *emutilare* Reg. F, *emulare* BR. — 5) *facere voluerint* C. H. — 6) *voluerit* C. H. — 7) *illud* C. H. — 8) *ita tamen libertos* C. H. — 9) *vel* deest in C. H. — 10) *qui crim. cap. commiserint* C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *commiserint* et sic deinceps in plurali, tres mss. Pariss. et C. H. — 13) *in monasterium* C. H. — 14) *De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint* C. H. — 15) *tantum* C. H. — 16) *episcopi* C. H. — 17) *Presbyter .. diaconus .. clericus ambulans communionem et* C. H. — 18) *possessione* C. H. — 19) *emptione* Cotton. 20) *venditore* (*venditorem* A., *venditori* U.) *comparantis actione vertente* C. Hisp. —

ecclesiae nomen scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [1] ecclesiae ordinatione discedat.

LV. *Ut sacerdotes et levitae canibus ad venandum et accipitribus non utantur.*

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit [2]), si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus se abstineat [3]), diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. *De venditionibus quas abbates facere praesumunt.*

In venditionibus quas abbates facere praesumunt [4]) haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbate [5]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. *Ne unus abbas duobus coenobiis praeponetur* [6]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. *Ne monasterium sine notitia episcopi constituatur.*

Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

LIX. *De rebus ecclesiae usui collatis ut praesciptionis tempore* [7]) *non defendantur.*

Clerici quilibet quaecumque [8]) diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in jus proprium praescriptione temporis non vocentur [9]), dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis [10]) suae posse transcribere.

LX. *De lapsis qui de catholica fide in haeresim transeunt.*

Lapsis, id est qui in catholica fide [11]) baptizati sunt, si [12]) praevaricatione damnabili post in haeresim transierint [13]), grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos, annorum multitudine breviata, poenitentiam biennii conditione infra scriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertio [14]) sine relaxatione jejunent et ecclesiam studeant frequentare. In poenitentium loco standi et orandi humilitatem ita [15]) noverint observandam, ut etiam ipsi, cum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint,

---

1) *tenet* tres mss. Pariss. — 2) *fuerit* deest in C. H. — 3) *abstineatur*, om. voce *se*, C. H. — 4) *praesumpserint* C. H. — 5) *abbatibus* C. H. — 6) *praeferatur* C. H. — 7) *praescriptione temporis* C. H. — 8) *quodlibet etiam quantacumque* C. H. — 9) *vocetur* C. H. 10) *proprietati* (om. v. *in jus*) C. H. — 11) *ecclesia* BR. — 12) Verba: *sunt si*, desunt in C. H. — 13) *transierunt* C. H. — 14) *tertia die* C. H. — *die* etiam addit Cotton. — 15) *ita* deest in C. H. —

XLIX. *De non alienandis ab aliquo*[1] *rebus ecclesiae et de libertis.*

Diacones vel presbyteri[2] in parochia constituti de rebus ecclesiae sibi creditis nihil audeant commutare, vendere vel donare, quia res sacratae deo esse noscuntur. Similiter et sacerdotes nihil de rebus ecclesiae sibi commissae[3], ut superius comprehensum est, alienare[4] praesumant. Quod si fecerint[5], convicti in concilio et ab honore depositi de suo proprio aliud tantum restituant quantum visi sunt praesumpsisse. Sane si quis pro qualibet conditione de rebus ecclesiae aliquid alienare praesumpserit[6], si de suo proprio tantum ecclesiae contulerit quantum visus est abstulisse, tunc demum istud[7] stare licebit. Libertos tamen[8], quos sacerdotes, presbyteri vel[9] diaconi de ecclesia sibi commissa facere voluerint, actus ecclesiae prosequi jubemus; quod si facere contempserint, placuit eos ad proprium reverti servitium.

L. *De clericis capitale crimen incurrentibus*[10].

Si episcopus, presbyter aut[11] diaconus capitale crimen commiserit[12] aut chartam falsaverit aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus in monasterio[13] retrudatur, et ibi quamdiu vixerit laicam tantummodo communionem accipiat.

LI. *De testamento episcopi*[14].

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi tantumdem[15] de juris proprii facultate suppleverit.

LII. *De clericis qui sine epistolis sui pontificis*[16] *proficiscuntur.*

Presbytero aut diacono vel clerico sine antistitis sui epistolis ambulanti, communionem[17] nullus impendat.

LIII. *De presbyteris parochianis res ecclesiae distrahentibus.*

Quidquid parochiarum presbyter de ecclesiastici juris proprietate[18] distraxerit, inane habeatur et vacuum; vendicatione[19] comparantis et actione vendentis[20].

LIV. *De iisdem ut quidquid emerint in nomine comparent ecclesiae.*

Presbyter dum dioecesim tenet, de his quae emerit ad

---

1) *ab episcopo* C. H. — 2) *Diaconus vel presbyter* C. H. et Reg. F. — 3) *commissis* C. Hisp. — 4) *emutilare* Reg. F, *emutare* BR. — 5) *facere voluerint* C. H. — 6) *voluerit* C. H. — 7) *illud* C. H. — 8) *ita tamen libertos* C. H. — 9) *vel* deest in C. H. — 10) *qui crim. cap. commiserint* C. H. — 11) *vel* C. H. — 12) *commiserint* et sic deinceps in plurali, tres mss. Pariss. et C. H. — 13) *in monasterium* C. H. — 14) *De episcopis qui per testamentum de rebus ecclesiae aliquid contulerint* C. H. — 15) *tantum* C. H. — 16) *episcopi* C. H. — 17) *Presbyter .. diaconus .. clericus ambulans communionem ei* C. H. — 18) *possessione* C. H. — 19) *emptione* Cotton. 20) *venditore* (*venditorem* A., *venditori* U.) *comparantis actione vertente* C. Hisp. —

ecclesiae nomen scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [1]) ecclesiae ordinatione discedat.

LV. *Ut sacerdotes et levitae canibus ad venandum et accipitribus non utantur.*

Episcopis, presbyteris, diaconibus canes ad venandum aut accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac voluntate detectus fuerit [2]), si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, presbyter duobus mensibus se abstineat [3]), diaconus uno ab omni officio vel communione cessabit.

LVI. *De venditionibus quas abbates facere praesumunt.*

In venditionibus quas abbates facere praesumunt [4]) haec forma servetur, ut quidquid sine episcopi notitia venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur; mancipia vero monachis donata ab abbate [5]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus, ut monachis quotidianum rurale opus facientibus, servi eorum libertatis otio potiantur.

LVII. *Ne unus abbas duobus coenobiis praeponetur* [6]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

LVIII. *Ne monasterium sine notitia episcopi constituatur.*

Cellulas novas aut congregatiunculas monachorum absque notitia episcopi prohibemus institui.

LIX. *De rebus ecclesiae usui collatis ut praesciptionis tempore* [7]) *non defendantur.*

Clerici quilibet quaecumque [8]) diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint, in jus proprium praescriptione temporis non vocentur [9]), dummodo pateat ecclesiae rem fuisse, ne videantur etiam episcopi administrationes prolixas aut precatorias, cum ordinati sunt, facere debuisse, aut diu retentas facultates in jus proprietatis [10]) suae posse transcribere.

LX. *De lapsis qui de catholica fide in haeresim transeunt.*

Lapsis, id est qui in catholica fide [11]) baptizati sunt, si [12]) praevaricatione damnabili post in haeresim transierint [13]), grandem redeundi difficultatem sanxit antiquitas; quibus nos, annorum multitudine breviata, poenitentiam biennii conditione infra scriptae observationis imponimus, ut praescripto biennio tertio [14]) sine relaxatione jejunent et ecclesiam studeant frequentare. In poenitentium loco standi et orandi humilitatem ita [15]) noverint observandam, ut etiam ipsi, cum catechumeni egredi commonentur, abscedant. Hoc si observare voluerint,

---

1) *tenet* tres mss. Pariss. — 2) *fuerit* deest in C. H. — 3) *abstineatur*, om. voce *se*, C. H. — 4) *praesumpserint* C. H. — 5) *abbatibus* C. H. — 6) *praeferatur* C. H. — 7) *praescriptione temporis* C. H. — 8) *quodlibet etiam quantacumque* C. H. — 9) *vocetur* C. H. 10) *proprietati* (om. v. *in jus*) C. H. — 11) *ecclesia* BR. — 12) Verba: *sunt si*, desunt in C. H. — 13) *transierunt* C. H. — 14) *tertia die* C. H. — *die* etiam addit Cotton. — 15) *ita* deest in C. H. —

constituto tempore admittendis ad altarium observatio relaxetur; quod si ardua vel dura forte putaverint, statuta praeteritorum canonum implere debebunt.

LXI. *De incestis conjugiis.*

De incestis conjunctionibus nihil prorsus veniae reservamus nisi cum adulterium separatione sanaverint; incestos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam designare funestum est; hos [1]) esse censemus: si quis relictam fratris, quae paene prius soror extiterat, carnali conjunctione polluerit [2]), si quis frater germanam uxoris acceperit [3]), si quis novercam duxerit, si quis consobrinae se sociaverit [4]), si quis relictae vel filiae avunculi misceatur aut patrui [5]) filiae vel privignae suae, aut qui ex propria consanguinitate aliquam aut quam consanguineus habuit [6]), concubitu polluerit [7]) aut duxerit uxorem; quos omnes et olim atque sub hac constitutione incestos esse non dubitamus, et inter catechumenos usque ad legitimam satisfactionem manere et orare praecipimus, quod ita praesenti tempore prohibemus, ut ea quae sunt hactenus instituta non dissolvamus. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

LXII. *De his qui servos suos extra judicem necant.*

Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel poenitentia biennii reatum sanguinis emendabit [8]).

LXIII. *De laicis qui in solemnitatibus majoribus ad civitatem non occurrunt* [9]).

Ut cives qui superiorum solemnitatum, id est [10]) paschae ac natalis domini vel pentecostes festivitatibus cum episcopis [11]) interesse neglexerint, cum in civitatibus communionis vel benedictionis accipiendae causa positos se nosse debeant [12]), triennio a communione priventur ecclesiae.

LXIV. *De clericis qui ab ecclesiae officio diebus solemnibus desunt.*

Si quis in clero constitutus ab ecclesia sua diebus solemnibus defuerit, id est nativitate domini, epiphania [13]), pa-

---

1) *enim* add. C. H. — 2) *violaverit* C. H. — 3) *fratris germ. uxorem accipiat* C. Hisp. et Reg. F, K, Jes. A. — 4) *consobr. sobrinaeve se societ, quod ita praesenti tempore prohibemus ut ea quae sunt ante nos instituta non dissolvamus* C. Hisp. et Reg. K. Haec verba: *quod ita etc.* etiam in Reg. F et Jes. A hoc loco exhibentur. — 5) *patris* Reg. F, Jes. A, et C. H. — 6) *aut qui ex propr. — habuit* desunt in Reg. F, K, Jes. A, et C. H. — 7) *polluatur*, om. sequent. usque ad verba: *Sane quibus etc.*, Reg. F, K, Jes. A, C. Hisp. — 8) *emundabit* Reg. F, R, Jes. D, et C. H. — 9) *concurrunt* C. H. — 10) *Si ut supra cives superiorum solemnitatum noti* C. H. — 11) *festivitati sicut episcopus* (om. v. *vel pentec.*) C. H. — 12) *in quibus civitatibus positos accipiendae comm. vel bened. desiderio noverint: qui hoc facere neglexerint* Reg. F, R, Jes. D, Cotton. et C. H. — 13) *sancta epiphania* C. H. —

scha vel pentecoste [1]), dum potius saecularibus lucris studet [2]), quam servitio dei [3]) paret [4]), convenit ut triennio a [5]) communione suspendatur. Similiter diaconus vel presbyter, si tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.

LXV. *De levitis ut non* [6]) *sine jussu presbyteri sedeant.*

Quoniam non oportet diaconem sedere praesente presbytero, sed ex jussione presbyteri sedeat. Similiter autem honorificetur diaconus a ministris inferioribus et [7]) clericis.

LXVI. *De ministris ne* [8]) *secretarium ingrediantur.*

Quoniam non oportet insacratos [9]) ministros licentiam habere in secretarium, quod Graeci diaconicon appellant, ingredi et contingere vasa dominica.

LXVII. *De catholicis ne haereticorum connubiis copulentur.*

Quoniam non oportet cum omnibus haereticis miscere connubia, et vel filios vel filias dare, sed potius accipere, si tamen profitentur Christianos futuros esse se et [10]) catholicos.

LXVIII. *De levitis et clericis ne magi vel incantatores sint.*

Quoniam non oportet ministros altaris aut clericos magos et [11]) incantatores esse aut facere quae dicunt phylacteria, quae sunt magna obligamenta animarum. Hos autem qui talibus utuntur projici ab ecclesia jussimus.

LXIX. *De seditionariis clericis* [12]).

Seditionarios nunquam ordinandos clericos, sicut nec usurarios vel injuriarum suarum ultores.

LXX. *De scurris* [13]) *et jocularibus clericis.*

Clericum scurrilem et verbis turpibus joculatorem [14]) ab officio retrahendum.

LXXI. *De synodo annis singulis congreganda.*

Synodum etiam secundum constituta patrum annis singulis placuit congregari.

Et quia in nomine domini omnibus salubriter constitutis synodus cum pace dimittitur, gratias deo primitus et domno nostro regi agamus, orantes divinam [15]) clementiam ut haec eadem facere et docere [16]) per multos annos in honorem domini possimus.

---

1) *natali sancti Johannis vel sanctae Mariae* add. Æ. — 2) *student* C. H.
3) *servitio suo* Reg. F, R, Cotton. et C. H. — 4) *parere* C. H. —
5) *a* deest in C. H. — 6) *ne in* C. H. — 7) *omnibus* add. C. H. —
8) *ne in* C. H. — 9) *insacratos* deest in C. H. — 10) *et* deest in C. Hisp. — 11) *aut* C. Hisp. — 12) *clericis* deest in C. Hisp. —
13) *scurrilibus* C. H. — 14) *jocularem* C. Hisp., Reg. R, Cotton. —
15) *gratias deo agimus orantes ejus* C. H. Verba: *primitus et domno regni nostro* desunt etiam in Reg. F, R, et Cotton. — 16) *et docere* deest in C. H. —

CONCILIUM AURELIANENSE PRIMUM[1].

Epistola synodi ad Clodoveum regem[2].

Domino suo catholicae ecclesiae filio, Chlothovecho[3] gloriosissimo regi, omnes sacerdotes quos ad concilium venire jussistis.

Quia tanta ad religionis catholicae cultum gloriosae fidei cura vos excitat, ut sacerdotalis mentis affectu sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum colligi jusseritis; secundum voluntatis vestrae consultationem et titulos quos dedistis ea quae nobis visum est definitione respondimus; ita ut si ea quae nos statuimus etiam vestro recta esse judicio comprobantur, tanti consensus regis ac domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam sacerdotum.

Praefatio[4].

Cum auctore deo[5] ex evocatione gloriosissimi regis Chlothovechi, in Aurelianensi urbe fuisset concilium summorum antistitum congregatum, communi omnibus[6] collatione complacuit, ut hoc quod verbis[7] statuerunt, etiam scripturae testimonio roborarent[8].

I. *De criminosis qui*[9] *ad ecclesiam confugiunt.*

De homicidis, adulteris et furibus si ad ecclesiam confugerint id constituimus observandum, quod ecclesiastici canones decreverunt et lex Romana[10] constituit: ut ab ecclesiae atriis[11] vel domo episcopi eos abstrahi[12] omnino non liceat, sed nec aliter[13] consignari[14] nisi ad evangelia datis sacramentis de morte, de[15] debilitate et omni poenarum genere sint securi: ita ut ei cui reus fuerit criminosus[16] de

---

1) Collatum ad mss. codices Reg. A, B, C, D, E, F, R, S, Corbej., Jes. A, B, C, D, Cotton. — Tituli canonum a Sirmondo sunt digesti; desunt in regg. quinque, Jes. A, et Cotton. — *Conc. Aurelianense primum viginti et octo episcoporum* C. Hisp.; *XXXII episc.* Mansi.
2) Deest haec epistola in tribus Jes., in Regg. quinque et Cotton., et in C. Hisp. In ea describenda Benedictini Sirmondum sunt secuti, cui Jes. A et Reg. D, E suffragantur, cum in aliis tum editis tum mss. mutila sit. — 3) Ita scriptum nomen regis in codice Pithoeano et Corbejensi; paulo lenius in Remensi *Chlodoveus* nominatur, ex quo rursus emollita vocis asperitate *Chlodoveus, Clodoveus* a nostris dici coepit. Sirmond. *Chlodoveo* Reg. C, E. — 4) Deest haec praef. in Reg. D et Jes. D. — 5) *auctore* [*doctore* T. I. 2.] *domino* C. H. om. verbis seqq.: *ex evoc. glor. reg. Chloth.*, quae desunt etiam in Jes. A et Cotton. — 6) *omnium* C. H. — 7) *verbo* C. H. — 8) *testimonium roborare* Corbej. — 9) *De homicidis et adulteris et furibus si* C. Hisp., in quibus canonis textus incipit a verbis: *Id constituimus etc.* — 10) cf. Cod. Theod. lib. IX. tit. 45. Conc. Arausic. I. can. 5. — 11) *vel domo ecclesiae* add. Reg. A, S, Jes. A. — 12) *eos abstrahere* Reg. E; *reos abstrahere* C. H. — 13) *alteri* Reg. A, Cotton., Jes. D, et C. H. — 14) *consignare* Reg. E. — 15) *et* C. H. 16) *obnoxius* Reg. F. —

satisfactione conveniat. Quod si sacramenta sua quis [1]) convictus fuerit violasse, reus perjurii non solum a communione ecclesiae vel omnium clericorum, verum etiam et a catholicorum convivio separetur. Quod si is [2]) cui reus est noluerit sibi intentione faciente componi et ipse reus de ecclesia actus timore discesserit, ab ecclesiae clericis [3]) non quaeratur.

II. *Si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit* [4]).

De raptoribus autem id custodiendum [5]) esse censuimus, ut si ad ecclesiam raptor cum rapta confugerit [6]), et foeminam ipsam violentiam pertulisse constiterit, statim liberetur de potestate raptoris, et raptor mortis vel poenarum impunitate concessa aut serviendi conditioni [7]) subjectus sit, aut redimendi se liberam habeat facultatem. Si vero quae rapitur patrem habere constiterit et puella raptori aut rapienda aut rapta [8]) consenserit, potestati patris excusata reddatur, et raptor a patre superioris conditionis satisfactione [9]) teneatur obnoxius.

III. *De servis qui ad ecclesiam confugiunt* [10]).

Servus qui ad ecclesiam pro qualibet culpa confugerit, si a domino pro admissa [11]) culpa sacramenta susceperit, statim ad servitium domini sui redire [12]) cogatur; sed posteaquam datis a domino sacramentis [13]) fuerit consignatus, si aliquid poenae pro eadem culpa qua excusatur probatus fuerit pertulisse, pro contemptu ecclesiae et praevaricatione [14]) fidei, a communione et convivio catholicorum, sicut superius comprehensum est [15]), extraneus habeatur. Sin vero servus pro culpa sua ab ecclesia defensatus sacramenta domini clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem a domino liceat occupari.

IV [16]). *De ordinatione clericorum et ut filii clericorum in episcopi sint potestate.*

De ordinationibus clericorum id observandum esse decrevimus [17]), ut nullus saecularium ad clericatus officium praesumatur nisi aut cum regis jussione aut cum judicis voluntate: ita ut filii clericorum, id est patrum, avorum ac proavorum, quos supradicto ordine parentum constat observationi subjunctos [18]), in episcoporum potestate ac districtione consistant.

---

1) *quis* deest in C. H. — 2) *is* deest in C. H. — 3) *ab ecclesia et clericis* Reg. C, D. — 4) *De raptoribus si ad ecclesiam confugerint* C. H. — 5) *constituendum* C. H. — 6) *convenerit* C. H. — 7) *ad serv. conditionem* C. H. — 8) Verba: *aut rapienda aut rapta* desunt in Reg. C, D, R, Cotton., et in C. Hisp. — 9) *satisfactioni* C. Hisp. — 10) *si .. confugerint* C. H. — 11) *omissa* C. Hisp. praeter BR., in quo: *missa*; in omnibus autem deest *pro*. — 12) Verba: *si a domino — redire* desunt in Reg. B, E. — 13) *dato sacramento domino suo* C. H. — 14) *per contemptum ecclesiae et praevaricationem* U. G. — 15) Verba: *sicut — est*, desunt in Reg. R et Cotton.
16) Can. 4. et 5. desunt in C. Hisp. in quibus igitur sextus noster quartum habet numerum. — 17) *censuimus* Reg. E et Corbej. —
18) *observatione conjunctos* Reg. C. —

V. *Qualiter ab episcopo facultates ecclesiae dispensentur.*

De oblationibus vel agris quos domnus noster rex ecclesiis suo munere conferre dignatus est vel adhuc non habentibus deo inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, ut in reparationibus ecclesiarum, alimoniis sacerdotum et pauperum [1] vel redemptionibus captivorum quidquid deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur, et clerici ad adjutorium ecclesiastici operis constringantur. Quod si aliquis sacerdotum [2] ad hanc curam minus sollicitus ac devotus extiterit, publice a comprovincialibus episcopis confundatur. Quod si nec sub tali se confusione correxerit, donec emendet errorem, communione fratrum habeatur indignus [3].

VI. *Eum qui ab episcopo aliquid repetit non excommunicandum* [4].

Si quis ab episcopo vel de ecclesiae vel de proprio jure crediderit aliquid repetendum, si nihil convicii aut criminationis objecerit [5], eum pro sola conventione a communione ecclesiae non liceat submoveri.

VII [6]. *Ut clerici sine commendatitiis episcopi sui ad regem non accedant.*

Abbatibus, presbyteris omnique clero vel in religionis professione viventibus sine discussione vel commendatione episcoporum pro petendis beneficiis ad domnos venire non liceat: quod si quisquam praesumpserit, tam diu loci sui honore et communione privetur, donec per poenitentiam plenam ejus satisfactionem sacerdos accipiat.

VIII. *Si servus inscio domino fuerit ordinatus* [7].

Si servus absente aut nesciente domino, et [8] episcopo sciente quod servus sit, aut [9] diaconus aut presbyter fuerit ordinatus, ipso in [10] clericatus officio permanente, episcopus eum domino duplici [11] satisfactione compenset. Sin vero episcopus eum servum esse nescierit, qui testimonium perhibent aut eum supplicaverint ordinari, simili redhibitione teneantur obnoxii.

IX. *Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiserint.*

Si diaconus aut presbyter crimen capitale commiserit, simul et officio et communione pellatur [12].

---

1) *refectione* add. Reg. D. — 2) *seu junioris officii* add. Reg. D et Jes. B. 3) *juniores vero ut dignum est distringantur* add. iidem. — 4) *De eo qui ab episcopo aliquid repetit: pro ipsa conventione ab ecclesia non privetur* C. H. — 5) *objiciens*, om. voce *si*, C. H. — 6) Deest can. 7. in Reg. A, B, F, R, S, Jes. A, D, Cotton., et in C. Hisp. in quibus igitur octavus noster quintum habet numerum. — 7) *Si episcopus servum alterius clericum fecerit* C. H. — 8) *et* deest in C. H. 9) *aut* deest in C. H. — 10) *in* abest a C. H. — 11) *dupli* Reg. C, E, Corbej., et C. H. — 12) *commiserint ... pellantur* Reg. quinque, Cotton., et C. Hisp. —

X [1]. *De clericis ab haeresi conversis et de basilicis Gothorum.*

De haereticis clericis qui ad fidem catholicam plena fide ac voluntate venerint, vel de basilicis quas in perversitate sua Gothi hactenus habuerunt, id censuimus observari, ut si clerici fideliter convertuntur et fidem catholicam integre confitentur vel ita dignam vitam morum et actuum probitate custodiunt, officium quo eos episcopus dignos esse censuerit, cum impositae manus benedictione suscipiant, et ecclesias simili quo nostrae innovari solent placuit ordine consecrari.

XI. *De poenitentibus qui ad saecularia redierint* [2].

De his qui suscepta poenitentia religionem suae professionis obliti ad saecularia relabuntur [3], placuit eos et a communione suspendi et ab omnium catholicorum convivio separari. Quod si post interdictum cum iis quisquam [4] praesumpserit manducare, et ipse communione privetur.

XII. *Quod clericis poenitentibus baptizare liceat* [5].

Si diaconus aut presbyter [6] pro reatu suo se ab altaris communione sub poenitentis professione submoverit, sic quoque si alii defuerint et causa certae necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat baptizare.

XIII. *De relictis clericorum si aliis nupserint* [7].

Si se cuicumque mulier duplici [8] conjugio presbyteri vel diaconi relicta conjunxerit, aut castigati separentur, aut certe si in criminum intentione perstiterint [9], pari excommunicatione [10] plectantur.

XIV. *De oblationibus fidelium* [11].

Antiquos canones relegentes priora statuta credidimus [12] renovanda, ut de his quae in altario oblatione [13] fidelium [14] conferuntur, medietatem sibi episcopus vindicet, et medietatem dispensandam sibi secundum gradus [15] clerus accipiat, praediis de omni commoditate in episcoporum potestate durantibus.

XV. *De his quae* [16] *in parochianis ecclesiis* [17] *offeruntur.*

De his quae parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicumque fideles obtulerint antiquorum canonum statuta serventur, ut omnia in episcopi potestate consistant; de

---

1) Deest can. 10. in Reg. A, B, F, R, Jes. A, D, Cotton., et in C. H., in quibus igitur undecimus noster septimum habet numerum, duodecimus octavum etc., tricesimus primus vigesimum septimum. — 2) *De his qui poenitentiam violaverint* C. H. — 3) *redeunt* Reg. A. — 4) *cum eo quisquis* C. H. — 5) *Si presbyter aut diaconus se pro reatu aliquo ab eucharistia* [*a communione* U.] *suspenderint* C. H. — 6) *Si presb. vel diac.* C. H. — 7) *Si relicta presbyteri vel diaconi alio se conjunxerit* C. H. — 8) *quaecumque mulier publice* Reg. C, E, S. — 9) *vel in conjugio permanere voluerint* add. BR. — 10) *pari excomm.* deest in solo Corbej. — 11) *De his quae in altario offeruntur* C. H. 12) *decrevimus* Æ. — 13) *oblationes* C. H. — 14) *fidei* Reg. A, B, C, E, S, et Jes. A, C, D. — 15) *gradum* C. H. — 16) *a fidelibus* add. C. H. — 17) *basilicis* C. H. —

his tamen quae in altario accesserint, tertia fideliter episcopis deferatur.

XVI [1]). *Ut episcopus pauperes et infirmos tueatur.*

Episcopus pauperibus vel infirmis, qui debilitate faciente non possunt suis manibus laborare, victum et vestitum [2]) in quantum possibilitas habuerit largiatur.

XVII. *Ut basilicae in cujus territorio sunt in ejus episcopi maneant potestate.*

Omnes autem basilicae, quae per diversa loca constructae sunt vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in ejus episcopi in cujus territorio sitae sunt potestate consistant.

XVIII. *Ne quis defuncti fratris relictam vel amissae uxoris suae sororem ducat* [3]).

Ne superstes frater torum defuncti fratris ascendat, neve se quisquam amissae uxoris sorori [4]) audeat sociare [5]): quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur.

XIX. *Ut abbates episcopis, monachi abbatibus subsint* [6]), *et de monachis vagis.*

Abbates pro humilitate [7]) religionis in episcoporum potestate consistant, et si quid extra regulam fecerint ab episcopis corrigantur: qui semel in anno in loco ubi episcopus elegerit accepta vocatione conveniant. Monachi autem abbatibus omni se obedientiae devotione subjiciant [8]): quod si quis per contumaciam extiterit indevotus, aut [9]) per loca aliqua evagari aut peculiare aliquid habere praesumpserit, omnia quae acquisierit [10]) ab abbatibus auferantur secundum regulam monasterio profutura. Ipsi autem qui fuerint pervagati, ubi inventi fuerint cum auxilio episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur; et reum se ille abba [11]) futurum esse cognoscat, qui in hujusmodi personas [12]) non regulari animadversione distrinxerit vel qui monachum susceperit alienum.

XX. *Ut monachi orario vel tzangis* [13]) *non utantur.*

Monacho uti orario [14]) in monasterio vel tzangas [15]) habere non liceat.

XXI. *Si monachus uxorem duxerit.*

Monachus si in monasterio conversus vel pallium comprobatus fuerit accepisse, et postea uxori fuerit sociatus, tan-

---

1) Can. 16. in Reg. C, E cum superiore conjungitur. — 2) *vestimentum* C. H. — 3) *De incestis ut excommunicentur* C. H. — 4) *ne sibi . . sororem* Reg. B. — 5) *neve quisque amissa uxore sorori audeat sociari* C. H. — 6) *Ut abbates in potestate episcoporum sint* C. Hisp. — 7) *utilitate* Hisp. A. BR. E. 4. — 8) *subjaceant*, om. voce *se*, Reg. A, C, D, S, Jes. B, D, et C. Hisp. — 9) *ac* C. H. 10) *omnia quae acq.* desunt in Corbej. — 11) *abbas* C. H. — 12) *personis* C. H. — 13) *orarium vel zancas* C. H. — 14) *Monachum orarium* C. H. — 15) Mira hujus nominis *tzanga* varietas in mss.: *zancas* Reg. A, F, Jes. B; *chyncas* Jes. A; *ciangas* Jes. C; *chiancas* Reg. B; *tiangas* Reg. S; *zonas* Reg. D, R, Jes. D, Cotton. —

tae praevaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur [1]).

XXII. *Ut monachus cellam sibi sine permissu* [2]) *non construat.*

Nullus monachus, congregatione monasterii derelicta, ambitionis et vanitatis impulsu cellulam construere sine episcopi permissione vel abbatis sui voluntate praesumat.

XXIII. *Ut in terris ecclesiae praescriptio locum non habeat* [3]).

Si episcopus humanitatis intuitu vineolas [4]) vel terrulas clericis vel [5]) monachis [6]) praestiterit excolendas vel pro tempore tenendas, etiam si longa transiisse annorum spatia comprobentur, nullum ecclesia praejudicium patiatur, nec saeculari lege [7]) praescriptio quae ecclesiae aliquid impediat opponatur.

XXIV. *Ut ante pascha quadragesima observetur, non quinquagesima* [8]).

Id a sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante paschae solemnitatem non quinquagesima sed quadragesima teneatur.

XXV. *Ut majores festivitates nullus civium in villa celebret.*

Ut nulli civium paschae, natalis domini vel quinquagesimae solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

XXVI. *Ut populus ante completam missam egredi non praesumat* [9]).

Cum ad celebrandas missas in dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam missae solemnitas compleatur, et ubi episcopus fuerit [10]), benedictionem accipiat sacerdotis.

XXVII. *De litaniis ante ascensionem domini celebrandis* [11]).

Rogationes, id est litanias [12]) ante [13]) ascensionem domini ab omnibus ecclesiis [14]) placuit celebrari, ita ut praemissum triduanum jejunium in dominicae ascensionis festivitate [15]) solvatur, per quod triduum servi et ancillae ab omni opere relaxentur quo magis plebs universa conveniat, quo triduo omnes abstineant et quadragesimalibus cibis utantur.

XXVIII [16]). *De clericis qui ad litanias venire contempserint* [17]).

Clerici vero qui ad hoc [18]) opus sanctum adesse con-

---

1) *officio societur* Reg. A, C. — 2) *sine permissu episcopi vel abbatis cellulam sibi* C. H. — 3) *De beneficiis ecclesiae clericis collatis* Jes. B. *Si episcopus cuiquam terrulas praestiterit excolendas, sine praejudicio juris ecclesiae tenebuntur* C. H. — 4) *mancipiola* praemittunt Reg. F, R, Jes. D, et C. H. — 5) *aut* C. H. — 6) *vel quibuslibet* add. Reg. F, R, Jes. D, et C. H. — 7) *saecularis legis* Cotton. — 8) *Ut ante pascha quadragesima teneatur* C. H. — 9) *ante benedictionem sacerdotis de missa non egrediatur* C. H. — 10) *non fuerit* Reg. D, R, Cotton. (et Gratian.); *defuerit* C. H. (Burchardus, Ivo). — 11) *Ut litaniae post asc. dom. celebrentur* C. H. — 12) *id est lit.* desunt in Reg. A. — 13) *post* C. H. — 14) *ab omn. eccl.* desunt in Cotton. et in C. H. — 15) *post . . . solemnitatem* C. H. — *in . . . festivitate* Cotton. sublatis deinde vocibus *per* et *omni*. — 16) Can. 28. in Jes. C, E cum superiore conjungitur. — 17) *ad officium . . contemnunt* C. H. — 18) *hoc* deest in Reg. F, R, Jes. D, Cotton., et in C. H.

temperint, secundum arbitrium episcopi ecclesiae [1]) suscipiant disciplinam.

XXIX. *De vitanda* [2]) *familiaritate extranearum mulierum.*

De familiaritate extranearum mulierum tam episcopi quam presbyteri vel diaconi praeteritorum canonum statuta custodiant.

XXX [3]). *De divinationibus et sortibus sanctorum* [4]).

Si quis clericus, monachus [5]), saecularis divinationem vel auguria crediderit [6]) observanda, vel sortes, quas mentiuntur esse sanctorum, quibuscumque putaverint intimandas, cum his qui iis crediderint ab ecclesiae communione pellantur.

XXXI [7]). *Ut episcopus ab ecclesia die dominico non absit* [8]).

Episcopus si infirmitate non fuerit impeditus [9]), ecclesiae cui proximus fuerit die dominico deesse non liceat.

CONCILIUM EPAONENSE [10]).

Quod praecipientibus tantis dominis meis ministerium proferendi sermonis assumo, facio hoc non tam praesumptionis ausu quam subjectionis obsequio, dum exequi et implere contendit non audacia temeritatem, sed obedientia jussionem: simulque tanto major obtemperantis apparebit humilitas quanto minor comprobatur facultas, majorque profecto praecipientium reverentia predetur, quando obedientiae nulla possibilitatis fiducia suffragatur. Sic dominus meus mediocritatis meae eo amplius honoravit imperitiam, quo minus potest ornare doctrinam. Caritas quoque vestra, si nequaquam facundo oblectabitur aut instruetur eloquio, aedificetur saltem humilitatis exemplo. Quoniam ergo, sicut volumus, tacere non sinimur, aliquid ut possumus jam loquamur.

Deo propitio ad Epaonensem [11]) ecclesiam congregati, quid vel de antiquis regulis vel de novis ambiguitatibus senserimus expressis singillatimque discretis [12]) constitutionibus praesentibus titulis credidimus annotandum.

---

[1]) *ecclesiasticam* C. H. — [2]) *vitanda* deest in C. H. — [3]) Can. 30. in Reg. S. cum superiore conjungitur. — [4]) *De religiosis et saecularibus qui divinationes attendunt* C. H. — [5]) *vel* add. Hisp. — [6]) *crediderit* deest in C. H. — [7]) Can. 31. deest in Jes. A, B, C. [8]) *deesse non debeat* C. H. — [9]) *infirmitatem . . . perpessus* Æ. — [10]) Collatum ad mss. codd. Reg. A, B, D, F, S, Jes. A, B, C, Corbej., et collectionem canonum Divionensem. Tituli canonum a Sirmondo sunt confecti. — *Concilium Epaunense* (*viginti quatuor episcoporum* BR. T. I. 2. U. G.) C. Hisp. — Praefatiuncula deest in septem mss. Pariss. et in Codd. Hisp. — [11]) In plerisque mss. scribitur *Epaunensem*, Harduin. — [12]) *descriptis* Reg. D. —

I. *Ut episcopi ad concilium vel ad ordinationem a metropolitano veniant evocati* [1].

Prima et immutabili constitutione decretum est, ut cum metropolitanus fratres vel comprovinciales suos, ad concilium aut ad ordinationem cujuscumque consacerdotis crediderit evocandos, nisi causa taedii evidentis [2]) extiterit, nullus excuset [3]).

II. *Ne digami presbyteri aut diaconi ordinentur.*

Ne secundae uxoris aut renuptae maritus presbyter aut diaconus ordinetur [4]), abunde sufficeret ab apostolo constitutum. Sed quia praeceptum hujusmodi excedi quorumdam fratrum simplicitate cognovimus, speciali observantia renovamus, sciente eo qui contra interdictum ordinaverit reum fratribus se futurum; illo autem qui contra fas honorem prohibitae benedictionis ambierit, nihil se clericalis ministerii praesumpturum.

III. *Ut poenitentes clerici non fiant.*

Poenitentiam professi ad clericatum penitus non vocentur.

IV. *Ut clericis* [5]) *canes ad venandum vel accipitres habere non liceat.*

Episcopis, presbyteris atque [6]) diaconibus canes ad venandum et accipitres habere non liceat: quod si quis talium personarum in hac fuerit voluntate [7]) detectus, si episcopus est tribus mensibus se a communione suspendat, duobus presbyter abstineatur [8]), uno diaconus ab omni officio et communione [9]) cessabit.

V. *Ne presbyter inscio episcopo suo in aliena ecclesia constituatur* [10]).

Ne presbyter territorii alieni sine conscientia sui episcopi in alterius civitatis territorio praesumat basilicis atque [11]) oratoriis observare [12]), nisi forte episcopus suus illum cedat episcopo illi in cujus territorio habitare disposuit. Quod si excessum fuerit, episcopus cujus presbyter fuerit fratri sui noverit culpabilem se futurum, qui clericum juris sui illicita facientem sciens a scandali admissione non revocat.

VI. *De clericis qui sine commendatitiis vagantur* [13]).

Presbytero vel diacono sine antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat.

---

1) Can. 1. 2. 3. desunt in C. Hisp. — 2) *evidens* Reg. D, Jes. B; *causae evidentes*, om. voce *taedii*, Reg. B. — 3) *quod si fecerit sex mensibus a communione privetur* addit Reg. S. — 4) *ordinaretur* Reg. A, Jes. A, D, Corbej. — 5) *Ne liceat episcopis, presbyteris, diaconibus* (om. in fine verbis *non liceat*) C. Hisp. cf. Conc. Agath. c. 55. — 6) *atque* deest in C. Hisp. — 7) *voluptate* Reg. A. — 8) *abstineat* Reg. A, F, Jes. B. — 9) *communicatione* Jes. A. — 10) Can. 5. deest in codd. Hisp. — 11) *aut* Binius cum quibusdam mss. — 12) Ita Sirmond. cum mss.; *inservire* Binius et Labb. — 13) *De presbyteris vel diaconibus sine epistolis proficiscentibus* C. Hisp. — cf. Conc. Agath. c. 52 (et 38). —

VII. *Quod parochiarum presbyteris alienare nihil liceat* [1].

Quidquid parochiarum presbyteri de ecclesiastici juris possessione distraxerint [2]) inane habeatur et vacuum, in venditorem [3]) comparantis actione vertenda [4]).

VIII. *De presbyterorum emptionibus et abbatum venditionibus* [5]).

Presbyter dum dioecesim tenet de his quae emerit [6]) aut ecclesiae nomine scripturam faciat, aut ab ejus quam tenuit [7]) ecclesiae ordinatione discedat. Similis quoque de venditionibus, quas abbates [8]) facere praesumpserint, forma servabitur, ut quidquid sine episcoporum [9]) notitia venditum fuerit ad potestatem episcopi revocetur [10]); mancipia vero monachis [11]) donata [12]) ab abbate [13]) non liceat manumitti. Injustum enim putamus ut monachis quotidianum rurale opus facientibus servi eorum libertatis otio potiantur.

IX. *Ut abbas uni tantum monasterio praesit* [14]).

Unum abbatem duobus monasteriis interdicimus praesidere.

X. *Ut nova monasteria sine episcopi notitia non fiant* [15]).

Cellas [16]) novas aut congregatiunculas monachorum absqu episcopi notitia prohibemus institui.

XI. *Quatenus clericis ad saeculare judicium interpellare aut respondere liceat* [17]).

Clerici sine ordinatione episcopi sui adire vel interpellare publicum non praesumant; sed si pulsati fuerint, sequi ad saeculare judicium [18]) non morentur [19]).

XII. *Episcopus res ecclesiae sine metropolitano vendere non potest, commutare potest* [20]).

Nullus episcopus de rebus ecclesiae suae sine conscientia metropolitani sui vendendi aliquid habeat potestatem, utili tamen omnibus [21]) commutatione [22]) permissa.

XIII. *De clericis falsi testimonii convictis.*

Si quis clericus in falso testimonio convictus fuerit, reus capitalis criminis censeatur.

---

1) *De presbyteris qui distraxerint de ecclesiastici juris possessione* C. H. cf. Conc. Agath. c. 53. — 2) *presbyter . . distraxerit* Reg. D, al. *subtraxerit.* — 3) *vel haeredes suos* add. Reg. D et Jes. B. — 4) *in venditore comparantis actio reservanda* C. H., *revertenda* BR. T. 1. 2. — 5) *De presbytero qui dioecesem tenuerit* C. H. — cf. Conc. Agath. c. 54. 56. 6) *tenuerit* C. H. praeter BR. U. G. — 7) *tenet* Reg. D. — 8) *vel abbatissae* addit Reg. D. — 9) *episcopi* Reg. D. — 10) *episcopus revocet* Reg. D. — 11) *monasteriis* Reg. D et Jes. B. — 12) *data* Hisp. A. — 13) *ab abbatibus utriusque sexus* Reg. D (vide not. 8). 14) *Ne abbas duobus praesit monasteriis* C. H. — cf. Conc. Agath. c. 57. 15) *De cellis novis et congregatiunculis* C. H. — cf. Conc. Agath. c. 58. 16) *cellulas* T. I. 2. — 17) *Ne clerici sine ordinatione episcopi sui publicum adire praesumant* C. H. — 18) *saecularem judicem* Reg. S. — 19) *permittantur* Reg. D et Jes. B. — cf. Conc. Agath. c. 32. — 20) *De rebus ecclesiae non alienandis* C. H. — 21) *inter ecclesias* add. Reg. D. 22) *utilis . . commutatio* U. G. —

XIV. *Si clericus in alia civitate episcopus fuerit ordinatus, ecclesia donum ipsi praestitum recipiet* [1].

Quisquis clericus aliquid de munificentia ecclesiae cui servierat adeptus ad [2] summum sacerdotium alterius civitatis est aut fuerit ordinatus, quod dono accepit vel acceperit reddat [3]; quod usu vel proprietate [4] secundum instrumenti seriem probatur [5] emisse possideat.

XV. *De haereticorum et* [6] *Judaeorum conviviis.*

Si superioris loci clericus haeretici cujuscumque clerici convivio interfuerit, anni spatio [7] pacem [8] ecclesiae non habebit: quod juniores clerici si praesumpserint, vapulabunt. A Judaeorum vero conviviis etiam laicos constitutio nostra prohibuit, nec cum ullo clerico nostro panem comedat quisquis Judaeorum fuerit convivio inquinatus.

XVI. *Ut presbyteris liceat haereticos decumbentes si converti velint chrismate consignare* [9].

Presbyteros propter salutem animarum, quam in cunctis optamus, desperatis et decumbentibus haereticis, si conversionem subitam petant, chrismate permittimus subvenire: quod omnes conversuri si sani sunt ab episcopo noverint expetendum.

XVII. *De episcopi testamento.*

Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit nisi vel [10] tantum de juris proprii facultate suppleverit.

XVIII. *Ut clerici ecclesiae praejudicium diuturnitate possessionis non faciant* [11].

Clerici quod etiam sine precatoriis qualibet diuturnitate temporis de ecclesiae remuneratione possederint cum auctoritate domini gloriosissimi principis nostri, in jus proprietarium [12] praescriptione temporis non vocetur [13], dummodo pateat ecclesiae rem fuisse [14]: ne videantur etiam episcopi administrationis prolixae aut precatorias cum ordinati sunt facere debuisse, aut diu tentas ecclesiae facultates proprietati suae posse transcribere.

XIX. *De abbatis peccantis correptione* [15].

Abbas si in culpa reperiatur aut fraude, et innocentem se asserens ab episcopo suo accipere noluerit successorem, ad metropolitani judicium deducatur.

---

1) *De munificentia ecclesiae* C. H. — 2) *et ad* C. H. — 3) *quia iniquum est ut dummodo colonicas aut res ecclesiae unde egreditur possideat, alia ecclesia ubi ordinatur transferre debeat* addit Reg. S. — 4) *quod suum est proprietate vel* Reg. D et Jes. B. — 5) *probabitur* C. H. — 6) *vel* C. H. — 7) *spatium* C. H. praeter T. 1. — 8) *panem* C. H. praeter BR. T. 1. 2. — 9) *De dando chrismate* C. H. — 10) *vel* deest in quibusdam mss. Pariss. cf. Conc. Agath. c. 51. — 11) *De his qui remunerationem ecclesiae possederint* C. H. — cf. Conc. Agath. c. 59. — 12) *in jure proprietatis* Reg. F, *in jure proprietarium* C. H. praeter U. in quo: *in jus proprium.* — 13) *invocetur* (pro *non vocetur*) C. H. — 14) Reliqua hujus can. verba desunt in C. H. — 15) Can. 19. 20. 21. desunt in C. Hisp. —

XX. *De foeminarum visitatione.*

Episcopo, presbytero et diacono vel ceteris clericis horis praeteritis, id est meridianis vel vespertinis, ad foeminas prohibemus accessum: quae tamen, si causa fuerit, cum presbyterorum aut clericorum testimonio videantur.

XXI. *De viduis in diaconas non consecrandis.*

Viduarum consecrationem quas diaconas vocitant [1]) ab omni regione [2]) nostra penitus abrogamus, sola iis poenitentiae benedictione, si converti ambiunt, imponenda.

XXII. *Si presbyter aut diaconus* [3]) *crimen capitale commiserit.*

Si presbyter aut diaconus crimen capitale commiserit [4]), ab officii honore depositus in monasterium retrudatur [5]), ibi [6]) tantummodo quamdiu vixerit communione sumenda.

XXIII. *Qui susceptam poenitentiam deserunt excommunicantur* [7]).

Si quis accepta professaque poenitentia, boni immemor ad saecularia relabatur, prorsus communicare non poterit, nisi professioni [8]) quam illicite praetermiserat reformetur.

XXIV. *Laicus clerico verum crimen objicere non vetatur* [9]).

Laicis contra cujuslibet gradus clericum si quid criminale parant objicere, dummodo vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.

XXV. *Ut sanctorum reliquiae in oratoriis villaribus non ponantur* [10]).

Sanctorum reliquiae in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cujuscumque parochiae vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur: quod si illi defuerint, non ante proprii ordinentur, quam iis competens victus et vestitus substantia deputetur [11]).

XXVI. *Altaria nisi lapidea non consecrentur* [12]).

Altaria nisi lapidea chrismatis unctione [13]) non sacrentur.

XXVII. *Ut officium metropolitani comprovinciales observent.*

Ad celebranda divina officia ordinem, quem metropolitani tenent, provinciales [14]) observare debebunt.

XXVIII. *Ab episcopo damnatos successori licet absolvere* [15]).

Si episcopus ante damnati absolutionem obitu rapiatur, correctum aut poenitentem successori licebit absolvere.

---

1) *vocant* Reg. A, D, Jes. C. — 2) *religione* Reg. A, B, D, Jes. A, B, C. cf. Conc. Arausic. I. c. 26. — 3) *De diacono aut presbytero qui* C. H. 4) *admiserit* C. H. — 5) *in monasterio recluditur* Jes. B. — 6) *ibique* C. H. — 7) *De professione reformata* C. H. — 8) *professione* C. H. praeter BR. — 9) *De laicis qui crimen clericis objiciunt* C. H. 10) *Ubi ponantur sanctorum reliquiae* C. H. — 11) Desunt haec verba: *quod si illi etc.* in multis codd.; ea Sirmondus adjecit ex Reg. B et Jes. A. — 12) *ungantur* C. H. in quibus c. 26 cum sequente conjunctus est. — 13) *unguine* C. H. et Jes. A, *infusione* Reg. D. — 14) *eorum* add. C. H. — 15) *De damnati absolutione* C. H. —

XXIX. *De lapsorum poenitentia et reconciliatione* [1].
(v. Conc. Agathens. can. 60.)

XXX. *De incestis conjunctionibus* [2].

Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniae reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint; incestos vero nec ullo conjugii nomine praevelandos [3]) praeter illos quos vel nominare funestum est, hos esse censemus: si quis relictam fratris, quae pene prius soror extiterat, carnali conjunctione violaverit; si quis frater germanam uxoris suae [4]) accipiat; si quis novercam [5]) duxerit; si quis consobrinae sobrinaeve [6]) se societ: quod ut a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt anterius instituta non solvimus; si quis relictae avunculi misceatur aut patrui vel privignae concubitu polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

XXXI. *De poenitentia homicidarum.*

De poenitentia homicidarum, qui saeculi leges evaserint [7]), hoc summa reverentia de iis inter nos placuit observari, quod Ancyritani [8]) canones decreverunt.

XXXII. *Relictae presbyteri aut diaconi nuptiae interdictae* [9]).

Relicta presbyteri sive diaconi si cuicumque renupserit eatenus ab ecclesia pellatur, donec a conjunctione illicita separetur, marito quoque ejus simili usque ad correctionem severitate plectendo.

XXXIII. *De basilicis haereticorum.*

Basilicas haereticorum, quas tanta execratione habemus exosas ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus: sane quas per violentiam nostris tulerant possumus revocare.

XXXIV. *Si quis sine judice* [10]) *proprium servum occiderit* [11]).

Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione biennii effusionem sanguinis expiabit.

XXXV. *Ut nobiliores cives die paschae et natalis domini episcopos benedictionis causa expetant* [12]).

Ut cives superiorum natalium nocte [13]) paschae, ac nativitatis domini solemnitate, episcopos, nec interest in quibus civitatibus [14]) positos, accipiendae benedictionis desiderio noverint expetendos.

---

1) *De lapsis in fide* C. Hisp. — 2) v. Conc. Agathens. c. 61. — 3) *praevalendos* C. H. — 4) *suae* deest in C. H. — 5) *patris uxorem secundam* addunt BR. T. 1. — 6) *sobrinaeque* C. Hisp. — 7) *evaserunt* C. H. — 8) *antiqui Nicaeni* Reg. C, F, Jes. A, et C. H. v. Conc. Ancyr. c. 22. 23. — 9) Can. 32 deest in C. Hisp. — 10) *sine judice* deest in C. Hisp. — 11) v. Conc. Agath. c. 62. — 12) Can. 35. deest in C. Hisp., v. Conc. Agath. c. 63. — 13) *nocte* deest in Reg. D et Jes. A. — 14) *episcopos in civitate* Reg. B. —

XXXVI. *Quomodo recipiendi sint qui in discrimine mortis versantur* [1]).

Ne ullus sine remedio aut spe veniae ab ecclesia repellatur, neve ulli, si aut poenituerit aut se [2]) correxerit, ad veniam redeundi aditus obstruatur; sed si [3]) cui forsitan discrimen mortis immineat, damnationis constituta [4]) tempora relaxentur [5]). Quod si aegrotum accepto viatico revalescere fortasse contingit [6]), statuti temporis spatia observare conveniet [7]).

XXXVII. *Laici nisi praemissa conversione non ordinandi* [8]).

Ne laicus nisi religione praemissa clericus ordinetur.

XXXVIII. *Monasteria puellarum quibus ingredi liceat* [9]).

Monasteria puellarum nonnisi probatae vitae et [10]) aetatis provectae ad quascumque earum necessitates vel ministrationes permittantur intrare; ad faciendas vero missas qui ingressi fuerint statim exacto ministerio regredi festinabunt. Alias autem nec clericus nec monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habebit accessum, nisi hoc [11]) aut paterna aut germana necessitudo probetur admittere.

XXXIX. *De servis qui ad ecclesiam confugiunt* [12]).

Servus reatu atrociore culpabilis si ad ecclesiam confugerit, a corporalibus tantum suppliciis excusetur. De capillis vero vel [13]) quocumque opere, placuit a [14]) dominis juramenta non exigi.

XL. *De horum canonum observatione.*

Quocirca haec quae superna inspiratione communi consensu placuerunt, si quis sanctorum antistitum qui statuta praesentia subscriptionibus propriis firmaverunt necnon et quos eorum deus esse voluerit successores, relicta integritate observationis excesserit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat.

CONCILIUM LUGDUNENSE PRIMUM [15]).

I. *De incesti crimine et causa Stephani.*

In nomine trinitatis congregati iterato in unum in causa Stephani incesti crimine polluti atque in Lugdunensi urbe degentes

---

1) *Nullus sine remedio aut spe veniae ab ecclesia repellatur* C. Hisp. — 2) *se* deest in C. H. — 3) *si* deest in C. Hisp. — 4) *constitutae* C. Hisp. — 5) *relaxantur* C. Hisp. — 6) *contingat* C. Hisp. — 7) *conveniat* C. Hisp. — 8) *De laicorum ordinatione* C. Hisp. — 9) *De monasteriis puellarum* C. Hisp. — 10) *et* deest in C. Hisp. — 11) *hoc* deest in C. H. — 12) *confugientibus*, om. v. *qui*, C. Hisp. — 13) *aut* C. H. — 14) *a* deest in C. H. — 15) A Sirmondo primum in lucem editum ex codice Remensi, nunc Jesuit. B. — Deest hoc concilium in codicibus Hispanis. —

decrevimus, ut hoc factum nostrum, quod in damnationem ejus vel illius quam sibi illicite sociavit uno consensu subscripsimus, inviolabiliter servaremus: quod non solum de praefatis iisdem personis placuit custodiri, sed in omnibus quolibet loco vel tempore in hac fuerint perversitate detecti.

II. *Ut episcopo uno in tribulatione posito reliqui compatiantur.*

Id quoque adjecimus, ut si quicumque nostrum tribulationem quamcumque vel amaritudinem aut commotionem fortasse potestatis necesse habuerit tolerare, omnes uno cum eodem animo compatiantur, et quidquid vel dispendiorum obtentu causae unus susceperit, consolatio fraternae anxietatis relevet tribulatos.

III. *Si rex ab episcoporum communione se suspenderit.*

Quod si se rex praecellentissimus ab ecclesia vel sacerdotum communione ultra suspenderit, locum ei dantes ad sacrae matris gremium veniendi, sancti antistites in monasteriis se absque ulla dilatione, prout cuique fuerit opportunum, recipiant donec pacem integram ad caritatis plenitudinem conservandam sanctorum flexus precibus restituere pro sua potentia vel pietate dignetur, ita ut non unus quicumque prius de monasterio, in quo elegerit habitare, discedat, quam cunctis generaliter fratribus fuerit pax promissa vel reddita.

IV. *Ut nullus alienam parochiam usurpet aut ejus ordinationem praesumat.*

Illud etiam juxta statuta antiquorum canonum specialiter renovamus omnino, ut nullus frater vanitatis vel cupiditatis stimulis incitatus ecclesiae alterius aggredi vel parochias praesumere absque ejus ad quem pertinere noscuntur cessione vel permissione praesumat. Nec quisquam sub necessitate absentante episcopo in ejus qui abierit locum aut sacrificiorum aut ordinationum audeat mysteria celebrare: quod si in hac temeritate vel audacia quisque proruperit, non solum se in concilio redarguendum, verum etiam communione fratrum futurum noverit alienum.

V. *Ut nullus in locum viventis episcopi audeat inspirare.*

Id quoque etiam quod antiquissima vel celeberrima observatione decretum est nihilominus iteramus, ut nullus in locum viventis ad ambiendum sacerdotii gradum audeat adspirare: quod si qualibet impia vel temeraria voluntate praesumpserit, simul et ipse qui fuerit ordinatus, et hi fratres quos ordinationi ejus interfuisse constiterit, perpetuae excommunicationis sententia feriantur.

VI. *De observatione horum canonum et Stephano concessa indulgentia.*

Haec vero quae a nobis inspiratione divina tractata vel finita sunt quisquis excesserit aut implere, quod absit, adversa persuasione neglexerit, quasi divinorum mandatorum transgres-

sor reum se concilio fraternitatis [1]) futurum esse cognoscat. Domini quoque gloriosissimi regis sententiam secuti id temperamenti praestitimus, ut Stephano praedicto vel Palladiae usque ad orationem plebis, quae post evangelia legeretur, orandi in locis sanctis spatium praestaremus.

CONCILIUM ARELATENSE [2]) QUARTUM [3]).

Cum in voluntate dei ad dedicationem basilicae sanctae Mariae in Arelatensi civitate sacerdotes domini convenissent, congruum iis et rationabile visum est ut primum de observandis canonibus attentissima sollicitudine pertractantes, qualiter ab ipsis ecclesiastica regula servaretur [4]) salubri consilio definirent.

I. *Ut diaconus ante viginti quinque annos et sacerdos ante triginta annos non ordinetur.*

Et quia in ordinandis clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscuntur [5]), ne forte quorumcumque importunis et inordinatis precibus sacerdotes domini fatigentur, et ea quae toties sunt praecepta [6]) transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut nullus episcoporum diaconum antequam viginti quinque annos impleat ordinare praesumat; episcopatus vero vel presbyterii [7]) honorem nullus laicus ante praemissam conversionem [8]) vel ante triginta aetatis annos accipiat.

II. *Ut laicus ante annum conversionis non ordinetur.*

Et licet de laicis prolixiora tempora antiqui patres ordinaverint observanda, tamen quia crescente [9]) ecclesiarum numero necesse est nobis plures clericos ordinare, hoc inter nos sine praejudicio duntaxat canonum convenit [10]) antiquorum, ut nullus metropolitanorum cuicumque laico dignitatem episcopatus

---

1) Ita collectiones antiquae juxta Sirmondum, at in codice Remensi: *reum fraternitate.* — 2) Collatum ad mss. codd. Reg. B, D, F, R, S, a, b, c, d, e, Jes. A, B, D, Cotton. — 3) Tertium appellatur in mss. *Conc. Arel. tertium quatuordecim* [*duodecim* Hisp. A.] *episcoporum habitum aera 461. Marciano augusto regnante Opilione et Vincomalone consulibus VIII. Idus Julias* C. H., et quinque Pariss. —,Quartum numeratur a Sirmondo quia intra annos 454—461 aliud concilium Arelatense (III.) habitum est in causa insulae Lerinensis, in quo autem canones nulli constituti sunt. — 4) *ecclesiasticae regulae servarentur* C. Hisp. — 5) *cognoscitur* C. H. — 6) *quae constituta sunt* U. — 7) *presbyteratus* C. H. — 8) *conversationem* Æ. BR. U. — 9) *accrescente* C. Hisp. — 10) *constitit* C. Hisp. et quidam Pariss.; alii *constet.* —

tribuat, sed nec reliqui pontifices presbyterii vel diaconatus honorem conferre praesumant, nisi anno integro fuerit ab iis [1]) praemissa conversio.

III. *Ut poenitentes et digami non ordinentur* [2]).

Nullus poenitentem, nullus digamum vel internuptarum [3]) maritum in praedictis honoribus audeat ordinare. Et licet haec jam prope omnium [4]) canonum statuta [5]) contineant, tamen ne cui [6]) sacerdotum supplicantium, sicut jam dictum est [7]), importunitas vel suggestio iniqua [8]) subripiat, necesse fuit ut nunc severiorem regulam sibi velint domini sacerdotes imponere. Et ideo quicumque ab hac die contra ea quae superius sunt comprehensa clericum ordinare praesumpserit, ab hac [9]) die qua hoc ei potuerit approbari anno integro missas facere [10]) non praesumat. Quam rem si quis observare noluerit, et contra consensum fratrum faciens missas celebrare praesumpserit, ab omnium fratrum caritate se noverit alienum, quia dignum est ut severitatem ecclesiasticae disciplinae sentiat qui toties [11]) salubriter a sanctis patribus instituta observare contemnit.

IV. *Ut qui clericum alienum susceperit communione privetur* [12]).

Et si forte aliquis clericorum regulam disciplinae ecclesiasticae subterfugiens fuerit evagatus, quicumque eum susceperit, et non solum pontifici suo non reconciliaverit, sed magis defensare praesumpserit, ecclesiae communione [13]) privetur.

CONCILIUM CARPENTORATENSE [14]).

Canon unicus.

De eo quod parochiis [15]) *fuerit a Christianis collatum, quantum aut qualiter ab episcopo praesumatur.*

Licet omnia quae ecclesiastica regula praecepit observari in multis canonibus contineantur inserta, nascuntur [16]) tamen

---

1) *ab iis* deest in C. H. — 2) *Ut digami vel poenitentes vel repudiatarum mariti ad sacerdotium non promoveantur* C. H. — 3) *viduarum* Jes. A. — 4) *omnia* T. 1. — 5) *instituta* C. H. — 6) *cuicumque* C. Hisp. — 7) *jam diximus* C. Hisp. — 8) *aliqua* U. G. — 9) *ea* C. H. — 10) *agere* T. 2. — 11) *toties* deest in C. H. — 12) *De clericis alienis qui sunt ab aliis defensi* C. H. — 13) *ab eccl. comm.* C. Hisp. — 14) Collatum ad mss. codices Reg. B, D, F, a, Jes. A, B. — Contulit Mansi cum codice Vaticano 3827. — 15) *parochianis* Reg. a, D (om. deinde particula *a*). Deest titulus in C. Hisp. — 16) *noscuntur* Vatican. —

causae pro quibus necesse habent sacerdotes domini, quod ad justitiam pertinet secundum disciplinam ecclesiasticam ordinare. Et ideo quia [1]) Carpentoratae convenientes, hujusmodi ad nos querela pervenit, quod ea quae a quibuscumque fidelibus parochiis conferuntur ita ab aliquibus episcopis praesumantur, ut aut parum aut prope nihil ecclesiis quibus collata fuerant relinquatur: hoc nobis justum et rationabile visum est, ut si ecclesia civitatis ejus [2]) cui episcopus praeest, ita est idonea ut Christo propitio nihil indigeat, quidquid parochiis fuerit derelictum, clericis qui ipsis parochiis deserviunt vel reparationibus ecclesiarum [3]) rationabiliter dispensetur; si vero episcopum multas expensas et [4]) minorem substantiam habere constiterit, parochiis quibus largior fuerit collata substantia, hoc tantum quod clericis vel sartis tectis [5]) rationabiliter sufficiat reservetur: quod autem amplius fuerit, propter majores expensas episcopus ad se debeat revocare, ita tamen ut nihil de facultatula ipsa [6]) vel de ministerio clerici loci ipsius licentiam habeant [7]) minuendi.

Hoc etiam [8]) placuit custodiri, ut sequenti anno in vico Vasensi octavo Idus Novembres debeat concilium congregari.

CONCILIUM ARAUSICANUM SECUNDUM [9]).

Cum ad dedicationem basilicae, quam illustrissimus praefectus et patricius filius noster Liberius in Arausica civitate fidelissima devotione construxit, deo propitiante et ipso invitante convenissemus, et de rebus quae ad ecclesiasticam regulam pertinent inter nos spiritualis fuisset oborta collatio, pervenit ad nos esse aliquos qui de gratia et libero arbitrio per simplicitatem minus caute [10]) et non secundum fidei catholicae

---

1) Hic demum incipiunt C. H. et Reg. F.: *Capent. conv. etc.* 2) *hujus* U. G. 3) *basilicarum* C. H. — 4) *vel* Hisp. A. Æ. — 5) Ita Sirmondus e conjectura; *sarchitectis* Reg. a, D Jes. A; *architectis* Reg. B et C. H. 6) *ipse* Hisp. A. Æ. — 7) Ita IV. codd. Sirmondi; *habeat* C. H. — 8) Sequentia desunt in Vaticano; Sirmondus ea adjecit ex cod. Lugdunensi, nunc Jes. A, cui concinit Reg. F. — 9) Collatum ad mss., codd. Reg. A, B, D, a, Jes. A, B, C. Contulit Mansi cum cod. Vaticano 3827. Deest hoc concilium in codd. Hispanis. — Varios habet titulos in diversis codicibus. *In Christi nomine incipit constitutio episcoporum in civitate Arausica de gratia et libero arbitrio* Reg. B et Jes. A; *Incipiunt canones Arausici de libero arbitrio vel diversis conditionibus de re ipsa necessariis* Jes. B et Reg. D; *Incipiunt constituta episcoporum in civ. Araus. de gratia et lib. arb.* Reg. A. — Codex Vaticanus eadem habet verba quae Reg. D et Jes. B, sed addit cum Reg. a, D: *per aeras absque capitulis requirendum.* — 10) *cauti* Reg. A et Jes. C. —

regulam sentire velint. Unde id nobis secundum admonitionem et auctoritatem sedis apostolicae justum ac rationabile visum est, ut pauca capitula ab apostolica nobis sede transmissa, quae ab antiquis patribus de sanctarum scripturarum voluminibus in hac praecipue causa collecta sunt, ad docendos eos qui aliter quam oportet sentiunt, ab omnibus observanda proferre et manibus nostris subscribere deberemus: quibus lectis, qui hucusque non sicut oportebat de gratia et libero arbitrio credidit, ad ea quae fidei catholicae conveniunt animum suum inclinare non differat.

I. *Quod per peccatum Adae non solum corpus sed anima etiam laesa fuerit* [1]).

Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum, id est secundum corpus et animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed animae libertate illaesa durante corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur scripturae dicenti: *Anima quae peccaverit* [2]) *ipsa morietur* [3]); et: *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus cui obeditis* [4])? et: *A quo quis superatur, ejus et servus addicitur* [5]).

II. *Quod peccatum Adae non ipsi solum nocuit sed ad posteros quoque transiit.*

Si quis soli Adae praevaricationem suam, non et ejus propagini asserit nocuisse, aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam deo dabit, contradicens apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors* [6]) *pertransiit in quo omnes peccaverunt.*

III. *Quod gratia dei non ad invocationem detur sed ipsa faciat ut invocetur.*

Si quis ad invocationem humanam [7]) gratiam dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiae prophetae vel apostolo idem dicenti: *Inventus sum a non quaerentibus me; palam apparui his qui me non interrogabant* [8]).

IV. *Quod deus ut a peccato purgemur voluntatem nostram non exspectet sed praeparet.*

Si quis ut a peccato purgemur voluntatem nostram deum exspectare contendit, non autem ut etiam [9]) purgari velimus,

---

1) Caput hoc I. cum sqq. usque ad VI. fere totum reperit Mansi in vetustissimo Lucensi codice 490, ex quo variantes exhibemus. — 2) *peccat* Lucens. 490. — 3) Ezech. 18, 20. — 4) Rom. 6, 16. — 5) 2 Petr. 2, 19. — 6) *mors* deest in Vatic. 3827. — Rom. 5, 12. — 7) *invocatione humana*, om. v. *ad*, Jes. A, Reg. B, et Lucens. 490. — 8) *interrogaverunt* Lucens. 490. — Jes. 65, 1. Rom. 10, 20. — 9) *jam* Lucens. 490. —

per sancti spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi spiritui sancto per Salomonem [1] dicenti: *Praeparatur voluntas a domino* [2], et apostolo salubriter praedicanti [3]: *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.*

V. *Quod initium fidei non ex nobis sed ex gratia dei sit.*

Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus qui justificat impium, et ad generationem [4] sacri baptismatis pervenimus, non per gratiae donum, id est per inspirationem spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed [5] naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus quia qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem domini nostri Jesu Christi* [6]; et illud: *Vobis datum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini* [7]; et: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis; dei enim donum est* [8]. Qui enim fidem qua in deum credimus dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab ecclesia Christi alieni sunt quodammodo fideles esse definiunt.

VI. *Quod sine gratia dei credentibus et petentibus misericordia non conferatur, cum gratia ipsa faciat ut credamus et petamus.*

Si quis sine gratia dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus [9], vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus vel haec omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem et inspirationem sancti spiritus in nobis fieri confitetur [10] et aut humilitati aut obedientiae humanae subjungit gratiae adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus ipsius gratiae donum esse consentit, resistit apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* et: *Gratia dei sum id quod sum* [11].

VII. *Quod viribus naturae bonum aliquid quod ad salutem pertineat cogitare aut eligere sine gratia non possimus.*

Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare ut expedit aut eligere sive salutari [12], id est evangelicae [13] praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo

---

1) *per Salomonem* deest in Lucensi 490; *et apostolo dicenti* add. Vatic. omissis postea verbis: *et ap. salubr. praed.* — 2) Proverb. 19, 21. 3) *apost. salubr. praed.* deest in Lucens. — Philipp. 2, 13. — 4) *ipsum credulitatis quae justificat impium et ad regenerationem* Lucens. — 5) *et* Vatican. — 6) Philipp. 1, 6. — 7) Philipp. 1, 29. — 8) Ephes. 2, 8. — 9) *orantibus* add. Reg. A, D, Jes. B, C, Vatican., Lucens. — 10) Huc usque codex Lucensis. Mansi. — 11) 1 Cor. 4, 7. 15, 10. — 12) *salvari* Vatican. — 13) *evangelizatae* Vatican. —

veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem dei in evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere* [1]), et illud apostoli: *Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex deo est* [2]).

VIII. *Quod per liberum arbitrium ad gratiam baptismi pervenire nullus possit.*

Si quis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus qui de praevaricatione primi hominis nati sunt constat esse vitiatum, ad gratiam baptismi posse venire contendit, a recta fide probatur alienus. Is enim non [3]) omnium liberum arbitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certe ita laesum putat, ut tamen quidam valeant sine revelatione dei mysterium salutis aeternae per semetipsos posse conquirere. Quod quam sit contrarium ipse dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur nisi quem pater attraxerit [4]), sicut et Petro dicit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in coelis est* [5]); et apostolus: *Nemo potest dicere dominum Jesum* [6]) *nisi in spiritu sancto.*

IX. *De adjutorio dei per quod bona operamur.*

Divini est muneris cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus; quoties enim bona agimus, deus in nobis atque nobiscum ut operemur operatur.

X. *De adjutorio dei omnibus semper implorando.*

Adjutorium dei etiam renatis ac sanctis [7]) semper est implorandum, ut ad finem bonum [8]) pervenire vel in bono possint opere perdurare.

XI. *De obligatione votorum.*

Nemo quidquam domino recte voverit, nisi ab ipso acceperit quod voveret [9]), sicut legitur: *Quae de manu tua accepimus damus tibi* [10]).

XII. *Quales nos diligat deus.*

Tales nos amat deus quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

XIII. *De reparatione liberi arbitrii.*

Arbitrium voluntatis [11]) in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non potest reparari: quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi, unde veritas ipsa dicit: *Si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis* [12]).

---

1) Joh. 15, 5. — 2) 2 Cor. 3, 5. — 3) Ita Sirmondus cum mss.; Labbeo (et Mansi) excidit particula *non.* — 4) Joh. 6, 44. — 5) Matth. 16, 17. — 6) *Christum* add. Vatican. — 1 Cor. 12, 3. — 7) *ac sanatis* Reg. D, Jes. A, B, et Vatican. Desunt hae voces in Reg. B. — 8) *bonorum* Reg. B, Jes. A. — 9) *quod voveret* deest in Vatican. — 10) 1 Chron. 30, 14. — 11) *libertatis* Reg. A et Jes. C. — 12) Joh. 8, 36. —

XIV. *Quod ut liberemur a miseria misericordia dei praevenimur.*

Nullus miser de quacumque [1]) miseria liberatur, nisi qui dei misericordia praevenitur, sicut dicit psalmista: *Cito anticipent* [2]) *nos misericordiae tuae* [3]), *domine*; et illud: *Deus meus, misericordia ejus praeveniet me* [4]).

XV. *Quod per gratiam dei in melius mutetur fidelis.*

Ab eo quod formavit deus mutatus est Adam, sed in pejus per [5]) iniquitatem suam: ab eo quod operata est iniquitas mutatur fidelis, sed in melius per gratiam dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricatoris primi, haec secundum psalmistam *Mutatio est dexterae excelsi* [6]).

XVI. *Quod ex eo quod habemus non sit gloriandum cum ex deo sit.*

Nemo ex eo quod videtur habere glorietur tanquam non acceperit, aut ideo se putet accepisse quia litera extrinsecus vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur sonuit. Nam sicut apostolus dicit: *Si per legem justitia, ergo Christus gratis mortuus est* [7]). *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus* [8]). Inde habet quicumque habet; quisquis autem se inde habere negat, aut vere non habet, aut id quod habet aufertur [9]) ab eo.

XVII. *De fortitudine Christiana.*

Fortitudinem gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum dei caritas facit quae diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium quod est a nobis, sed per spiritum sanctum qui datus est nobis.

XVIII. *Nullis meritis gratiam praeveniri.*

Nullis meritis gratiam praevenientibus, debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia quae non debetur praecedit ut fiant.

XIX. *Neminem nisi deo miserante salvari.*

Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita permaneret [10]), nullo modo seipsam creatore suo non adjuvante servaret: unde cum sine dei gratia salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine dei gratia poterit reparare quod perdidit?

XX. *Nihil boni hominem posse sine deo.*

Multa deus facit in homine bona quae non facit homo, nulla vero facit homo bona quae non deus praestat ut faciat homo.

---

1) *quantacumque* plures mss. Pariss. et Vatican. — 2) *cite antecepit* Vatican. — 3) Ita Reg. A cum Vulgata. Labbeus: *anticipet nos misericordia tua.* — Ps. 79, 8. — 4) Ps. 59, 11. — 5) *propter* Reg. A et Jes. C. — 6) Ps. 77, 11. — 7) Gal. 2, 21. — 8) Eph. 4, 8 (Ps. 68, 19). — 9) *auferetur* Vatican. — 10) *permanserit* Reg. D. —

XXI. *De natura et gratia.*

Sicut iis qui volentes in lege justificari et a gratia exciderunt verissime dicit apostolus: *Si ex lege* [1]) *justitia* [2]) *est, ergo Christus gratis mortuus est*; sic iis qui gratiam, quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam verissime dicitur: Si per naturam justitia est, ergo Christus gratis mortuus est. Jam hic enim erat lex, et non justificabat: jam hic [3]) erat et natura, et non justificabat. Ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur qui dixit: *Non veni legem solvere sed adimplere* [4]); et natura per Adam perdita per illum repararetur, qui dixit venisse se quaerere et salvare quod perierat.

XXII. *De his quae hominum propria sunt.*

Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum; si quid autem habet homo veritatis atque justitiae, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via.

XXIII. *De voluntate dei et hominis.*

Suam voluntatem homines faciunt, non dei, quando id agunt quod deo displicet; quando autem id [5]) faciunt quod volunt ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est a quo et praeparatur et jubetur quod volunt.

XXIV. *De palmitibus vitis.*

Ita sunt in vite palmites, ut viti nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant: sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret iis, non sumat ab iis. Ac per hoc et manentem in se habere Christum et manere in Christo [6]), discipulis prodest utrumque [7]), non Christo. Nam praeciso palmite potest de viva radice alius pullulare; qui autem praecisus est sine radice non potest vivere.

XXV. *De dilectione qua diligimus deum.*

Prorsus donum dei est diligere deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit [8]) enim caritatem in cordibus nostris spiritus patris et filii, quem cum patre amamus et filio.

Ac sic secundum suprascriptas sanctarum scripturarum sententias vel antiquorum patrum definitiones hoc deo propitiante et praedicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere deum sicut oportuit, aut credere in deum, aut operari propter deum quod bonum est possit, nisi

---

1) Ita Reg. D et Jes. A, editiones cum aliis mss. *in lege.* — 2) *gratia* Reg. B. — Gal. 2, 21. — 3) Desunt haec verba: *jam hic — justificabat* in Vatican. — 4) Matth. 5, 17. — 5) *ita* Vatican. et plures mss. Pariss. — 6) *nam praeciso palmite* add. hoc loco Vatican. 7) Ita mss., Labbeus: *utcumque.* — 8) *diffudit* Reg. B. —

eum gratia misericordiae divinae[1]) praevenerit. Unde et Abel justo et Noe et Abrahae et Isaac et Jacob et omni antiquorum patrum[2]) multitudini illam praeclaram fidem, quam in ipsorum laude[3]) praedicat apostolus Paulus, non per bonum naturae quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam dei credimus fuisse collatam. Quam gratiam etiam post adventum domini omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed Christi novimus simul et credimus largitate conferri, secundum illud quod saepe jam dictum est et quod praedicat Paulus apostolus: *Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini*[4]); et illud: *Deus qui coepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem domini nostri Jesu Christi*[5]); et illud: *Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, dei enim donum est*[6]); et quod de se ipso ait apostolus: *Misericordiam consecutus sum ut fidelis essem*[7]); non dixit quia eram, sed ut essem; et illud: *Quid habes quod non accepisti*[8])? et illud: *Omne datum bonum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*[9]); et illud: *Nemo habet quidquam*[10]) *nisi illi datum fuerit desuper.* Innumerabilia sunt sanctarum scripturarum testimonia quae possunt ad probandam gratiam proferri, sed brevitatis studio praetermissa sunt, quia et revera cui pauca non sufficiunt plura non proderunt.

Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia[11]) omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quae ad salutem animae pertinent possint et debeant si fideliter laborare voluerint adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse non solum non credimus, sed etiam si sunt qui tantum malum[12]) credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.

Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus et postea per dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis praecedentibus bonis meritis et fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adjutorio ea quae sibi sunt placita implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis quem dominus ad paradisi patriam revocavit, et Cornelii centurionis ad quem angelus domini missus est, et Zacchaei qui ipsum dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura sed divinae largitatis donum[13]).

---

1) *gratia et misericordia divina* Reg. D. — 2) *antiq. sanctorum* Reg. B. Desunt hae voces in Reg. B et Jes. A. — 3) *laudem* Reg. D. — 4) Phil. 1, 29. — 5) Phil. 1, 6. — 6) Ephes. 2, 8. — 7) 1 Cor. 7. 25. — 8) 1 Cor. 4, 7. — 9) Jac. 1, 17. — 10) *boni* add. Reg. D. — Joh. 3, 27. — 11) *quod post acceptam baptismi gratiam* Reg. B, Jes. A. — 12) *mali* Reg. B, et Jes. A. — 13) *divinae gratiae largitate donata* Reg. B. —

Et quia definitionem antiquorum patrum nostramque, quae suprascripta est, non solum religiosis sed etiam laicis medicamentum esse et desideramus et cupimus, placuit ut eam et illustres ac magnifici viri, qui nobiscum ad praefatam festivitatem convenerunt, propria manu subscriberent.

CONCILIUM VASENSE SECUNDUM [1].

Cum secundum statuta canonum in Vasensi vico sanctorum pontificum fuisset concilium congregatum, juxta consuetudinem antiquorum patrum regulas relegentes propitiante domino nullum de praesentibus domini sacerdotibus aliquid contra decreta spiritualia aut praeteriisse aut praesumpsisse cognovimus: de qua re uberes deo gratias egimus, quia servis suis secundum pietatis suae consuetudinem praestare dignatus est, ut pro solo perfectae caritatis affectu et tantum pro desiderio se videndi ad synodum convenirent. Et quamvis omnia quae a sanctis sacerdotibus vel clericis observari debeant et antiqui et novelli canones continere probentur, tamen ne congregatio sancta sine aliqua definitione discederet, vel parum aliquid quod ad aedificationem ecclesiarum pertinere possit inspirante domino decreverunt [2].

I. *Ut presbyteri per parochias juniores lectores domi nutriant et erudiant* [3].

Hoc enim [4] placuit, ut omnes presbyteri qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscumque sine uxore [5] habuerint, secum in domo [6] ubi ipsi habitare videntur recipiant, et eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes psalmos parare, divinis lectionibus insistere [7] et in lege domini erudire contendant, ut et sibi dignos successores provideant et a domino praemia aeterna recipiant. Cum vero ad aetatem perfectam pervenerint [8], si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, potestas ei ducendi conjugium [9] non negetur.

---

1) Collatum ad codices mss. Reg. B, D, F, a, Corbej., Jesuit. A, B. — *decem et septem episcoporum* add. solus Reg. F; *viginti quinque episcoporum habitum era 544.* [543. Æ.] Codd. Hisp. — Tituli canonum desunt in Reg. B, D, F et Jes. A. — 2) Deest haec praefatio in C. Hisp. — 3) *De presbyterorum observatione* C. Hisp. — 4) *enim* deest in C. Hisp. — 5) *si nec uxores* Reg. B. — 6) *in domum* C. Hisp. — 7) *instruere* U. — 8) *venerint* C. Hisp. — 9) *conjugem* Reg. F. —

II. *Ut presbyteris per parochias praedicare liceat et ut his impeditis homiliae patrum a diaconis recitentur* [1].

Hoc etiam pro aedificatione omnium ecclesiarum et pro utilitate totius populi nobis placuit, ut non solum in civitatibus sed etiam in omnibus parochiis verbum faciendi daremus presbyteris potestatem, ita ut si presbyter aliqua infirmitate prohibente per se ipsum non potuerit praedicare, sanctorum patrum homiliae a diaconibus recitentur; si enim digni sunt diacones quod Christus in evangelio locutus est legere, quare indigni judicentur [2] sanctorum patrum expositiones publice recitare?

III. *Ut* Kyrie eleison *in ecclesiis frequentius, et* Sanctus, Sanctus, Sanctus *in omnibus missis dicatur* [3].

Et quia tam in sede apostolica, quam etiam [4] per totas orientales atque Italiae provincias dulcis et nimium salutaris [5] consuetudo est intromissa, ut *Kyrie eleison* frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur; placuit etiam nobis, ut in omnibus ecclesiis nostris ista tam [6] sancta consuetudo et ad matutinos et ad missas, et ad vesperam deo propitio [7] intromittatur, et in omnibus missis seu in matutinis seu in quadragesimalibus seu in illis quae pro defunctorum commemoratione [8] fiunt, semper *Sanctus, Sanctus, Sanctus* eo ordine, quo modo ad missas publicas dicitur, dici debeat; quia tam sancta et tam dulcis et desiderabilis vox, etiamsi die noctuque possit dici, fastidium non poterit generare.

IV. *Ut nomen papae* [9] *in ecclesiis recitetur.*

Et hoc nobis justum visum est, ut nomen domini papae, quicumque sedi apostolicae praefuerit, in nostris ecclesiis recitetur.

V. *Ut post* Gloria *dicatur etiam* [10]: Sicut erat in principio.

Et quia non solum in sede apostolica sed etiam per totum orientem et totam Africam vel Italiam propter haereticorum astutiam, qui dei filium non semper cum patre fuisse sed a tempore coepisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria* [11], *Sicut erat in principio* dicitur, etiam et nos in universis ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus [12].

---

1) *Qualiter recitentur a diaconis homiliae* C. Hisp. — 2) *sunt* U. G. — 3) Kyrie eleison *et* Sanctus *saepe dici* C. Hisp. — 4) *Et quia non solum , , sed etiam* T. 1. — 5) *salubris* Reg. B, D, Jes. A, et C. Hisp. 6) *ista statuta* T. 1. 2. — 7) *et ad matutinum et ad missam et ad vesperum deo propitiante* C. Hisp. — 8) *commemorationibus* C. Hisp. 9) *urbis Romae* add. Reg. a. — 10) *Ut dicatur* C. H. — 11) *gloriam* C. Hisp. — 12) *decrevimus* Reg. B, F, et C. Hisp. —

CONCILIUM AURELIANENSE SECUNDUM[1]).

Cum ex praeceptione gloriosissimorum regum in Aurelianensem urbem, de observatione legis catholicae tractaturi deo auxiliante convenissemus, ibi quid de antiquis regulis, quid de novis ambiguitatibus pro captu intelligentiae illuminante domino senserimus, expressimus singulatim, descriptisque constitutionibus, quae deo propitio in posterum sint observanda, ex veterum canonum auctoritate conscripsimus.

I. *Ut nullus ad concilium vel ad ordinationem vocatus venire dissimulet.*

Id ergo est constitutum, ut nullus episcoporum admonente metropolitano episcopo nisi certa taedii causa detentus ad concilium vel ordinationem consacerdotis venire penitus ulla excusatione detrectet.

II. *Ut metropolitanus singulis annis provinciales ad concilium vocet.*

Ut metropolitani singulis annis comprovinciales suos ad concilium evocent.

III. *Ut episcopi de ordinationibus nihil accipiant.*

Ne quis episcopus de quibuslibet causis vel episcoporum ordinationibus ceterorumque clericorum aliquid praesumat accipere, quia sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi.

IV. *Ut nullus sacerdotium pecunia appetat.*

Si quis sacerdotium per pecuniae nundinum execrabili ambitione quaesierit, abjiciatur ut reprobus, quia apostolica sententia [2]) donum dei esse praecipit pecuniae trutina minime comparandum.

V. *Ut nullus ad sepeliendum sacerdotem venire dissimulet.*

Nullus episcopus ad sepeliendum episcopum venire conficta occasione dissimulet, ne cujuslibet corpusculum diutius inhumatum negligentia interveniente solvatur. Is vero episcopus, qui defunctum advenerit sepelire, praeter expensam necessariam nihil pretii pro fatigatione deposcat.

VI. *Ut qui sepelit episcopum descriptam domum ecclesiae relinquat.*

Ut episcopus qui ad sepeliendum episcopum venerit, evocatis presbyteris in unum domum ecclesiae adeat descriptamque idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat, ut res ecclesiae ullorum improbitate non pereant.

---

1) Collatum ad mss. codices Reg. D, a. — Deest hoc concilium in codicibus Hispanis, in quibus *Aurelianense secundum* appellatur quod nobis est tertium (a. 538). v. pag. 191 not. 6. — 2) Act. 8, 20. —

VII. *De ordinatione metropolitanorum.*

In ordinandis metropolitanis episcopis antiquam institutionis formulam renovamus, quam per incuriam omnimodis videmus amissam. Itaque metropolitanus episcopus a comprovincialibus episcopis, clericis vel populis electus, congregatis in unum omnibus comprovincialibus episcopis ordinetur, ut talis deo propitio ad gradum hujus dignitatis accedat, per quem regula ecclesiae in melius aucta plus floreat.

VIII. *De captivis diaconis ne matrimonio copulentur.*

Si quis diaconus in captivitate redactus uxori fuerit copulatus, reversus ab officii omnino ministerio removendus est. Cui sufficere debet pro actus sui levitate impleta poenitentia pro satisfactione communio.

IX. *Ne presbyter cum saecularibus habitet.*

Nullus presbyterorum [1]) sine permissione episcopi sui cum saecularibus habitare praesumat: quod si fecerit, ab officii communione pellatur.

X. *Ne quis cum noverca jungatur.*

Nullus novercae suae, id est uxori patris sui, ulla copulatione jungatur: quod si quis praesumpserit, noverit se anathematis supplicio feriendum.

XI. *Ne infirmitate conjugium resolvatur.*

Contracta matrimonia accedente infirmitate nulla voluntatis contrarietate solvantur: quod si qui ex conjugibus fecerint, noverint se communione privandos.

XII. *Ne in lasciviis vota deo reddantur.*

Ne quis in ecclesia votum suum cantando, bibendo vel lasciviendo dissolvat, quia deus talibus votis irritatur potius quam placetur.

XIII. *Ne ullus praeter episcopum apostolia dare praesumat.*

Abbates, martyrarii [2]), reclusi vel presbyteri apostolia dare non praesumant.

XIV. *De clericis qui officium implere despiciunt.*

Clerici qui officium suum implere despiciunt aut vice sua ad ecclesiam venire detrectant, loci sui dignitate priventur.

XV. *De oblationibus interfectorum.*

Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.

XVI. *De his qui literas aut baptizandi ordinem nesciunt.*

Presbyter vel diaconus sine literis, vel si baptizandi ordinem nesciat, nullatenus ordinetur.

XVII. *De diaconissis quae conjugio copulantur.*

Foeminae quae benedictionem diaconatus hactenus contra

---

1) *clericorum* Reg. D. — 2) *martyrarii* deest in Reg. D. —

interdicta canonum acceperunt, si ad conjugium probantur iterum devolutae, a communione pellantur: quod si hujusmodi contubernium admonitae ab episcopo cognito errore dissolverint, in communionis gratiam acta poenitentia revertantur.

XVIII. *De iisdem ne ordinentur.*

Placuit etiam, ut nulli postmodum foeminae diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur.

XIX. *Ne Christianus Judaeam aut Judaeus Christianam accipiat.*

Placuit ut nullus Christianus Judaeam neque Judaeus Christianam in matrimonio ducat uxorem, quia inter hujusmodi personas illicitas nuptias esse censemus: qui si commoniti a consortio hoc se separare distulerint, a communionis gratia sunt sine dubio submovendi.

XX. *De his qui ad idola redeunt vel immolatis aut suffocatis vescuntur.*

Catholici qui ad idolorum cultum non custodita ad integrum baptismi gratia revertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitae praesumptionis utuntur, ab ecclesiae coetibus arceantur. Similiter et hi qui bestiarum morsibus extincta vel quolibet morbo aut casu suffocata vescuntur.

XXI. *De contumacibus abbatibus.*

Abbates qui episcoporum praecepta despiciunt ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam suscepta humilitate deponant.

Sane si qui post hanc diligentissimam sanctionem non observaverint quae sunt superius comprehensa, reos se divinitatis pariter fraternitatis judicio futuros esse cognoscant.

CONCILIUM ARVERNENSE PRIMUM [1].

Cum in nomine domini, congregante sancto spiritu, consentiente domno nostro gloriosissimo piissimoque rege Theodeberto in Arverna urbe sancta synodus convenisset, ibique flexis in terram genibus pro regno ejus, pro longaevitate, pro populo dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis tribuerat potestatem, regnum ejus dominus noster felicitate attolleret [2]), imperio regeret, justitia gubernaret: in ecclesia ex more con-

---

1) Collatum ad codices Reg. A, B, F, S, Corbej., Jes. A, C, collectionem Divionensem. — Deest praefatio in codicibus Hispanis, nec non in Reg. B, F, Jes. A. — 2) *perficeret* Reg. A, Jes. C. —

sedimus inspectisque canonibus id nobis rationabile visum est, ut quamvis ecclesiasticae regulae paene omnia comprehendant, tamen quaedam vel adderentur nova vel repeterentur antiqua.

I. *In synodis quaenam primo loco tractanda sint* [1].

In primis placuit, ut quoties secundum statuta [2] patrum sancta synodus congregatur, nullus episcoporum aliquam prius causam suggerere audeat, quam ea quae ad emendationem vitae, ad severitatem regulae, ad animae remedia pertinent finiantur.

II. *Pontificii honorem non votis sed meritis quaerendum* [3].

Placuit etiam, ut sacrum quis pontificii [4] honorem non votis [5] quaerat sed meritis, nec [6] divinum videatur munus rebus comparare sed moribus, atque eminentissimae dignitatis apicem electione conscendat omnium, non favore paucorum. Sit in eligendis sacerdotibus cura praecipua, quia irreprehensibiles esse convenit quos praeesse necesse est corrigendis; diligenter itaque quisque [7] inspiciat pretium dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse pastoris [8]. Episcopatum ergo desiderans electione clericorum vel civium, consensu etiam metropolitani ejusdem provinciae pontifex ordinetur; non patrocinia potentum adhibeat, non calliditate subdola ad conscribendum decretum alios hortetur praemiis, alios timore compellat: quod si quis fecerit, ecclesiae cui indignus praeesse cupit communione privabitur.

III. *Cadavera mortuorum non obvolvenda palliis sacratis* [9].

Observandum ne palliis vel ministeriis divinis [10] defunctorum corpora obvolvantur.

IV. *Ut clerici a saecularibus contra episcopos non erigantur.*

Ne a potentibus saeculi clerici contra episcopos suos ullo modo erigantur.

V. *Res ecclesiasticas a regibus obtinere desiderantes excommunicandos.*

Qui reiculam [12] ecclesiae petunt a regibus, et horrendae cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quae obtinent, et a communione ecclesiae cujus facultatem [13] auferre cupiunt excludantur.

---

1) *Quid prius in synodo tractandum* C. Hisp. — 2) *instituta* Reg. A et Jes. C. — 3) *De episcopis ordinandis* C. Hisp. — 4) *pontificis* C. Hisp. — 5) *praemiis* Reg. B et Jes. A, et C. Hisp. — 6) *ne* C. Hisp. — 7) *diligenter quis* C. Hisp. — 8) *sacerdotis* C. Hisp. 9) Can. 3. 4. 5. unum efficiunt canonem in codd. Hisp. cum titulo: *De palliis ecclesiae; ne clerici a potentibus erigantur, et de facultatum ecclesiae raptoribus.* — 10) *de palliis ecclesiae vel min. div. ne* C. H. 11) *corpuscula* C. H. — 12) *restulam* C. H. (v. Conc. Toletan. XVII. c. 8 med.), *reicolam* Corbej. — 13) *vel ejus facultatulam* C. Hisp. omissis omnibus illis verbis: *petunt a regibus — eccl. cujus.* —

VI. ***Neque Christianum Judaeae neque Judaeum Christianae conjugari licere*** [1]**.**

Si quis Judaicae pravitati jugali solietate conjungitur, et [2] seu Christiana Judaeo seu Judaeus Christianae mulieri [3] carnali consortio misceatur, quicumque horum tantum nefas admisisse dignoscitur [4], a Christianorum [5] coetu atque convivio et a communione ecclesiae cujus sociatur hostibus [6], segregetur.

VII. ***Ne opertorio corporis dominici defuncti sacerdotis corpus obtegatur*** [7]**.**

Ne opertorio dominici corporis sacerdotis unquam corpus dum ad tumulum evehitur obtegatur, ne [8] sacro velamine usibus suis reddito, dum honorantur corpora, altaria polluantur.

VIII. ***Suppellex ecclesiae sacra ad nuptiarum ornatum non usurpanda*** [9]**.**

Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina praestentur, ne dum improborum tactu pompaque [10] saecularis luxuriae polluuntur, ad officia sacri mysterii videantur indigna.

IX. ***Judaeos non praeficiendos Christianis judices*** [11]**.**

Ne Judaei Christianis populis judices praeponantur.

X. ***Parochiam alienam nulli episcopo invadendam*** [12]**.**

Ne parochias cujuslibet episcopi alterius civitatis episcopus canonum temerator invadat, et vesanae cupiditatis facibus inflammatus suisque admodum [13] non contentus rapiat aliena.

XI. ***Alienum clericum episcopus ne suscipiat aut promoveat*** [14]**.**

Nullus episcopus alterius clericum contra voluntatem episcopi sui suscipere audeat aut sacerdotio prorogare [15].

XII. ***De incestis conjunctionibus.***

Si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam [16], consobrinam sobrinamve [17] vel relictam [18] patrui atque avunculi carnalis contagii crediderit consortio violandam, et ausu sacrilego auctoritatem divinae legis ac jura naturae perruperit [19], et cui caritatis ac pii [20] affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiae expugnator vim inferre

---

1) *Ne Christiani Judaeis matrimonio jungantur* C. H. — 2) *id est si* C. H., *id est* Reg. A, B, Jes. A, C. — 3) *Christiano Judaea sive Judaeo Christiana mulier* C. H. — 4) *noscuntur* Jes. A, B, et C. H. 5) *Christiano* C. H. — 6) Desunt haec verba: *cujus sociatur hostibus* in Reg. B et C. Hisp. in quibus autem add. vox *protinus.* — 7) *De dominici corporis velamine* C. H. — 8) *et* C. H. — 9) *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina praestentur* C. H. — 10) *vel pompa* C. H. — 11) *Ne Christianis Judaei praeficiantur* C. H. — 12) *De parochiis ab episcopo alieno non invadendis* C. H. — 13) *suis quodammodo* C. H.; *suis quemadmodum* quidam codices Pariss. — 14) *De alterius clericis non usurpandis* C. H. — 15) *ad sacerdotium provocare* Reg. A et Jes. C. — 16) *id est filiastram* add. collectio Divion. — 17) *sobrinam* C. H. — 18) *item* add. C. H. — 19) *praeruperit* C. H. — 20) *pietatis* Jes. C. —

tentaverit, apostolicae constitutionis sententia feriatur, et quamdiu in tanto versatur scelere a Christiano coetu atque convivio simulque ecclesiae matris communione privabitur.

XIII. *Presbyteris et diaconis continentia ab uxoribus servanda* [1]).

Cum presbyteri atque diaconi sublimi dignitatis apice prorogantur, actibus [2]) omnino renuntient saeculi [3]), et ad sacrum electi ministerium [4]) repudient carnale consortium ac permixtionis pristinae contubernium permutent germanitatis affectu, et quisquis ille est presbyter atque diaconus, divino munere benedictione percepta, uxoris [5]) prius suae frater illico efficiatur ex conjuge. Attamen [6]) quosdam reperimus ardore libidinis inflammatos abjecto militiae cingulo vomitum pristinum et inhibita rursus conjugia repetiisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotii [7]) violasse, quod nati etiam filii prodiderunt; quod quisque [8]) fecisse cognoscitur [9]), omni in perpetuum quam admisso jam crimine perdidit dignitate privabitur.

XIV. *Munera ecclesiae collata nulla ratione fraudanda* [10]).

Si cujuscumque munuscula qualibet [11]) sanctis scriptura collata nefaria calliditate fraudaverit, invaserit, retentaverit atque suppresserit, et non statim a sacerdote commonitus deo collata reddiderit, ab ecclesiae catholicae communione pellatur.

XV. *Festivitates praecipuae cum episcopo in civitate peragendae* [12]).

Si quis ex presbyteris aut diaconis qui [13]) neque in civitate neque in parochiis canonicus esse dignoscitur, sed in villulis habitans, in oratoriis officio sancto deserviens celebrat divina mysteria, festivitates praecipuas: domini natale, pascha, pentecosten et si quae principales sunt reliquae solemnitates [14]), nullatenus alibi nisi cum episcopo suo in civitate teneat. Quicumque etiam [15]) sunt cives natu majores, pari modo in urbibus ad pontifices suos in praedictis festivitatibus veniant. Quod si qui improba temeritate contempserint, iisdem festivitatibus, quibus [16]) in civitate adesse despiciunt, communione pellantur.

XVI. *Ut episcopi, presbyteri et diaconi extraneas secum mulieres non habeant* [17]).

Episcopi, presbyteri atque diaconi [18]) ita sanctae con-

---

1) *De continentia clericorum* C. H. — 2) *actibusque* C. H. — 3) *saeculo* Jes. C. — 4) *mysterium* Reg. A, Jes. C, Corbej., et C. H. praeter Æ. BR. — 5) *uxori* C. H. — 6) *Attamen* deest in C. H., in quibus hic incipit can. 12. cum titulo: *De sacerdotum incontinentia.* 7) *sacerdotium*, om. v. *clarum decus*, C. H. — 8) *quisquis* C. H. — 9) *quod ergo quisque cognoscitur perpetrasse* Reg. B et Jes. A. — 10) *De fraudatoribus* C. H. — 11) *quacumque* C. H. — 12) *De festivitatibus praecipuis . . . peragendis* C. H. — 13) *Si quis presbyter aut diaconus* C. H. — 14) *festivitates* C. H. — 15) *etiam* deest in C. H. — 16) *in quibus* C. H. — 17) *De bono clericorum testimonio* C. H. — 18) *Episcopus presbyter atque diaconus* C. H. —

scientiae luce resplendeant, ut effugiant probitate actuum maledicorum obloquia, et testimonium in se divinum implere contendant, quod dominus ait: *Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut* [1]) *videntes vestra bona opera glorificent patrem vestrum qui in coelis est.* Igitur [2]) auctoritate canonica atque mansura in aevum constitutione sancimus, ut fugiatur his [3]) extranearum mulierum culpanda libertas: et tantum cum avia, matre, sorore vel nepte si necessitas tulerit habitent, de quibus nominibus, ut priorum canonum series continet, nefas est aliud quam natura constituit suspicari. In cubiculo etiam horum atque cellario vel familiari quolibet servitio neque sanctimonialis ulla neque extranea mulier [4]) neque ancilla ullo modo admittatur: quod si quis praeceptorum dei immemor crediderit contemnendum, sciat se auctoritate canonica communionis sine dubio subire jacturam. Quod si [5]) antistes culpam hanc in presbytero aut diacono suo distringere canonico rigore noluerit, ipse severitate sententiae feriatur.

CONCILIUM AURELIANENSE TERTIUM [6]).

Cum in dei nomine in Aurelianensem urbem [7]) ad synodale concilium venissemus [8]), de his quae per longum tempus observatione cessante fuerant intermissa, priorum canonum tenore servato, praesentibus regulis vetera statuta [9]) renovavimus, et nova pro causarum vel temporum conditione addenda credidimus.

I. *Ut synodos convocare metropolitani, frequentare episcopi non praetermittant* [10]).

Primum, ut unusquisque metropolitanus in provincia sua cum comprovincialibus suis singulis annis synodale debeat opportuno tempore habere concilium: quod si illum infirmitas aut necessitas certa tenuerit, ut ad alium [11]) constitutum locum

---

[1]) *Sic luceat — ut* deest in C. H. — Matth. 5, 16. — [2]) Hic incipit can. 16. in C. H. cum titulo: *Ne clerici cum extraneis habitent mulieribus.* [3]) *fugiatur ab omnibus clericis* C. H. — [4]) *sit* add. C. H. — [5]) Haec verba cum seqq. desunt in C. H. — [6]) Collatum ad mss. codices Reg. B, D, F, S, a, c, Jes. A, B, Corbej., et collectionem Divionensem. — Deest hoc concilium in E. 3. et appellatur secundum in ceteris codicibus Hispanis. cf. pag. 185 not. 1. — Tituli canonum desunt in Reg. B, S, Corbej. — [7]) *Aurelianensi urbe* C. H. — [8]) *convenissemus* C. H. — [9]) *servanda* add. Reg. D, a, Jes. B, at in regiis deest *renovavimus* — [10]) *De synodo metropolitani* C. H. — [11]) *alium* deest in Reg. D, a. —

adesse non possit, ad suam civitatem suos evocet fratres. Quod si intra biennium divinitus temporum tranquillitate concessa admonitis comprovincialibus a metropolitano synodus indicta non fuerit, metropolitanus ipse pro evecationis tarditate anno integro missas facere non praesumat. Quod si evocati nulla corporali infirmitate detenti adesse sua abusione [1]) despexerint, simili sententiae subjacebunt, qui tamen et hanc excusationem sibi noverint esse sublatam, si absentiam suam divisione sortis crediderint excusandam.

II. *Ut clerici a subdiacono et supra ab uxoribus suis abstineant aut ab officio deponantur* [2]).

Ut nullus clericorum a subdiacono et supra, qui uxores in proposito suo accipere inhibentur, propriae si forte jam habeat misceatur uxori: quod si fecerit, laica communione contentus juxta priorum canonum statuta ab officio deponatur; quem si sciens episcopus suus in vilitate permixtionis [3]) viventem ad officium postea admiserit, et ipse episcopus ad agendam poenitentiam tribus mensibus sit a suo officio sequestratus.

III. *De metropolitanorum provincialiumque episcoporum electione et ordinatione* [4]).

De metropolitanorum vero ordinationibus id placuit, ut metropolitani a metropolitanis [5]), omnibus si fieri potest praesentibus comprovincialibus [6]) ordinentur, ita ut ipsi metropolitano ordinandi privilegium maneat, quem [7]) ordinationis consuetudo requirit. Ipse tamen metropolitanus a comprovincialibus episcopis, sicut decreta sedis apostolicae continent, cum consensu cleri vel civium eligatur, quia aequum est, sicut ipsa sedes apostolica dixit, ut [8]) qui praeponendus est omnibus ab omnibus eligatur; de comprovincialibus vero ordinandis cum consensu metropolitani, cleri et civium juxta priorum canonum statuta electio et voluntas requiratur.

IV. *De familiaritate et cohabitatione extranearum mulierum cum clericis.*

De familiaritate extranearum mulierum [9]) licet jam multa quae observari debeant multis canonicis sententiis fuerint statuta, tamen quod agnoscitur saepe transcendi, convenit replicari; ideoque statuimus, ut ne quis antistitum clericorumque omnium licentiam habeat intra domum suam ullam absque his propinquis mulieribus, quas priores canones eloquuntur, habere personam: quibus etiam [10]) id specialiter inhibetur, ut si quis

---

1) *suae evocationi* Reg. B. — 2) *De clericis conjugatis* C. Hisp. — 3) *in hac vilitatis praesumptione* Reg. B, Jes. A, collect. Divion., et C. Hisp. praeter T. 1. in quo legitur: *in hac vil. praesumptiose.* — 4) *De metropolitani ordinatione* C. H. — 5) *metropolitano* Reg. B, Jes. A, et C. H. — 6) *provincialibus* Hisp. A. G. — 7) *quod* C. H. — 8) *ut* deest in C. H. — 9) Haec sunt verba tituli in C. H. — 10) *etiam et* C. H. —

clericorum suspicionem adversam aut oblocutionem populi de muliere quacumque fortassis incurrerit, eam statim, si intra domum suam habet, abjiciat; si certe extranea et sui juris est, ita omnibus conditionibus studeat evitare, ut infamia quae excitata est abrogetur. Quod si quilibet ille antistitum vel clericorum [1]) quod supra scriptum [2]) est vitare noluerit, pro inobedientia triennii excommunicatione mulctetur. Quod si adulterii permixtio fuerit approbata, in regradatione [3]) honorum priorum canonum statuta serventur; in quibus communicationibus [4]) metropolitanus a comprovincialibus suis [5]), comprovincialis a metropolitano cum reliquis comprovincialibus distringatur.

V. *De iis quae oblata et collata sunt basilicis civitatis aut parochiarum* [6]).

Si quae oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collatae fuerint basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem episcopi redigantur, et in ejus sit arbitrio quid ad reparationem basilicae aut observantium ibi substantiam [7]) deputetur; de facultatibus vero parochiarum vel basilicarum in pagis civitatum constitutis [8]) singulorum locorum consuetudo [9]) servetur.

VI. *De qualitate ordinandorum et de poenis illicitarum ordinationum* [10]).

De clericorum praemittenda conversione id omnimodis observetur, ne ullus ex laicis ante annualem conversionem vel aetatem legitimam, id est [11]) viginti quinque annorum diaconus, et triginta presbyter ordinetur, ita ut de ipsis quoque qui ordinandi [12]) sunt clericis regulari custodiatur studio [13]), ne aut duarum uxorum vir aut renuptae maritus aut poenitentiam professus aut semus [14]) corpore vel qui publice aliquando arreptus est ad suprascriptos ordines promoveatur. Quod si sciens episcopus contra haec statuta agendum esse crediderit, is quidem qui ordinatur suscepto juxta anteriores canones privetur officio, sed et ille pro ordinationis temeritate sex mensibus a celebrandis officiis sequestretur; quod si missas intra statutum tempus facere praesumpserit, anno integro ab omnium fratrum caritate privetur. De quorum promotionibus [15]) si quis clericus aut civis testis extiterit, quorum testimonio dum creditur frequenter pontificis ignorantia praevenitur, cum agnitum fuerit ordinationem illicite [16]) celebratam, anno integro

---

1) *antist. clericorumque* C. H. — 2) *dictum* Reg. B. — 3) *degradatione* A. E. 3. 4. U. G. — 4) *commonitionibus* Reg. B et C. Hisp.; *communionibus* Reg. D et Jes. A. — 5) *suis* deest in C. H. — 6) *De facultatibus parochiarum* C. H. — 7) *observanda ibi substantia* C. H. 8) *constitutarum* C. H. — 9) *constitutio* A. E. 3. 4. G. — 10) *De excommunicatione episcopi* C. H. — 11) *id est ante* C. H. — 12) *ordinati* Reg. B. F. — 13) *regulare . . studium* Reg. B, F, C. Hisp. 14) *semis* Reg. B. — 15) *promonitionibus* T. 2. G. — 16) *illicitam* C. H.

a communione pellantur: qui tamen [1]) si periculosam infirmitatem incurrerint, viatica illis communio non negetur.

VII. *De clericis qui post ordinationem uxores ducunt vel adulterant, et ne quis invitus ordinetur* [2]).

Clerici vero, qui cum uxores non haberent [3]), benedictione suscepta conjugia crediderint eligenda, qui volentes absque ulla reclamatione in aetate fuerint legitima ordinati, cum ipsis mulieribus quas acceperint [4]) excommunicatione percellantur [5]); quod si invitus vel reclamans fuerit ordinatus, ab officio quidem deponatur sed non a communione pellatur. Episcopus autem qui invitum aut reclamantem praesumpserit ordinare, annuali poenitentiae subditus missas facere non praesumat. De adulteriis [6]) autem honoratorum [7]) clericorum id observandum est, ut si quis adulterasse [8]) aut confessus fuerit [9]) vel convictus, depositus ab officio, communione concessa, in monasterio [10]) toto vitae suae tempore retrudatur [11]).

VIII. *De clericorum honoratorum furtis aut falsitatibus.*

Si quis clericus furtum aut falsitatem admiserit, quia capitalia et ipsa sunt crimina, communione concessa ab ordine regradetur [12]). De perjurio vero id censuimus observandum, ut si quis clericus in causis quae sub jurejurando finiendae [13]) sunt praebuerit juramenta, et post rebus evidentibus [14]) detegitur pejerasse [15]), biennii tempore [16]) excommunicatione plectatur [17]).

IX. *De his qui uxoribus defunctis concubinas sibi crediderint sociandas* [18]).

De his qui ex concubinis filios habent et uxores legitimas habuerunt, aut defunctis uxoribus sibi concubinas publice crediderint sociandas, id observandum esse censuimus [19]), ut sicut eos qui jam sunt clerici per ignorantiam ordinati non removemus, ita statuimus ne ulterius ordinentur.

X. *De incestis conjunctionibus* [20]) *ante baptismum vel ignoranter contractis.*

De incestis conjunctionibus ita quae sunt statuta serventur, ut his qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus patrum statuta sacerdotali praedicatione in notitiam antea non

---

1) Sequentia ita habet Reg. a, D, S, Jes. B: *qui si in infirmitatem deciderint, iis viaticum non negetur.* — 2) *De episcopo qui invitum aut reclamantem praesumpserit ordinare* C. H. — 3) *habuerint* C. H. — 4) *acceperunt* C. H. — 5) *pellantur* Reg. B, D, S, Jes. A, et C. H.; *excommunicati pellantur* Jes. B. — 6) Hic incipit can. 8. in C. H. sub titulo: *De adulteriis clericorum honoratorum.* — 7) *honorandorum* U. — 8) *adulterasset* C. H. — 9) *fuisset* C. H. — 10) *in monasterium* C. H. — 11) *trudatur* Reg. a. — 12) *degradetur* C. H. praeter T. 1. 2. U. G. — 13) *faciendae* C. H. praeter BR. U. G. — 14) *evenientibus* T. 2. — 15) *perjurasse* C. H. — 16) *temporis* Reg. B, Jes. A, C. H. — 17) *a communione pellatur* Reg. D, a, Jes. B. — 18) *De his qui ex concubinis filios habent* C. H. — 19) *censemus* C. H. — 20) Desunt reliqua tituli verba in C. H. —

venerunt, ita pro novitate conversionis ac fidei suae credidimus consulendum, ut contracta hucusque hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum quod de incestis conjunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est observetur; id est [1]), ut ne quis sibi sub [2]) conjugii nomine sociare praesumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, sororem uxoris, consobrinam aut sobrinam [3]), relictam avunculi aut patrui. Quod si qui in hoc incesti adulterio potius quam conjugio fuerint sociati, quamdiu se non sequestraverint, a communione ecclesiastica repellantur. Illud etiam [4]) adjiciendum esse credidimus, ut in episcopi [5]) discussione consistat [6]), de his qui in civitate sua ac [7]) territorio consistunt et tali sunt ordine sociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam quae sunt interdicta praesumpserint; quia sicut his qui per ignorantiam lapsi sunt subvenitur, ita illis quibus prius patrum statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra sacerdotum interdicta in tali permixtione versantur, priorum canonum in omnibus statuta serventur, ut non prius ad communionem [8]) recipiantur, quam incesti adulterium, sicut scriptum est, separatione sanaverint; quia in lege domini manifeste legitur: *Maledictus qui dormit* [9]) *cum uxore patris sui, cum privigna vel uxoris suae sorore*, et reliqua his similia; quo fit ut quos deus maledixit nos nisi emendatos benedicere non possimus [10]).

XI [11]). *De clericis qui propter saecularium patrocinia* [12]) *officium suum implere detrectant.*

Si qui clerici ministeria suscepta quacumque occasione agere sicut et reliqui detrectant, et excusationem de patrociniis quorumcumque ne officium impleant praetendunt, ac sacerdotes suos [13]) sub hujusmodi causa aestimant per inobedientiam contemnendos, inter reliquos canonicos clericos, ne hac licentia alii vitientur, nullatenus habeantur, neque e rebus ecclesiasticis cum canonicis stipendia aut munera ulla percipiant.

XII. *De agris ecclesiae non alienandis et distractis tricennaria repetitione revocandis* [14]).

De agellis vero ceterisque facultatibus ecclesiasticis a sacerdotibus non alienandis nec per contractus inutiles obligandis priorum canonum statuta serventur, ut nobis per nullos contractus res ecclesiasticas alienare aut inutiliter liceat obli-

---

1) Reliqua ab his vocibus usque ad canonis finem in codice A. (Hisp.) ad marginem scripta sunt. — 2) *sub* deest in C. H. et in Reg. B, Jes. A. in quibus item desunt verba: *filiam ux.*, *relictam fratr.* — 3) *sobrinam* deest in Reg. C. — 4) *quoque* C. H. — 5) *sui* add. C. Hisp. — 6) *consistant* C. H. quorum editores hoc loco puncti signum interposuerunt. — 7) *aut* C. H. — 8) *prius communione* C. Hisp. — 9) *dormierit* C. H. — Deuteron. 27, 20. — 10) *possumus* C. H. — 11) Hic et seqq. canones desunt in A. et E. 3., desumpti sunt ex codice BR. cum variantibus ceterorum lectionibus. — 12) *propter saec. patr.* deest in C. H. — 13) *suos* deest in C. H. — 14) *De facultatibus ecclesiasticis non alienandis* C. H. —

gare. Ea etiam quae de rebus ecclesiasticis ab antecessoribus alienata, vel quibuscumque instrumentis inutiliter in dispendium ecclesiae obligata noscuntur, et intra tricennaria tempora repetitio suppetit, quae acta sunt suffragante justitia per publicum aut electorum[1]) judicium revocentur. Quod si is qui rem ecclesiasticam tenet admonitus judicium declinaverit, quousque aut[2]) ad discussionem veniat, aut[3]) rem restituat ecclesiasticam[4]) communione privetur.

XIII. *De mancipiis Christianis quae in Judaeorum servitio detinentur[5]), et de Judaeorum conjugiis atque conviviis.*

De mancipiis Christianis quae in Judaeorum servitio detinentur, si iis quod Christiana religio vetat a dominis imponitur, aut si eos, quos de ecclesia excusatos tollent[6]), pro culpa quae remissa est affligere aut[7]) caedere fortasse praesumpserint, et ad ecclesiam iterato confugerint, nullatenus a sacerdote reddantur, nisi pretium offeratur ac detur quod mancipia ipsa valere pronuntiaverit justa taxatio[8]). Christianis quoque omnibus interdicimus, ne Judaeorum conjugiis misceantur: quod si fecerint, usque ad sequestrationem, quisquis ille est, communione pellatur[9]). Item Christianis convivia interdicimus Judaeorum; in quibus si fortasse fuisse probantur, annuali excommunicationi pro hujusmodi contumacia subjacebunt.

XIV. *Ut missarum celebritas in praecipuis solemnitatibus hora tertia inchoetur[10]).*

De missarum celebritate in praecipuis duntaxat solemnitatibus id observari debet[11]), ut hora tertia missarum celebratio in dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes ipso officio expedito sacerdotes possint ad vespertina officia, id est in vespertino tempore convenire: quia sacerdotem vespertinis officiis ab ecclesia talibus praeterea diebus nec decet deesse nec convenit.

XV. *Ut episcopi in aliena dioecesi clericos non ordinent nec altare consecrent; et ut clerici extranei sine episcopi sui literis non ordinentur neque ad communionem admittantur[12]).*

Episcopus in dioeceses alienas ad alienos clericos ordinandos vel consecranda altaria irruere[13]) non debet[14]): quod si fecerit, remotis his quos ordinaverit, altaris tamen consecratione manente, transgressor canonum anno a missarum celebritate cessabit[15]). De his[16]) vero clericis qui sub qualibet

---

1) Quidam antiqui codices: *rectorum.* — 2) *aut* deest in C. H. praeter Æ. — 3) *et* in iisdem. — 4) *ecclesiastica* C. H. — 5) Reliqua desunt in C. Hisp. — 6) *quos ecclesia excusata tollet* C. Hisp. — 7) *vel* C. H. — 8) *valere constiterit juxta taxationem* C. H. praeter Æ. 9) *a comm. repellatur* C. H. — 10) *De celebratione missarum* C. H. — 11) *debebit* C. H. — 12) *Ne episcopus in alienam irruat dioecesim* C. H. 13) *accedere* Reg. D. — 14) *Episcopos in dioecesi aliena .. debere* C. H. 15) *fecerint .. ordinaverint .. transgressores canonum ab annua missarum celebr. cessabunt* C. H. — 16) Hic incipit can. 17. in C. H. cum titulo: *Ne clerici in aliena civitate commorentur.* —

occasione aut conditione in aliorum civitatibus vel territoriis crediderint immorandum, ne ad ullum [1]) clericatus honorem absque sui episcopi scripto atque consensu [2]) debeant promoveri. Verum etiam [3]) presbytero, diacono vel subdiacono sine episcopi sui literis ambulanti juxta statuta priora communionem nullus impendat.

XVI. *De raptu virginum sacrarum, poenitentium aut viduarum* [4]).

De raptoribus [5]) virginum consecratarum seu in proposito sub devotione viventium id statuimus, ut si quis consecratae [6]) vel devotae, id est religionem professae, vim inferre praesumpserit, a communione ecclesiastica usque ad exitum repellatur, viatico tantum ei in infirmitatis periculo reservato. Quod si quae rapta dicitur cum raptore habitare consenserit, et ipsa excommunicatione simili feriatur: quae forma et de poenitentibus ac viduis in proposito manentibus sub districtione ecclesiastica conservetur. Quod si quis sacerdos sciens hujusmodi personis communicaverit, anno integro pacem ecclesiae [7]) non habebit.

XVII. *Ut quae clericis collata sunt a successoribus episcopis non auferantur* [8]).

De munificentiis vero sacerdotum id observandum, ut si quid praesenti tempore a clericis de [9]) decedentium munificentiis habetur vel possidetur, deinceps a successoribus nullatenus auferatur, ita ut qui decessorum largitatibus gaudent, officia ecclesiae, obedientiam et affectum sacerdotibus praebeant: de quibus tamen munificentiis quae praesenti tempore ab his sicut dictum est possidentur, si pro opportunitate episcopo placuerit, quod voluerit commutare sine accipientis [10]) dispendio in locis aliis commutetur. De munificentiis vero praesentibus quas unusquisque clericis pro sua gratia eorum obsequiis aestimat conferendas, sicut in arbitrio dantis est, ut tribuere quibus voluerit debeat, ita si inobedientia vel contumacia in aliquo [11]) accipientis extiterit, culpa agnita in arbitrio sit praesidentis, utrum vel qualiter debeat revocari [12]).

XVIII. *De clericis qui dioeceses, monasteria vel basilicas suscipiunt ordinandas.*

De his vero clericorum personis quae [13]) de civitatensis ecclesiae officio monasteria, dioeceses vel basilicas in quibuscumque locis positas, id est sive in territoriis sive in ipsis

---

1) *nec ad ultimum* Reg. B. et C. H. — 2) *atque consensu* deest in C. H. praeter Æ. — 3) Absunt haec a Reg. B. In codd. Hisp. desunt verba: *verum etiam*, et incipit can. 18. sub titulo: *De clericis qui sine commendatitiis vagantur.* — 4) *poen. aut vid.* deest in C. H. 5) *de raptu* Reg. D, a. — 6) *ut quicumque sacratae* Reg. D, a. — 7) *ecclesiasticam* Reg. B. — 8) Hic canon in codd. Hisp. extat tantum in cod. Æ. cum titulo: *De munificentiis sacerdotum.* — 9) *de* abest a C. H. — 10) *accedente* Reg. D, a, Jes. B. — 11) *aliqua* C. H. 12) *revocare* Reg. D, *observari* Jes. B. — 13) *qui* C. H. —

civitatibus suscipiunt ordinandas, in potestate sit [1]) episcopi, si de eo [2]) quod ante de ecclesiastico munere habebant eos aliquid aut nihil exinde habere voluerit: quia unicuique facultas suscepti monasterii, dioecesis vel basilicae debet plena ratione sufficere.

XIX. *De contumacibus clericis.*

Si quis superbia elatus officium suum indignatione quacumque implere noluerit, juxta statuta priora laica communione contentus ab ordine depositus tamdiu habeatur [3]), quamdiu digna, sicut scriptum est, poenitentia et supplicatione satisfecerit praesidenti pontifici [4]), tamen illis regulariter et caritatem integram, et quaecumque illis stipendiorum juxta consuetudinem redhibentur, pro qualitate temporis ministranti [5]): de quibus si querela procedit [6]), officium agens recurrat ad synodum.

XX. *Ut oppressi ab episcopo clerici ad synodum recurrant.*

Si quis clericorum circa [7]) se aut districtionem aut tractationem episcopi sui putat injustam, juxta antiquas constitutiones [8]) recurrat ad synodum.

XXI. *De clericorum conspirationibus in synodo vindicandis.*

Si qui clericorum, ut nuper multis locis diabolo instigante actum fuisse perpatuit, rebelli auctoritate se in unum conjuratione intercedente collegerint, et aut sacramenta inter se data aut chartulam conscriptam [9]) fuisse patuerit, nullis excusationibus haec praesumptio praeveletur, sed res detecta, cum in synodum ventum fuerit, in praesumptoribus juxta personarum et ordinum qualitatem a pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, vindicetur [10]), quia sicut caritas ex praeceptis dominicis corde, non chartulae conscriptione est vel conjurationibus exhibenda, ita quod supra sacras admittitur scripturas auctoritate et districtione pontificali est reprimendum.

XXII. *De eo qui rem ecclesiae vel episcopi retinet oblationesque defunctorum aut suas* [11]).

Si quis res ecclesiae debitas vel proprias sacerdotis horrendae cupiditatis instinctu occupaverit, retinuerit aut a potestate ex competitione perceperit, ut eas non restituat [12]), nullis rebus excusetur; sed si agnito jure ecclesiastico [13]) non statim ecclesiae vel sacerdoti reformaverit, aut ut ipsum jus agnoscere possit, in judicium electorum venire distulerit, tamdiu a communione ecclesiastica suspendatur, quamdiu restitutis rebus

---

1) *consistat* U. G. — 2) *si de id* Reg. B, S, Jes. A, S, et Corbej., quomodo et alibi saepe. — 3) *alienus* add. C. H. — 4) *praesente pontifice* C. H. — 5) *ita tamen ut illis . . . pro qualitate temporis ministretur* C. H. — 6) *procedat* C. H. — 7) *juxta* C. H. 8) *consuetudines* Reg. B, Jes. B et C. H. — 9) *chartula conscripta* C. Hisp. — 10) *judicetur* U. G. — 11) *De oblationibus ecclesiae non retinendis* C. H. — 12) *si eas non restituerit* C. H. — 13) *ecclesiae* Reg. B, Jes. B, et C. H. —

tam ecclesiam quam sacerdotem reddat indemnem [1]. Similis etiam his [2], qui oblationes defunctorum legaliter dimissas quolibet ordine assignare tardaverint vel retinere praesumpserint, districtionis ecclesiasticae juxta priores canones forma servetur: cui [3] etiam sententiae subjacebit, quisquis [4] ille quolibet ordine quod pro devotione sua ecclesiis dedit revocare praesumpserit.

XXIII. *Abbatibus et presbyteris res ecclesiae sine permissu episcopi alienare non licet* [5].

Abbatibus, presbyteris ceterisque ministris de rebus ecclesiasticis vel sacro ministerio [6] alienare vel obligare absque permissu et subscriptione episcopi sui nil liceat: quod qui praesumpserit, regradetur [7] communione concessa, et quod temere praesumptum aut alienatum est, ordinatione [8] episcopi revocetur.

XXIV. *Poenitentia juvenibus non danda nec conjugatis nisi ex mutuo consensu* [9].

Ut ne quis [10] benedictionem poenitentiae juvenibus personis [11] credere praesumat: certe conjugatis nisi ex consensu partium et aetate jam plena eam dare non audeat.

XXV. *De his qui suscepta poenitentia ad saecularem militiam* [12] *revertuntur.*

Si quis poenitentiae benedictione suscepta ad saecularem habitum [13] militiamque reverti praesumpserit, viatico concesso usque ad exitum excommunicatione plectatur.

XXVI. *Ne servus vel colonus ad honores ecclesiasticos admittatur* [14].

Ut nullus servilibus colonariisque conditionibus obligatus, juxta statuta sedis apostolicae [15] ad honores ecclesiasticos admittatur, nisi prius aut testamento [16] aut per tabulas [17] legitime constiterit absolutum: quod si quis episcoporum, ejus qui ordinatur conditionem sciens, transgredi per ordinationem inhibitam fortasse voluerit, anni spatio missas facere non praesumat.

---

1) *tam ecclesiae quam sacerdotibus reddatur indemnis* C. H. — Jes. A ad oram alia manu adjectum habet: *Si autem in sua pertinacia manserit, anathematizatus ab omni Christianorum ecclesia sit separatus.* — 2) *etiam de his* C. H. — 3) *simili* Reg. B et C. H. — 4) *si quisquis* C. H.
5) *De rebus ecclesiae absque consensu episcopi non alienandis* C. H. —
6) *deputatis* add. Reg. B, Jes. A, et collectio Divionensis. — 7) *degradetur* C. H. praeter Æ. — 8) *ad ordinationem* Reg. D, Jes. B. —
9) *De juvenum et conjugatorum poenitentia* C. H. — 10) *De poenitentum conversione ut ne quis* C. H. — 11) *personis* deest in C. H. praeter Æ. — 12) *ad saecularia* C. H. — 13) *ambitum* C. H. —
14) *De servis non ordinandis* C. H. — 15) Ep. Leonis I. ad episcopos per Campaniam et Picenum. — 16) *aut per testamentum* C. H. —
17) *eum* hoc loco add. C. H. —

XXVII. *Ut clericus honoratus usuram et turpe lucrum non exerceat* [1]).

Ut clericus a diaconatu et supra pecuniam [2]) non commodet ad usuras [3]), nec de praestitis beneficiis quidquam amplius quam datur speret, neve [4]) in exercendis negotiis, ut publici qui ad populi responsum [5]) negotiatores observant, turpis lucri cupiditate versetur, aut sub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quod si quis adversus statuta venire praesumpserit, communione concessa ab ordine regradetur.

XXVIII. *Die dominico quid operis facere liceat aut non liceat* [6]).

Quia persuasum est populis die dominico agi cum caballis aut bobus [7]) et vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum praeparare [8]) vel ad nitorem domus vel hominis pertinentem ullatenus [9]) exercere, quae res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur [10]), id statuimus, ut die dominico quod ante fieri licuit liceat; de opere tamen rurali, id est arato [11]) vel vinea vel sectione, messione [12]), excussione, exarto vel sepe censuimus abstinendum, quo facilius ad ecclesiam venientes orationis gratiae vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus supra scriptis quae interdicta sunt se exercere, qualiter emendari debeat non in laici districtione sed in sacerdotis castigatione consistat.

XXIX. *Ut missae integrae audiantur et cum armis bellicis nemo sacra spectet* [13]).

De missis nullus laicorum ante discedat quam dominica dicatur oratio, et si episcopus praesens fuerit, ejus benedictio exspectetur; sacrificia vero matutina missarum sive vespertina ne quis [14]) cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectet [15]): quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat qualiter ejus districtione debeat castigari.

XXX. *Ut Judaeis a die coenae domini usque ad feriam secundam paschae procedere inter Christianos non liceat* [16]).

Quia deo propitio sub catholicorum regum dominatione consistimus [17]), Judaei a die coenae domini usque in secundam sabbati in pascha, hoc est ipso quatriduo, procedere inter Christianos, neque catholicis populis se ullo loco vel quacumque occasione miscere praesumant.

---

1) *De clericis negotiatoribus* C. H. — 2) *Ut clericus aut diaconus supra pecuniam* C. H. — 3) *usuram* C. H. — 4) *nec vel* C. H. — 5) *ad popularis* (forsan *popularem*) *pensam* Reg. D, Jes. B. — 6) *De diei dominici observatione* C. H. — 7) *mulis* Æ. — 8) *praeparari* C. H. 9) *nullatenus* C. H. — 10) *probantur* C. H. — 11) *aratu* C. H. — 12) *messione* deest in C. H. — 13) *De missa integra audienda* C. H. — 14) *nullus* C. H. — 15) *exspectet* Jes. A, B, Reg. D, et C. H. — 16) *De diebus quibus Judaeis inter Christianos progredi non licet* C. H. — 17) *vivimus* Reg. A, D. —

XXXI. *De haereticis et Bonosiacis sacerdotibus qui rebaptizant* [1].

Judex civitatis vel loci, si haereticum aut Bonosiacum vel cujuslibet alterius haeresis sacerdotem [2]) quamcumque personam de catholicis rebaptizasse cognoverit, quia reges nos constat habere catholicos, non statim rebaptizantes adstrinxerit, et ad regis fidem atque justitiam propterea distringendos adduxerit, annuali excommunicationi subdatur.

XXXII. *Ut sine episcopi licentia nec clericus* [3]) *laicum nec laicus clericum ad saeculare judicium trahat.*

Clericus cujuslibet gradus sine pontificis sui permissu nullum ad saeculare judicium praesumat attrahere, neque [4]) laico inconsulto sacerdote clericum in saeculare judicium liceat exhibere.

XXXIII. *De horum canonum observatione.*

Quocirca haec quae inspirante deo communi consensu placuerunt, si quis antistitum viventium vel eorum quos ipsis deus esse voluerit successores, relicta observationis integritate custodire et implere neglexerit, reum se divinitatis pariter et fraternitatis judicio futurum esse cognoscat, quia canones suos nec ignorare quemquam, nec dissimulare, id est praeterire permittitur.

CONCILIUM AURELIANENSE [5]) QUARTUM [6]).

Cum in Aurelianensi urbe unanimiter in Christi nomine sancta adfuisset congregatio sacerdotum, et de his quae ad sacrum propositum pertinent, vel quae secundum ecclesiasticam ordinationem regulari conveniunt disciplinae deo medio tractare coepissent, placuit, ut quae definita sunt secundum antiquam consuetudinem scripta monstrentur; et quo firmius statuta serventur, cum consensu omnium doceat annotata subscriptio.

I. *Ut pascha secundum laterculum Victorii celebretur et per episcopos epiphaniorum die denuncietur.*

Placuit itaque deo propitio, ut sanctum pascha secundum laterculum Victorii [7]) ab omnibus sacerdotibus uno tempore

---

1) *De judice rebaptizantes non plectente* C. Hisp. — cf. concil. Arelat. II. c. 17. — 2) *sacerdotem* deest in Reg. B, Jes. A et in C. H.; at in Reg. S omissa sunt ista: *vel cujusc. alt. haer. sacerd.* — 3) *Ne clericus*, om. iis quae antecedunt, C. H. — 4) *neve* Reg. B. — 5) Collatum ad mss. codd. Reg. D, a, c, Jes. B. — Deest in codd. Hispanis.
6) *Incipiunt capitula de synodo Aurelianensium tempore Childeberti regis* Reg. D. — Tituli canonum a Sirmondo digesti; in mss. breviores sunt. Nota Bened. — 7) *Victoris* Reg. D. —

celebretur: quae festivitas annis singulis ab episcopo epiphaniorum die in ecclesia populis denuncietur: de qua solemnitate quoties aliquid dubitatur, inquisita vel agnita per metropolitanos a sede apostolica sacra constitutio teneatur.

II. *Ut quadragesima in omnibus ecclesiis aequaliter teneatur et sabbatis jejunium non solvatur.*

Hoc etiam decernimus observandum, ut quadragesima ab omnibus ecclesiis aequaliter teneatur, neque quinquagesimam aut sexagesimam [1]) ante pascha quilibet sacerdos praesumat indicere; sed neque per sabbata absque infirmitate quisquam solvat quadragesimae jejunium, nisi tantum die dominico prandeat, quod sic fieri specialiter patrum statuta sanxerunt. Si quis hanc regulam irruperit, tanquam transgressor disciplinae a sacerdotibus censeatur.

III. *Ut primores civitatis pascha et praecipuas festivitates in civitate celebrent.*

Quisquis de prioribus civibus pascha extra civitatem tenere voluerit, sciat sibi a cuncta synodo esse prohibitum, sed principales festivitates sub praesentia episcopi teneant ubi sanctum decet esse conventum; tamen si aliquis certa necessitate constringatur ut hoc implere non possit, ab episcopo postulet commeatum: quod si hoc postulare despexerit, in eodem loco, id est in festivitate praesenti, ubi tenere voluerit suspendatur [2]).

IV. *De eo quod in sacro calice est offerendum.*

Ut nullus in oblatione sacri calicis nisi quod ex fructu vineae speratur, et hoc aqua [3]) mixtum offerre praesumat, quia sacrilegum judicatur aliud offerri quam quod in mandatis sacratissimis salvator instituit.

V. *Quo in loco fieri debeat episcopi consecratio.*

Id etiam regulariter esse perspeximus decernendum, ut episcopus in civitate, in qua per decretum eligitur ordinandus, in sua ecclesia cui praefuturus est consecretur. Sane si subito necessitas temporis hoc implere non patitur, licet melius esset in sua ecclesia fieri, tamen aut sub praesentia metropolitani aut certe cum ejus auctoritate intra provinciam omnino a comprovincialibus ordinetur.

VI. *Ut clerici ab episcopis canonum statuta percipiant.*

Parochiani clerici a pontificibus suis necessaria sibi statuta canonum legenda percipiant, ne se ipsi vel populi quae pro salute eorum decreta sunt excusent postmodum ignorasse.

VII. *De clericis qui in oratoriis servire debent.*

Ut in oratoriis domini praediorum minime contra votum

---

1) *aut sexag.* desunt in Jes. B. — 2) Locus obscurus, et in Reg. a, D depravatus; forte legendum est: *et in eodem loco ubi praesens est; festivitatem tenere voluerit.* — 3) *et hoc sine aqua* Reg. D. cf. Conc. Carth. III. c. 24. —

episcopi, ad quem territorii ipsius privilegium noscitur pertinere, peregrinos clericos intromittant, nisi forsitan quos probatos ibidem districtio [1]) pontificis observare praeceperit.

VIII. *De poenitentia lapsorum in haeresim.*

De his qui post baptismi sacramentum ad haeresis lapsum carne suadente descendunt, et agnoscentes reatum ad unitatem fidei catholicae venire desiderant, in episcoporum potestate consistat cum eos viderint dignam poenitentiam agere, quando vel qualiter communioni pristinae reformentur.

IX. *Quae ab episcopo contra canones alienata sunt revocari debent; liberi tamen manent servi ecclesiae quos manumisit.*

Ut episcopus, qui de facultate propria ecclesiae nihil relinquit, de ecclesiae facultate si quid aliter quam canones eloquuntur obligaverit, vendiderit aut distraxerit, ad ecclesiam [2]) revocetur. Sane si de servis ecclesiae libertos fecerit numero competenti, in ingenuitate permaneant, ita ut ab officio ecclesiae non recedant.

X. *De digamis ad diaconatum aut presbyterium promotis.*

Si quis episcoporum sciens aut bigamum aut internuptae maritum ad officium leviticae dignitatis sive presbyterii contra jus canonum promovere praesumpserit, noverit se unius anni spatio ab omni officio sacerdotii esse suspensum: qui si forte sententiae subjacere contempserit, a communione ejus usque in magnam [3]) synodum se fraternitas universa suspendat; illi vero qui illicite promoti sunt regradentur.

XI. *Monasteriis aut parochiis collata sibi abbates et presbyteri non vindicent nec alienent sine episcopi consensu.*

Si quid abbatibus aut sacris monasteriis aut parochiis pro dei fuerit contemplatione collatum, in sua proprietate hoc abbates vel presbyteri minime revocabunt, nec alienare quod cunctis fratribus debetur quacumque occasione praesumant [4]): quibus si fuerit necessarium ut statuta convellant, non aliter valeat, nisi fuerit episcopi sui subscriptione firmatum.

XII. *Ut episcoporum lites intra anni spatium finiantur.*

Si inter episcopos de rebus terrenis aut possessionibus sub repetitionis aut retentationis titulo nascatur contentio [5]), intra anni spatium pro studio caritatis, quae cunctis debet rebus temporalibus anteferri, per epistolas fratrum affectuose commoniti [6]), aut inter se aut in praesentia electorum judicum negotium sanare festinent: quod si distulerint, donec ipsa causatio abrogetur a caritate fratrum qui distulerit habeatur extraneus, quia injustum est ut qui cunctis praesunt inter se quacumque causatione dissentiant.

---

1) *discretio* codex Pithoeanus a Sirmondo citatus. — 2) *ab ecclesia* mss. Pariss. qui a Benedictinis collati sunt. — 3) *aliam* mss. Bened. — 4) *nec alienari a cunctis fratribus debet quacumque occasione* mss. Bened. 5) *intentio* Reg. D, a, Jes. B. — 6) *admoniti* Reg. D, Jes. B. —

XIII. *Ut clerici publicis actionibus et tutelis non applicentur.*

Si quis judicum clericos de quolibet corpore venientes atque altario mancipatos vel quorum nomina in matricula ecclesiae teneantur inscripta, publicis actionibus applicare praesumpserit, si a sacerdote commonitus emendare noluerit, cognoscat se pacem ecclesiae non habere. Similiter et a tutelae [1]) administratione pontifices, presbyteros atque diaconos ideo excusatos esse decrevimus, quia quod lex saeculi etiam paganis sacerdotibus et ministris ante praestiterat, justum est ut erga Christianos specialiter conservetur.

XIV. *Ut quae quis ecclesiae reliquerit haeredes non auferant.*

Quaecumque ecclesiis aut pontificibus [2]), sub competenti ac justo documento fuerint derelicta, ab haeredibus legitimis dignum est, ut dei contemplatione serventur.

XV. *De iis qui post baptismum immolatis utuntur.*

Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata daemonibus sumenda tanquam ad vomitum revertitur, si commonitus a sacerdotibus ex hac praevaricatione se noluerit revocare [3]), a communione catholica pro emendatione sacrilegii suspendatur.

XVI. *De Christianis qui gentilium more jurant ad capita animalium.*

Si quis Christianus ut est gentilium consuetudo ad caput cujuscumque ferae vel pecudis, invocatis insuper nominibus paganorum, fortasse juraverit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet a consortio fidelium vel ecclesiae communione pellatur.

XVII. *Ut sacerdotes et diaconi cum uxoribus communem lectum aut cellulam non habeant.*

Ut sacerdotes sive diaconi cum conjugibus suis non habeant communem lectum et cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur: quod qui fecerint, juxta priscos canones ab officio regradentur.

XVIII. *Ut clerici non alienent quae ab ecclesia ad utendum accipiunt.*

Quicumque clericus aliquid de jure ecclesiastico seu verbo seu per scripturam acceperit ad utendum, et postmodum hoc alienare quacumque ratione praesumpserit, non valebit, quia secundum canonum statuta proprietatem ecclesiae non violat in alios quamvis longa possessio; sed in pontificis potestate consistat, qualiter pro conservando jure ecclesiastico rem possessam inter clericos debeat communicare [4]).

XIX. *Quod ecclesiae collatum est nec a collatore nec ab ipsius haeredibus repeti debet.*

Quicumque pro devotione sua oblationis studio aliquid in

---

1) *et ab ulla* Reg. D. — 2) *ecclesiis a pontificibus* Reg. D, a. — 3) *se corrigere ex hac praevaricatione noluerint* mss. Bened. — 4) *commutare* duo codices a Sirm. citati. —

campellis vel in vineolis etiam absque scriptura probatur ecclesiae contulisse, si postmodum vel ipse vel haeredes ejus quacumque occasione auferre a jure hoc ecclesiae vel alienare voluerint, quoadusque a tali intentione discedant aut pervasa restituant a communione ecclesiastica suspendantur.

XX. *Causae clericorum apud quos discuti debeant.*

Ut nullus saecularium personarum praetermisso pontifice seu praeposito ecclesiae quemquam clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat vel damnare; sed et clericus, si pro causa ad petitionem cujuscumque fuerit ab ecclesiastico ordinatore [1]) commonitus, se ad audientiam spondeat adfuturum, et respondere nulla calliditate dissimulet, sed quaecumque causatio quoties inter clericum et saecularem vertitur absque presbytero aut archidiacono, vel si quis esse praepositus ecclesiae dignoscitur, judex publicus audire negotium non praesumat. Sane si causam habentibus placuerit ire ad judicium fori ex voluntate communi, permittente praeposito ecclesiae, clerico licentia tribuatur.

XXI. *Ut qui ad ecclesiam confugerit a nullo abstrahatur.*

Si quis necessitatis impulsu ad ecclesiae septa confugerit, et sacerdote vel praeposito ecclesiae praetermisso atque contempto eum quisque de locis sacris vel atriis seu vi seu dolo abstrahere aut sollicitare fortasse praesumpserit, ut inimicus ecclesiae ab ejus liminibus arceatur, quousque juxta pontificis districtionem digna per indictam poenitentiam emendatio subsequatur, eo tamen qui abstractus est prius ecclesiae restituto.

XXII. *Ut nullus invitis parentibus filiam sibi jungat alienam.*

Ut nullus per imperium potestatis filiam competere audeat alienam, ne conjugium quod contra parentum voluntatem impie copulatur velut captivitas judicetur, sed sicut est prohibitum non admittatur; si qui perpetraverint, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur.

XXIII. *Ut servi ecclesiae praedas non exerceant.*

Ut servis ecclesiae vel sacerdotum praedas et captivitates exercere non liceat, quia iniquum est ut quorum domini redemptionis praestare solent suffragium, per servorum excessum disciplina ecclesiastica maculetur.

XXIV. *De mancipiis spe conjugii ad ecclesiam confugientibus.*

Quaecumque mancipia sub specie conjugii ad ecclesiae septa confugerint, ut per hoc credant posse fieri conjugium, minime iis licentia tribuatur nec talis conjunctio a clericis defensetur, quia probatum est ut sine legitima traditione conjuncti pro religionis ordine statuto tempore ab ecclesiae communione suspendantur, ne in sacris locis turpi concubitu misceantur: de qua re decernimus, ut parentibus aut propriis

---

1) *ordine* mss. Bened.

dominis, prout ratio poscit personarum, accepta fide excusati sub separationis promissione reddantur, postmodum tamen parentibus atque dominis libertate concessa, si eos voluerint propria voluntate conjungere.

XXV. *Ut nullus res ecclesiae contempto pontifice petere aut occupare praesumat.*

Si quis clericus aut laicus [1]) sub potentum nomine atque patrocinio res ad jus ecclesiae pertinentes contempto pontifice petere seu possidere praesumpserit, primum admoneatur quae abstulit civiliter reformare, aut certe judicium sacerdotis sui opperiri, ut poscit sacra religio: quod si in pervasionis pertinacitate subsistit, tam diu ab ecclesiae liminibus arceatur, donec cum satisfactione justissima pervasa aut occupata restituat.

XXVI. *De clericis qui in potentum domibus parochias observant, ut a dominis ab officio non prohibeantur.*

Si quae parochiae in potentum domibus constitutae sunt, ubi observantes clerici ab archidiacono civitatis admoniti secundum qualitatem ordinis sui fortasse quod ecclesiae debent sub specie domini domus implere neglexerint, corrigantur secundum ecclesiasticam disciplinam; et si ab agentibus potentum vel ab ipsis rei dominis de agendo officio ecclesiae in aliquo prohibentur, auctores nequitiae a sacris ceremoniis arceantur, donec subsecuta emendatione in pace ecclesiastica revocentur.

XXVII. *De incestis conjunctionibus.*

De incestis conjunctionibus id statuimus observandum, ut si quis post synodi Aurelianensis [2]) ante hoc triennium constituta illicita tori jura praesumpserit, circa eum secundum statuta Epaonensium canonum [3]) a sacerdotibus ecclesiae severitas teneatur.

XXVIII. *Ut homicidae, tametsi illis crimen indulgeatur, poenitentiae subjaceant.*

Quisquis homicidium voluntate commiserit ita ut occidere audeat innocentem, si a principibus aut a parentibus quacumque re se redidérit absolutum, pro modo poenitentiae distringendus in sacerdotis potestate consistat.

XXIX. *Ut mulieres cum clericis in adulterio deprehensae ab episcopo distringantur.*

Si quae mulieres fuerint in adulterio cum clericis deprehensae, clericis districtione adhibita mulieres ipsae prout sacerdoti visum fuerit districtioni subjaceant, et a civitatibus ut sacerdos praeceperit repellantur.

XXX. *De mancipiis Christianis apud Judaeos.*

Cum prioribus canonibus [4]) jam fuerit definitum, ut de mancipiis Christianis quae apud Judaeos sunt, si ad ecclesiam

---

1) *aut laicus* deest in Jes. B. — 2) Conc. Aurel. III. c. 10. — 3) Conc. Epaon. c. 30. — 4) cf. Conc. Aurel. III. c. 13. —

confugerint et redimi se postulaverint, etiam ad quoscumque Christianos refugerint et servire Judaeis noluerint, taxato et oblato a fidelibus justo pretio ab eorum dominio liberentur, ideo statuimus ut tam justa constitutio ab omnibus catholicis conservetur.

XXXI. *Ut nulli Judaeo liceat advenam aut de Christianis natum circumcidere vel sibi ancillam Christianam sociare.*

Hoc etiam decernimus observandum, ut quicumque Judaeus proselytum qui advena dicitur Judaeum facere praesumpserit, aut Christianum factum ad Judaicam superstitionem adducere, vel si Judaeus Christianam ancillam suam sibi crediderit sociandam, vel si de parentibus Christianis natum Judaeum sub promissione fecerit libertatis, mancipiorum amissione mulctetur. Ille vero qui de Christianis natus Judaeus factus est, si sub conditione fuerit manumissus ut in ritu Judaico permanens habeat libertatem, talis conditio non valebit, quia injustum est, ut ei libertas maneat qui de Christianis parentibus veniens Judaicis vult cultibus adhaerere.

XXXII. *De his qui e genere servili descendunt.*

De genere servili id decrevimus observandum, ut descendens inde posteritas ubicumque, quamvis post longa spatia temporum, reperiatur in loco cui auctores ejus constat fuisse deputatos [1]), revocata studio sacerdotis, in ea quae constituta est a defunctis [2]) conditione permaneat: cui praecepto si quis saecularium humanae cupiditatis impulsu crediderit obviandum, quousque se corrigat ab ecclesia suspendatur.

XXXIII. *Ut oratorium in agro non fiat nisi dotetur et clerici ei deputentur.*

Si quis in agro suo aut habet aut postulat habere dioecesim, primum et terras ei deputet sufficienter et clericos qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur.

XXXIV. *Ut nullus si quid in usufructu accepit ab episcopo quod ibi profecerit alienet.*

Quisquis agellum ecclesiae in diem vitae suae pro quacumque misericordia a sacerdote cui potestas est acceperit possidendum, quaecumque ibi profecerit alienandi nullam habeat potestatem, nec sibi parentes sui ex ea re aliquid existiment vindicandum.

XXXV. *In potestate sit successoris an defuncti episcopi rejicere debeat voluntatem.*

De substituendo antistite si fortasse mora extiterit, et voluntas decessoris ante fuerit reserata quam successor accedat ecclesiae, non impediat successorem. Si quispiam clericorum aliquid de facultate illa praesumpserit, in potestate sit

---

1) *depositos* mss. Bened. et Bellovacensis ap. Sirm. — 2) *devotis* Reg. D, a. —

advenientis episcopi utrum audire an rejicere decessoris sui debeat voluntatem, nec ecclesiae in objecto veniant tempora legibus constituta, dum non extitit persona quae de utilitate ecclesiae attentius cogitaret.

XXXVI. *Quae alterius ecclesiae clerico donata sunt, post ejus obitum ad jus ecclesiae revertantur.*

Si quis episcopus alterius ecclesiae clerico de facultatibus suae ecclesiae aliquid sub titulo quocumque donaverit, post ejus obitum qui acceperit ad ecclesiae jus, de cujus facultate discesserat, revertatur, quia iniquum est ut sub hac specie damnum ecclesia quae multis subvenit patiatur.

XXXVII. *Ut synodus singulis annis a metropolitano convocetur.*

Placuit praeterea, ut cuncti metropolitani de comprovincialibus suis in provincia sua annis singulis synodum debeant congregare, ut dum in unum se fraternitas jungit, semper et censura teneatur et caritas.

XXXVIII. *Ut quae statuta sunt observentur.*

Quapropter auxiliante domino quae synodus sancta constituit decernimus, ut a cunctis fratribus haec definitio sancta conservetur: quod si quis quae salubriter perspicit instituta indecenter transgredi quacumque occasione tentaverit, noverit se deo et cunctae fraternitati culpabilem esse futurum, quia justum est ut per unitatem antistitum et ecclesiastica fulgeat disciplina, et inconvulsa maneat constitutio sacerdotum.

CONCILIUM AURELIANENSE QUINTUM [1].

Ad divinam gratiam referendum est, quando vota principum concordant animis sacerdotum, ut dum fit pontificale concilium, normam vivendi teneat recapitulatio antiqua canonum, vel ut locus tempusque est in quibuscumque titulis veteribus adhaerens nova constitutio sanctionum. Igitur cum clementissimus princeps, triumphorum titulis invictissimus domnus Childebertus rex pro amore sacrae fidei et statu [2]) religionis in Aurelianensi urbe congregasset in unum domini sacerdotes, cupiens ex ore patrum audire quod sacrum est, ut quod pro ecclesiastico ordine auctoritate promeretur [3]) pastorali, et venientibus

---

1) Collatum ad mss. codd. Reg. A, B, D, a, Jes. a, B, C. — Deest hoc concilium in C. H. cf. not. ad Conc. Arvern. II. — Contulit Mansi cum codice Vaticano 575. — 2) *studio* Reg. D, a, Jes. B. — 3) *promitur* Jes. A, *promoveretur* Reg. D. —

sit norma et praesentibus disciplina, quae conveniat a praesenti tempore in posterum custodiri, praestante deo signanter est titulis praenotatum [1]).

I. *Dogmata Eutychetis vel Nestorii damnanda.*

Primo itaque nefariam sectam quam auctor male sibi conscius et a vivo sanctae fidei catholicae fonte discedens sacrilegus quondam condidit Eutyches, vel si qua quae [2]) a venefico similiter impio sunt prolata Nestorio, quas etiam sectas sedes apostolica sancta condemnat, similiter et nos easdem cum suis auctoribus et sectatoribus [3]) execrantes praesentis constitutionis vigore anathematizamus atque damnamus, rectum atque [4]) apostolicum in Christi nomine fidei ordinem praedicantes.

II. *Neminem a sacerdote pro levibus causis excommunicandum.*

Ut nullus sacerdotum quemquam rectae fidei hominem pro parvis et levibus causis a communione suspendat, praeter eas culpas pro quibus antiqui patres ab ecclesia arceri jusserunt committentes.

III. *De extranearum mulierum aut etiam propinquarum familiaritate.*

Ut nullus episcopus, presbyter aut diaconus extranearum mulierum intra domum praesumat habere solatium, quibus etiam pro utilitate sua aliqua familiarius regenda committat [5]): quod etiam et de propinquis foeminis horis indecentibus similiter prohibemus, ne sub concessa sibi licentia parentali ab earum sequipedis [6]) memoratorum vita vel opinio polluatur. Quod si episcopus nunc vetita uti [7]) sub quadam praesumptione voluerit, anno uno a metropolitano vel [8]) a comprovincialibus suis ab officio [9]) suspendatur; clerici vero a propriis episcopis modo qui supra scriptus est corrigantur.

IV. *Si clericus post acceptam benedictionem incontinens invenitur, deponatur.*

Si quis clericus post acceptam [10]) benedictionem cujuslibet loci vel ordinis ad conjugalem torum jam sibi illicitum denuo redire praesumpserit, usque in diem vitae [11]) ab honore accepti ordinis et, sicut habent antiquorum [12]) patrum canones, ab officio deponatur, ei tantummodo communione concessa.

V. *Nullus clericum alienum recipere vel promovere sine epistola pontificis sui praesumat.*

Ut nullus clericum seu lectorem alienum sine sui cessione pontificis vel promovere vel sibi quibuslibet conditionibus au-

---

1) *renovatum* Vatican. 575. — 2) *quae* deest ap. Mansi. — 3) *et sectatoribus* deest in Reg. A. — 4) *rectum atque* deest in Reg. D, a, Jes. B. — 5) *cui etiam pro util. sua aliquam familiarius regendam committit* Vatican. — 6) *pedissequis* Vatican. — 7) *sibi* add. Vatic. 8) *Quod si episcopus non velet* omissis ceteris Reg. A. — 9) *ab officio* deest in Vatic. — 10) *actam* Vatic. — 11) *suae* add. Vatic. — 12) *antiqui* Jes. A, Reg. B, et Vatic. —

deat vindicare: quod si quis hanc constitutionem fuerit quacumque praesumptione transgressus, memoratae personae ab eo cui sunt debitae seu ecclesiastico jure seu proprio revocatae, quia illicita vagatione [1]) discesserant, ab honore vel officio suscepto juxta arbitrium sui pontificis suspendantur; episcopus vero qui ordinaverit sex mensibus missas tantum [2]) facere non praesumat.

VI. *Servum alienum clericum non ordinandum.*

Ut servum qui libertatem a dominis propriis non acceperit aut etiam jam libertum nullus episcoporum absque ejus tantum voluntate, cujus aut servus est aut eum absolvisse dignoscitur, clericum audeat ordinare: quod si quisquam fecerit, is qui ordinatus est a domino revocetur, et ille qui est [3]) collator ordinis, si sciens fecisse probatur, sex mensibus missas tantum [2]) facere non praesumat. Si vero saecularium servus esse convincitur [4]), ei qui ordinatus est benedictione servata, honestum ordini [5]) domino suo impendat obsequium. Quod si saecularis dominus amplius non voluerit inclinare, ut sacro ordini inferre videatur injuriam, duos servos, sicut antiqui canones habent, episcopus qui eum ordinavit domino saeculari restituat, et episcopus eum quem ordinavit ad ecclesiam suam revocandi habeat potestatem.

VII. *De manumissis in ecclesia.*

Et quia plurimorum suggestione comperimus, eos qui in ecclesiis juxta patrioticam [6]) consuetudinem a servitio fuerint absoluti pro libito quorumcumque iterum ad servitium revocari, impium esse tractavimus ut quod in ecclesia dei consideratione a vinculo servitutis absolvitur irritum habeatur. Ideo pietatis causa communi consilio placuit observandum, ut quaecumque mancipia ab ingenuis dominis servitute laxantur, in ea libertate maneant quam tunc [7]) a dominis perceperunt. Hujusmodi quoque libertas si a quocumque pulsata fuerit, cum justitia ab ecclesiis defendatur; praeter eas culpas, pro quibus leges collatas servis revocare jusserunt libertates.

VIII. *Pontifice mortuo nullus in civitate aut per parochias ordinare clericos aut altaria audeat consecrare vel quidquam auferre.*

Ut in civitate, ubi pontifex jure humanae conditionis obierit, nullus episcopus ante substitutionem [8]) reparati per ordinem successoris aut in civitate aut per parochias ordinare clericos aut altaria audeat consecrare, vel quidquam de rebus ecclesiae praeter humanitatem praesumat auferre: quod si quisquam temerario ausu statuta transcenderit, conventus ab instituto pontifice, verecundiae suae consulens sine dilatione ablata re-

---

1) *vocatione* Vatic. — 2) *sex menses tantum missas* Vatic. et sic infra can. 6. — *tantum* deest in Reg. B. — 3) *qui est* om. in Reg. D, a. 4) *cognoscitur* Reg. D, a. — 5) *honestum ordine* Jes. B, *honesto ordini* Jes. E. — 6) Deest haec vox in Reg. D; *parrochianam* Vatic. — 7) *nunc* Vatic. — 8) *sub institutione* Reg. a. —

stituat; si vero suae voluntatis arbitrio vel quorumcumque precibus actus quamcumque personam promovere aut contra interdictum ire praesumpserit, anno integro missas tantum facere non praesumat.

IX. *Nullus ex laicis ante annuam conversionem episcopus ordinetur.*

Nullus ex laicis absque anni [1]) conversione praemissa episcopus ordinetur, ita ut intra anni ipsius spatium a doctis et probatis viris disciplinis et regulis spiritualibus plenius instruatur: quod si hoc quisquam episcoporum transcendere quacumque conditione [2]) praesumpserit, anno integro ab officio vel caritate fratrum habeatur extraneus.

X. *Nulli episcopatum pretio liceat comparare.*

Ut nulli episcopatum praemiis aut comparatione liceat adipisci, sed cum voluntate regis juxta electionem cleri ac plebis [3]), sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum [4]), a metropolitano vel quem in vice sua praemiserit cum comprovincialibus pontifex consecretur. Quod si quis hanc regulam [5]) hujus sanctae constitutionis per coemptionem [6]) excesserit, eum qui per praemia ordinatus fuerit statuimus removendum.

XI. *Nullus invitis ordinetur episcopus.*

Item, sicut antiqui canones decreverunt, nullus invitis detur episcopus, sed nec per oppressionem [7]) potentium personarum ad consensum faciendum cives aut clerici, quod dici nefas est, inclinentur: quod si factum fuerit, ipse episcopus qui magis per violentiam quam per decretum legitimum ordinatur, ab indepto pontificatus honore in perpetuum deponatur.

XII. *Nulli viventi episcopo praeter culpabilem alius superordinetur.*

Nulli viventi episcopo alius superponatur aut superordinetur episcopus, nisi forsitan in ejus locum quem capitalis culpa dejecerit.

XIII. *Qui facultates ecclesiae delegatas subtraxerit excommunicetur.*

Ne cui liceat res vel facultates ecclesiis aut monasteriis vel xenodochiis pro quacumque eleemosyna cum justitia [8]) delegatas retentare, alienare, atque subtrahere: quod quisquis fecerit, tanquam necator pauperum antiquorum canonum sententiis constrictus, ab ecclesiae liminibus excludatur quamdiu ab ipso ea quae sunt ablata vel retenta reddantur.

---

1) *annua* Jes. B, Reg. D, a. — 2) *occasione* Jes. A. — 3) Desunt haec (*cum voluntate regis* sqq.) in Reg. A, Jes. C, nec non in Bellovac. et Tiliano a Sirmondo citatis, et in Vatic. — 4) *consensu cleri et plebis* add. Reg. A, D, a, Jes. B. — 5) *vel praeceptionem* add. Jes. A. — 6) *per coemptionem* deest in Jes. A. — 7) Desunt haec (*nullus invitis* sqq.) in Jes. B; *nullus episcopus per oppressionem* Jes. C. 8) *cum justitia* desunt in Reg. A. —

XIV. *Nullus ecclesiae alterius regni vel loci res petat aut praesumat accipere.*

Ut nullus episcoporum aut cujuslibet ordinis clericus vel alia quaecumque persona quibuslibet conditionibus seu in uno alio positus alterius cujuscumque ecclesiae res aut petat aut praesumat accipere: quod si fecerit, tamdiu habeatur a communione altaris vel omnium fratrum ac filiorum caritate suspensus, donec ipsi ecclesiae, cujus directo ordine juris [1]) est, ablata restituat [2]).

XV. *De xenodochio quod Childebertus rex cum regina conjuge sua Lugduni condidit.*

De xenodochio vero, quod piissimus rex Childebertus vel jugalis sua Ultrogotho regina in Lugdunensi urbe inspirante domino condiderunt, cujus institutionis ordinem vel expensae rationem petentibus ipsis manuum nostrarum subscriptione firmavimus, visum est pro dei contemplatione junctis nobis in unum permansura auctoritate decernere, ut quidquid praefato xenodochio aut per supradictorum regum oblationem aut per quorumcumque fidelium eleemosynam collatum aut conferendum est in quibuscumque rebus atque corporibus, nihil exinde ad se quolibet tempore antistes ecclesiae Lugdunensis revocet aut ad jus ecclesiae transferat, ut succedentes sibi per temporum ordinem sacerdotes non solum aut de facultate xenodochii ipsius aut de consuetudine vel institutione nihil minuant, sed dent operam qualiter rei ipsius stabilitas in nullam partem detrimentum aut diminutionem aliquam patiatur: providentes intuitu retributionis aeternae, ut praepositi semper strenui ac deum timentes decentibus substituantur, et cura aegrotantium ac numerus vel exceptio peregrinorum secundum indictam institutionem inviolabili semper stabilitate permaneat. Quod si quis quolibet tempore, cujuslibet potestatis vel ordinis persona, contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii ipsius abstulerit ut xenodochium, quod avertat deus, esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

XVI. *Qui a se vel ab aliis ecclesiae oblata auferre praesumpserit.*

Quisquis etiam aut majorum aut mediocrium personarum quodcumque muneris vel facultatis sacerdotibus aut ecclesiis aut quibuslibet locis sanctis studio mercedis cum justitia [3]) pro dei contemplatione contulerit, aut ea quae a parentibus donata noscuntur postmodum auferre praesumpserit, superiori sententia ut necator pauperum communione privetur.

XVII. *Ecclesiae causae qualiter et per quos finiantur.*

Placuit etiam, ut si quaecumque persona contra episco-

1) *res* Jes. B. — 2) *restituatur* Jes. B. — 3) *cum justitia* deest in Reg. A. —

pum vel actores ecclesiae se proprium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis studio, ut familiari aditione commonitus sanare ea debeat quae in querimoniam deducuntur: quam rem si differre voluerit, tunc demum ad metropolitani audientiam veniatur. De qua re cum literas suas metropolitanus ad comprovincialem episcopum dederit, et causa ipsa inter utrosque quacumque transactione amicis mediis non fuerit definita, ut ipsi metropolitano necessarium sit in eodem negotio iterare rescriptum, et secundo admonitus sanare mittere aut venire distulerit, tamdiu a caritate metropolitani sui noverit se esse suspensum, donec ad praesentiam ejus veniens, causae ipsius de qua petitur reddiderit rationem. Quod si patuerit episcopum ipsum contra justitiam fatigatum, is qui eum injusta interpellatione pulsavit, anni spatio a communione ecclesiastica suspendatur; si vero metropolitanus a quocumque comprovinciali episcopo bis fuerit in causa propria appellatus et eum audire distulerit, ad proximam synodum quae constituetur negotium suum in concilio habeat licentiam exerendi [1]), et quidquid pro justitia a comprovincialibus suis statutum fuerit studeat observare.

XVIII. *Vocati comprovinciales a metropolitano ad concilium venire teneantur nec sine commeatu a concilio discedant.*

Id etiam huic decreto credidimus inserendum, ut si quis de comprovincialibus episcopis a metropolitano suo ad concilium intra suam provinciam fuerit evocatus, et praeter evidentem infirmitatem ad concilium venire distulerit, atque de synodali conventu antequam cuncta conveniant sine commeatu concilii ipsius discedere fortasse praesumpserit, sicut est praecedentibus regulis statutum sex mensibus a missarum officio suspendatur. Quod si concilium faciendum quaecumque necessitas illata distulerit, a metropolitano suo veniam postulans ad missarum faciendarum gratiam revocetur.

XIX. *De oblatione puellarum in monasteriis.*

Quaecumque etiam puellae seu propria voluntate monasterium expetunt seu a parentibus offeruntur, annum in ipsa qua intraverint veste permaneant; in his vero monasteriis, ubi non perpetuo tenentur inclusae, triennium in ea qua intraverint veste permaneant, et postmodum secundum statuta monasterii ipsius in quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant. Quae si deinceps sacra relinquentes loca propositum sanctum saeculi ambitione transcenderint, vel illae quae in domibus propriis tam puellae quam viduae commutatis vestibus convertuntur, cum his quibus conjugio copulantur ecclesiae communione priventur. Sane si culpam sequestratione sanaverint, ad communionis gratiam revocentur.

---

1) *exercendi* Reg. D, Jes. A. —

XX. *Ut incarcerati diebus dominicis ab ecclesiae praepositis visitentur.*

Id etiam miserationis intuitu aequum duximus custodiri, ut qui pro quibuscumque culpis in carceribus deputantur, ab archidiacono seu a proposito ecclesiae singulis diebus dominicis requirantur, ut necessitas vinctorum secundum praeceptum divinum misericorditer sublevetur; atque a pontifice, instituta fideli et diligenti [1]) persona quae necessaria provideat, competens [2]) iis victus de domo [3]) ecclesiae tribuatur.

XXI. *De sustentandis leprosis.*

Et licet propitio deo omnium domini sacerdotum vel quorumcumque haec cura possit esse fidelium, ut egentibus necessaria debeant ministrare [4]), specialiter tamen de leprosis id pietatis causa convenit, ut unusquisque episcoporum, quos [5]) incolas hanc infirmitatem incurrisse tam territorii sui quam civitatis agnoverit, de domo ecclesiae juxta possibilitatem victui et vestitui necessaria subministret, ut non iis desit misericordiae cura quos per duram infirmitatem intolerabilis constringit inopia.

XXII. *De servis qui ad ecclesiam pro culpa confugiunt.*

De servis vero [6]) qui pro qualibet culpa ad ecclesiae septa confugerint, id statuimus observandum, ut sicut in antiquis constitutionibus tenetur scriptum, pro concessa culpa datis a domino sacramentis, quisquis ille fuerit egrediatur de venia jam securus; enimvero si immemor fidei dominus transcendisse convincitur quod juravit, ut is qui veniam acceperat probetur postmodum pro ea culpa qualicumque supplicio cruciatus [7]), dominus ille qui immemor fuit datae fidei sit ab omnium communione suspensus. Iterum si servus de promissione veniae [8]) datis sacramentis a domino jam securus exire noluerit, ne sub tali contumacia requirens locum fugae domino fortasse dispereat [9]), egredi nolentem a domino eum liceat occupari, ut nullam quasi pro retentatione servi quibuslibet modis molestiam aut calumniam patiatur ecclesia; fidem tamen dominus quam pro concessa venia dedit nulla temeritate transcendat. Quod si aut gentilis dominus fuerit aut alterius sectae qui a conventu ecclesiae probatur extraneus, is qui servum repetit personas requirat bonae fidei Christianas, ut ipsi in persona domini servo praebeant sacramenta, quia ipsi possunt servare quod sacrum est, qui pro transgressione ecclesiasticam [10]) metuunt disciplinam.

XXIII. *Ut synodus provinciae quotannis a metropolitano indicatur.*

His itaque deo propitio constitutis, quod praecipue in

---

[1]) *fidelis et diligens* Reg. B, Jes. A. — [2]) *et competens* iidem. — [3]) *dono* Reg. D. — [4]) *ministrari* Reg. D. — [5]) *quoscumque* Jes. A, Reg. B. — [6]) *servis et ancillis* Jes. B. — [7]) *judicatus* Jes. A. — [8]) *servus pro venia* Jes. B, Reg. D. — [9]) *depereat* Reg. D. — [10]) *post transgressionem ecclesiae* Reg. A, a. —

omnibus patrum conciliis habetur scriptum congrua definitione sancimus, ut intra anni circulum unusquisque metropolitanus episcopus junctis in unum locum comprovincialibus suis intra provinciam suam studeat habere concilium, ut aut si qua accesserint caritatis emendentur studio, aut si pax regulis vel disciplina in cunctis deo adjuvante permanserit, auctore bonorum omnium deo de caritate et praesentia gratulentur.

XXIV. *De observatione praeteritorum canonum.*

Haec ergo deo propitio constanter et unanimiter definita servantes etiam praeteritorum statuta canonum decernimus ut Christo auctore deinceps inconvulsa universa serventur, ut manente concordia, quae divina inspiratione salubriter in praesenti tempore definita sunt, amodo et habeant vigorem et custodiant caritatem.

CONCILIUM ARVERNENSE SECUNDUM[1].

Ubi beatus Petrus divinitus inspiratus et confessione sua omnibus credentibus profuturus *Tu es Christus*, inquit, *filius dei vivi*, nec immerito beatus pronunciatur a domino; et a principali ad divinam gratiam referendum est, quando vota principum concordant animis sacerdotum: ut dum fit[2]) pontificale concilium, normam vivendi teneat recapitulatio[3]) antiqua canonum vel ut locus tempusque est in quibuscumque titulis veteribus adhaerens nova constitutio sanctionum. Igitur cum clementissimus princeps et invictissimus dominus[4]) Childebertus rex per amorem sacrae fidei et statum religionis in Aurelianensi urbe congregasset in unum domini sacerdotes cupiens ex ore patrum audire quod sacrum est, ut[5]) quod pro ecclesiastico ordine auctoritate promitur pastorali, et advenientibus[6]) sit norma et praesentibus disciplina, quae conveniat a prae-

---

[1]) Primo hoc concilium a Sirmondo vulgatum est ex veteri codice Tolosano, qui XVI. habet canones iisdem verbis eodemque ordine quo editi fuerant in Synodo Aurelianensi can. 1—15. 17. Aliud exemplar in ecclesia Urgelitana repertum edidit D. de Marca, quod breviaria decretorum tantum continet absque canonibus. Exstat quoque hoc concilium in codice regio (Paris.) 1460, qui 16 canones Aurelianenses mendose descriptos absque breviariis repraesentat. — In collectione canonum ecclesiae Hispanae deest concilium Aurelianense V., quae vero hoc Arvernense II. continet cum praefatione sequente et 22 canonibus concilii Aurelianensis V., omissis vigesimo secundo et vigesimo quarto.
[2]) *sit* C. Hisp. — [3]) *capitulatio* C. Hisp. praeter Æ. — [4]) Ita U., in ceteris C. H.: *princeps dominus triumphorum titulis invictissimus.* —
[5]) *ut* deest in C. H. — [6]) *venientibus* C. H. —

senti tempore in posterum custodiri [1]), praestante deo signanter est titulis renovatum [2]).

I [3]). Nefarias sectas sacrilegi Eutychetis et Nestorii, quas sancta sedes apostolica condemnat, nos quoque cum earum auctoribus et sectatoribus pariter anathematizamus.

II. Nullus quemquem pro parvis et levibus culpis a communione suspendat, praeter eas culpas pro quibus antiqui patres jusserunt.

III. Nullus episcopus vel presbyter aut diaconus extranearum mulierum intra domum habeat solatium. Similiter prohibemus ne sub concessa sibi licentia propinquarum, ab earum pedissequis earum vita vel opinio polluatur: quod si contigerit, episcopus anno uno a metropolitano vel a coëpiscopis officio suspendatur, clerici vero a propriis episcopis corrigantur.

IV. Ministri altaris si ad conjugalem torum denuo jam sibi illicitum redire praesumpserint, in ultimum vitae suae deponantur, communione tantum concessa.

V. Nullus clericum alienum, sine sui concessione pontificis, sibi vel vindicare aut promovère audeat: quod si evenerit, promotus juxta episcopi sui arbitrium ab officio suspendatur, qui vero eum promovit septem mensibus missam facere non praesumat.

VI. Nullus servum vel liberum absque domini voluntate clericum ordinet, alioquin is a domino revocetur, et qui eum scienter ordinaverit sex mensibus missas non faciat; si vero saecularium servus est, benedictione servata, honesto ordine domino suo serviat. Quod si eum in tantum inclinaverit ut sacro ordini videatur injuria, sicut antiqui canones habent, episcopus domino restituat et eum ad suam ecclesiam revocet.

VII. Quaecumque mancipia in ecclesiis a dominis suis libertatem perceperunt, libertas eorum ab ecclesiis cum justitia defendatur, praeter eas culpas quibus leges collatam libertatem revocant.

VIII. Episcopo in civitate viduata nullus consecrationem facere audeat nec in paroeciis, nec de rebus ecclesiae quidquam praeter humanitatem auferat: quod si fecerit, sive sponte, sive coactus precibus et timore, substituto episcopo satisfaciat, et anno integro missas non faciat.

IX. Nullus laicus ante annuam conversionem episcopus ordinetur, ita ut intra annum disciplinis et regulis spiritalibus instruatur; alioquin ordinator anno uno officio suo et caritate privetur.

X. Consensu cleri et plebis a metropolitano vel quem in vice sua permiserit comprovincialibus ordinetur episcopus; is vero qui praemio consecratus fuerit removeatur.

XI. Juxta antiquos canones nullus invitis ordinetur episcopus, sed nec oppressione potentum ad consensum cives

---

1) *conveniant* , .. *custodire* C. H. — 2) *signanter ex titulis* C. H. —
3) Breviaria ex editione Sirmondi. —

aut clerici inclinentur, quod nefas est: quod si fiat, episcopus violenter et non legitimo decreto promotus perpetuo deponatur.

XII. Nullus episcopus episcopo superponatur, nisi ei quem capitalis culpa dejecit.

XIII. Ne cui liceat res ecclesiae vel xenodochiorum alienare: quod si fecerit, tanquam necator pauperum juxta antiquos canones ab ecclesia excludatur donec satisfaciat.

XIV. Nullus clericus vel laicus alterius cujuscumque ecclesiae res vel petat aut accipiat: quod si fecerit altaris communione et omnium fratrum caritate privetur nisi satisfaciat.

XV. Qui sacerdotibus vel ecclesiis vel sanctis locis suas vel parentum donationes subtrahit, ut necator pauperum communione privetur.

XVI. Qui contra episcopum vel actorem ecclesiae habet negotium, prius ab eo caritatis studio satisfactionem petat: quam si episcopus distulerit, et literis a metropolitano secundo admonitus satisfacere vel ad metropolitanum venire noluerit, ab ejusdem caritate sit alienus donec veniat et rationem reddat: quod si putaverit episcopum injuste fatigari, pulsantem anno uno a communione ecclesiae privet. Si vero metropolitanus a coëpiscopo bis in sua causa fuerit interpellatus et eum non audierit, in proxima synodo a coëpiscopis causa audiatur, et finiatur.

CONCILIUM ARELATENSE QUINTUM[1].

Hanc super omnia curam decet esse pontificis, ut de ecclesiabus deo juvante sibi commissis tanquam de propria quam regit cura sollicitudineque indesinenter invigilet, ut frequentius aggregatis episcopis statuta canonum saepius relegendo in eorum animis caritate interveniente commendent, et quod statutum est irreprehensibiliter debeat custodiri, et si quid forsitan statuendum causa suggesserit unanimiter observanda decernant. Itaque cum in Arelatensi urbe episcoporum fuisset synodus aggregata pro necessariis rebus, rationabile esse credidimus, antiquis canonibus non derogantes, pauca tamen pro eorum ordinatu deo adjutore subjungere: quibus hoc roboris magis esse credidimus, quod a plurimis caritate interveniente consentientibus prona voluntate firmatum est.

---

1) Collatum ad mss. codd. Reg. B, Jes. A. In Reg. A, E, et veteri collectione regia nonnulli tantum canones inserti sunt. Deest hoc cum omnibus quae sequuntur conciliis Gallicanis in codd. Hisp. —

I[1]. *Ut oblatae altaris ab episcopis provinciae ad formam Arelatensis ecclesiae offerantur.*

Ut oblatae quae in sancto offeruntur altario a comprovincialibus episcopis non aliter nisi ad formam Arelatensis offerantur ecclesiae: quod si aliter aliquis facere praesumpserit, tam diu sit a communione vel a caritate fratrum seclusus, quamdiu ipsum coetus synodalis receperit.

II. *Ut monasteria ei subsint episcopo in cujus territorio sita sunt.*

Ut monasteria vel monachorum disciplina ad eum pertineant episcopum in cujus sunt territorio constituta.

III. *Abbati longius a monasterio sine episcopi permissione vagari non licet.*

Ut abbatibus longius a monasterio vagari sine episcopi sui permissione non liceat: quod si fecerint, juxta antiquos canones ab episcopo suo regulariter corrigantur.

IV. *Ut presbyter diaconum vel subdiaconum deponere non praesumat.*

Ut presbyter diaconum vel subdiaconum de ordine deponere nescio episcopo suo non praesumat: quod si fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, et ille anno integro a communione privatus officium implere penitus non praesumat.

V. *Ut monasteria puellarum sub cura sint episcoporum et abbatissis nihil liceat contra regulam.*

Ut episcopi de puellarum monasteriis quae in sua civitate constituta sunt curam gerant, nec abbatissae ejus monasterii aliquid liceat contra regulam facere.

VI. *Ut clericis facultates quas ab episcopo in usum accipiunt deteriorare non liceat.*

Ut clericis non liceat facultates quas ab episcopo in usu accipiunt deteriorare: quod si fecerint, si junior fuerit, disciplina corrigatur, si vero senior, ut necator pauperum habeatur.

VII. *Ut episcopus alienum clericum sine episcopi sui epistola non ordinet.*

Ut episcopus alterius clericum in gradum sine epistola episcopi sui provehere non praesumat: quod si praesumpserit, ille qui ordinatus fuerit ab honore quem acceperit remotus, quod ei commissum est agere non praesumat, et is qui eum sciens ordinaverit tribus mensibus communione privetur.

---

1) Tituli canonum desunt in Reg. B. —

CONCILIUM PARISIENSE TERTIUM[1]).

Admonet pontifices temporum qualitas et improbae necessitatis praecavenda conditio, ut non solum rerum praesentium sed et futurorum quoque utilitas congrua provisione tractetur, quatenus quos custodiae ordinatio ac pro amore divino sollicitudinis cura constringit, et praevidisse sequentia et opportune iis vigilasse probentur. Et quia sibi sacerdotes in hoc maxime consulunt, si importunorum voluntatibus obviasse noscantur, conjuncti in unum Christo opitulante Parisius pro utilitatibus ecclesiarum, unde non leviter rationem sumus quandoque reddituri, in quantum divina pietas virtutem dare dignata est, tentavimus salubri consideratione prospicere, ne dum periculosa abusione ordinatio superna negligitur, in nobis aliorum crimina vindicentur.

I. *Nemo res ecclesiarum pervadat aut competat aut retineat.*

Itaque placita[2]) omnibus nobis convenit observare, ut quia nonnulli memores sui per quaslibet scripturas pro captu animi de facultatibus suis ecclesiis aliquid contulisse probantur; quod a diversis deum minus timentibus eatenus[3]) mortifera calliditate tenetur, ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam nec intueri corde possint diem judicii, dum nimiae cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui res ecclesiae ut supra diximus delegatas injuste possidens praesumpserit retinere, et veritate comperta res dei servis ejus[4]) dissimulaverit reformare, ab omnibus ecclesiis segregatus a sancta communione habeatur extraneus, nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum[5]) emendatione purgaverit. Indigne enim ad altare domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas et audet rapere et injuste possidere iniqua defensione perdurat; necatores enim pauperum judicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse provisio, ut vindictam admonitio manifesta praecedat ut res usurpatas injuste qui abstulit adhibita aequitate restituat: quod si neglexerit et necessitas compulerit, postea praedonem sacerdotalis districtio maturata percellat, neque quisquam per interregna res dei defensare nitatur, quia dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Quod si praesumpserit, et ipsius offensam et praedictae damnationis periculum sustinebit. Competitoribus etiam hujusmodi frenos districtionis imponimus, qui facultates ecclesiae sub specie largitatis regiae improba subreptione pervaserint; sera namque de his rebus poenitudine commovemur,

---

1) Collatum ad mss. codd. Reg. C, D, A, et veterem collectionem 3887, 12 A. — 2) Ita omnes mss., editi vero: *placuit ac.* — 3) *hactenus* Reg. C. — 4) *suis* Reg. C, D. — 5) Haec verba: *ab omnibus eccl. etc.* desunt in Reg. C. —

cum jam anteactis temporibus contra hujusmodi personas canonum suffulti praesidio se sacerdotes domini erigere debuissent, ne mansuetudo indulgentiae ad similia perpetranda improborum audaciam adhuc quotidie provocaret: sed nunc tarde injuriarum mole depressi damnis quoque dominicis compellentibus excitamur. Quod si is qui res dei competit, in aliis quam ubi res agitur maxime solet territoriis commorari, sacerdotem loci ipsius ubi habitat episcopus de hujusmodi pravitate contemptus de neglecta persona litéris mox reddat instructum. Tunc antistes ipsius [1]) fratris anxietate comperta aut pervasorem admonitione corrigat, aut canonica districtione condemnet. Accidit etiam, ut [2]) temporibus discordiae sub permissione [3]) bonae memoriae domni [4]) Clodovei regis res ecclesiarum aliqui competissent, ipsasque res improvisa morte collapsi propriis haeredibus reliquissent. Placet et hos quoque, nisi res dei admoniti a pontifice agnita veritate reddiderint, similiter a sanctae communionis participatione suspendi, quoniam res dei quae auctores eorum maturata morte credendae sunt peremisse, non debent filii ulterius possidere. Iniquum esse censemus, ut potius custodes chartarum, per quas aliquid ecclesiis a fidelibus personis legitur derelictum, quam defensores rerum creditarum, ut praeceptum est, judicemur.

II. *Nemo res episcopi proprias pervadere, competere aut confiscare praesumat.*

Et quia episcoporum res propriae ecclesiarum res esse noscuntur, si in eorum facultatibus simili fuerit crudelitate grassatum, pervasores rerum memoratarum canonum districtione feriet vindicta, dum corrigit [5]), ut qui non moribus propriis ac nulla conscientiae castigatione corripitur, saltem regulae obtundatur aculeis; perpetuo enim anathemate feriatur, qui res ecclesiae confiscare aut competere aut pervadere periculosa infestatione praesumpserit.

III. *Ne episcopus alterius episcopi res competat aut retineat.*

Et quia exempla boni operis a pontificibus debent primum Christo opitulante procedere, nullus episcopus res competat alienas, aut si competitas [6]) aut a se aut ab auctore suo forte quis possidet, domino proprietatis possessionem propriam absque praejudicio liberalitatis regiae integra reformatione restituat, ut quia deus dona reprobat iniquorum, non ad judicium suum ecclesiae res exteras [7]) derelinquat.

IV. *De illicitis et incestis conjunctionibus.*

Convenit etiam universis fratribus, ut non solum praesentium rerum actus, sed et animarum quoque debeant praeparare remedia; nullus ergo illicita conjugia contra praeceptum domini

---

1) *ipse* Reg. D, E. — 2) *quod* Reg. D. — 3) *supra permissionem* Reg. C, a. — 4) *domni* deest in Reg. D. — 5) *feriat* .·. *corrigat* Reg. D. — 6) *et assecutas* add. Regg. D, in quo desunt verba *aut a se aut*. — 7) *exteris* Reg. D. —

sortiri praesumat, id est fratris relictam nec novercam suam relictamque patrui vel sororem uxoris suae sibi audeat sociare, neque avunculi quoque relictae neque nurus suae vel materterae conjugio potiatur. Pari etiam conditione a conjugio amitae, privignae ac filiae privignae conjunctionibus praecipimus abstineri [1].

V. *Ne quis sacratas virgines aut religionem professas rapiat vel competat.*

Sacrarum etiam virginum neque per raptum neque per competitiones aliquas quisquam conjugia sortiatur. Similiter de earum erit conjunctionibus abstinendum (et hi qui eas rapere aut competere voluerint, a communione sunt removendi), quae vestium commutatione tam viduae quam puellae religionem, poenitentiam aut virginitatem publica fuerint declaratione professae. Quod si contra interdicta quis venerit et sacerdotem suum audire neglexerit, et in praesenti a communione catholicae ecclesiae habeatur extraneus et in perpetuum anathemate feriatur.

VI. *Nullus res alienas, nullus viduam vel filiam alterius competat aut rapiat.*

Et quia utilium rerum coepit causa tractari, hoc universitas praecavere quoque debet, tam sacerdotes quam principes omnisque populus, ut nullus res alienas competere a regis audeat potestate; nullus viduam neque filiam alterius extra voluntatem parentum aut rapere praesumat aut regis beneficio aestimet postulandam: quod si fecerit similiter ab ecclesiae communione semotus, anathematis damnatione plectatur.

VII. *Nemo excommunicatus ab aliis colligatur.*

Et quia universis sacerdotibus ita convenit, ut si quis de iis a communione ecclesiae pro contemptu canonum aut pervasione rerum ecclesiasticarum aliquem fortasse suspenderit, a nullo penitus episcopo recipi praesumatur. Quod si factum fuerit, is qui eum contra interdicta receperit, et a fratrum suorum erit concordia separatus et aeterni judicis in futurum ut confidimus iracundiam sustinebit.

VIII. *De ordinatione episcoporum.*

Et quia in aliquibus rebus consuetudo prisca negligitur ac decreta canonum violantur, placuit ut juxta antiquam consuetudinem canonum decreta serventur. Nullus civibus invitis ordinetur episcopus nisi quem populi et clericorum electio plenissima quaesierit voluntate: non principis imperio neque per quamlibet conditionem contra metropolis voluntatem vel episcoporum comprovincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regiam honoris istius culmen pervadere aliquis nimia temeritate praesumpserit, a comprovincialibus loci ipsius episcopus recipi nullatenus mereatur, quem indebite ordinatum agnoscunt. Si

---

1) *abstinere* Reg. a. —

quis de comprovincialibus recipere contra interdicta praesumpserit, sit a fratribus omnibus segregatus et ab ipsorum omnium caritate semotus. Nam de anteactis ordinationibus pontificum ita convenit, ut conjuncti metropolis[1]) cum suis comprovincialibus episcopis vel quos vicinos episcopos eligere voluerit, in loco ubi convenerit juxta antiqua statuta canonum omnia communi consilio et sententia decernantur.

IX. *De famulatu et ministerio servorum degenerum.*

De degeneribus servis qui sepulcris defunctorum pro qualitate ipsius ministerii deputantur hoc placuit observari, ut sub qua ab auctoribus fuerint conditione dimissi, sive haeredibus sive ecclesiis pro defensione fuerint deputati, voluntas defuncti circa eos in omnibus debeat observari. Quod si ecclesia eos de fisci functionibus in omni parte defenderit, ecclesiae tam illi quam posteri eorum defensione in omnibus potiantur et occursum impendant.

X. *Ut canones hi ab episcopis absentibus quibus oblati fuerint subscribantur.*

Et quia huic definitioni cuncti fratrum interesse minime potuerunt, hoc omnis congregatio sacerdotum Christo propitiante decrevit, ut constitutio praesens quantis oblata fuerit subscriptionibus eorum debeat roborari, quatenus in hoc quod universis observandum est universitas debeat consentire.

CONCILIUM LUGDUNENSE SECUNDUM[2]).

Cum in nomine domini in Lugdunensi urbe ad synodale concilium venissemus, tam pro renovandis sanctorum patrum institutis, quae praesentis temporis necessario fecit opportunitas iterari, quam his quae assurgentibus undecumque querelarum materiis recentis definitionis ordo poposcit institui, tractantes quid saluti populi utilius competeret, vel quid ecclesiasticus ordo observaret:

I. *De controversiis episcoporum per metropolitanos componendis.*

Primo in loco unitatem sacerdotum, quam et dominus diligit et scriptura commendat et concordia caritatis exposcit, convenit ab omnibus custodiri, ita ut in omni tractatu vel definitione uno spiritu, una sententia sacerdotum constantia per-

---

1) Ita Reg. C, a; *metropolitanus* Sirmond. et alii. — 2) Collatum ad veteres editiones, deest enim in mss. codd. regiis Pariss. Desunt canonum tituli in antiquis editionibus. —

severet; et si quid inter fratres, id est coëpiscopos nostros, contentionis ortum fuerit, si de una provincia sunt, metropolitani cum comprovincialibus suis judicio sint contenti; si vero diversae provinciae duo fuerint sacerdotes inter quos aliqua disceptatio oriatur, convenientibus in unum metropolitanis ipsorum, omnis eorum actio illorum judicio terminetur: ita ut si unus ex episcopis ab alio episcopo aut a quacumque persona inique fuerit aggravatus, communi fratrum studio cum dei solatio defensetur. Quod si quis se ab hac conditione quacumque calliditate subtraxerit, tribus mensibus se a caritate fratrum noverit esse sequestratum.

II. *Ut ratae sint donationes episcoporum et clericorum ecclesiae vel aliis factae.*

Secundo loco, quia multae tergiversationes infidelium ecclesiam quaerunt collatis privare donariis, id convenit inviolabiliter observari, ut testamenta quae episcopi, presbyteri seu inferioris ordinis clerici vel donationes aut quaecumque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid ecclesiae aut quibuscumque conferre videantur, omni stabilitate subsistant, id specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas aut necessitate aut simplicitate aliquid a legum saecularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere et in omnibus deo propitio custodiri. De quibus rebus si quis animae suae contemptor aliquid alienare praesumpserit, usque ad emendationis suae vel restitutionis rei ablatae tempus a consortio ecclesiastico vel omnium Christianorum convivio habeatur alienus.

III. *De iis qui aliquos per vim et nefas captivos tenent excommunicandis nisi restituant.*

Et quia peccatis facientibus multi in perniciem animae suae ita conati sunt aut conantur assurgere, ut animas longa temporis quiete sine ulla status sui competitione viventes, nunc improba proditione atque traditione aut captivaverint aut captivare conentur, si juxta praeceptum domini regis emendare distulerint, quousque hos quos abduxerunt in loco, in quo longum tempus quiete vixerint, restaurare debeant, ecclesiae communione priventur.

IV. *Ut ab uno episcopo excommunicatus ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur.*

Illud etiam quod sancti patres salubriter ordinarunt placuit iterari, ut si quicumque episcopus pro reatu aliquo quemquam a communione suspenderit, apud omnes sacerdotes eatenus a communione habeatur alienus, usquequo ejus judicio debeat recipi a quo meruerat pro reatu suo a caritate ecclesiae sequestrari.

V. *Ut quae ab episcopo alicui in usum aut proprietatem donata sunt ab ejus successoribus non auferantur.*

Et quia multa sunt ecclesiae membra, quae diverso genere pro vitae suae qualitate vel discretione sacerdotali aut oblectari

convenit aut distringi, illud censuimus statuendum, ut quascumque munificentias clericis aut servientibus sive de rebus ecclesiae in usum aut de propriis in proprietatem praecedentes dederint sacerdotes, subsequentes pontifices nullatenus auferre praesumant; si quid tamen culpae extiterit, pro qualitate personarum vel regula canonum praecedentium in persona habeatur, non in facultate districtio.

VI. *De litaniis prima Novembris hebdomada in omni ecclesia celebrandis.*

Placuit etiam universis fratribus, ut in prima hebdomada noni mensis, hoc est ante diem dominicam quae prima in ipso mense illuxerit, litaniae sicut ante ascensionem domini sancti patres fieri decreverunt, deinceps ab omnibus ecclesiis seu parochiis celebrentur.

CONCILIUM TURONICUM [1] SECUNDUM [2].

Ecclesiasticae disciplinae debet esse suffragium congregatio sacerdotum, nec aliud erit suae sollicitudinis tam peculiare conscribere, quam quod ad fundamentum religionis proficere [3] recognoverit operari non cesset, ut cum pastoralis cautela propagatur in ovilis custodia, paucorum veneranda decreta sint salutis publicae documenta. Et quoniam quod omitti non decet oportet implere, praesertim cum cujus [4] ad animarum intellectualium, de quibus deo cura est, forma processit, ejus traditionis lex ad pontifices manavit [5]: necesse est vigilantissime providere repulso torpore, ut quidquid ab antiquis patribus statutum de tramite canonico quarumdam personarum temeritate cernitur imminutum, revocandum est [6] in statum pristinum, ut possint male [7] admissa corrigi et non admittenda damnari. Magna est enim in ipsa severitate pietas, per quam tollitur peccandi facultas. Nam ubi insana libertas generat vulnera, sacerdotalis districtio dat medelam. Quapropter Christo auspice in Turonica civitate concilio concordante juxta conniventiam gloriosissimi domini [8] Chariberti regis annuentis

---

1) *Turonense* appellatur in editione Bened. cf. pag. 139. — 2) Collatum ad mss. codd. Reg. C, D, a, et veterem collectionem regiam 3887. Tituli canonum extant in Reg. D, sed ab editis dissentiunt. — 3) *pro culmine per dominum* add. Reg. D, a. — 4) *cujus* deest in Reg. D, a. — 5) *in ejus traditione ad pontifices lex manavit, forma processit* Reg. D, a. — 6) *revocandum est* om. in Reg. D. — 7) *ut possint male* desunt in Reg. D. — 8) *domni* Reg. D, a, ut infra plerumque.

coadunati pro pace et instructione ecclesiae opportunum credidimus subterannexa decreta conficere et subscriptionibus propriis roborare, ut retundantur noxia, propagentur optata: ne taciturnitate silentii vitiosorum criminum nutriri videretur licentia, non abscindi, et quae opportuna erant pro qualitate temporis adjici, non putarentur negligi sed procurentur [1]) impleri.

I. *De synodo bis per singulos annos aut semel convocanda.*

Placuit itaque sancto concilio, interposita virtute domini Martini in sancta basilica sua conscribi [2]), ut bis ad synodum annis singulis metropolitanus et comprovinciales sui in locum quem deliberatio metropolitani elegerit deo propitiante conveniant, aut si necessitas sicut hactenus inevitabilis praepedierit vel semel in anno sine cujuslibet excusatione personae, id est regiae vel privatae, sine cujuscumque utilitatis obstaculo praeter infirmitatis certissimae labore praeventum, nullius occasione velaminis habeat unusquisque concursum: sed sicut dictum est neque per impedimentum ordinationis regiae neque sub occasione utilitatis aut causae propriae debeat a concilio separari, apostolo praedicante: *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio an angustia an persecutio an fames an nuditas an periculum an gladius?* et reliqua [3]). Non debet spirituali operi etiam regalis praeferri praeceptio, cum primum in ecclesia sit mandatum: *Diliges dominum deum tuum ex totò corde tuo et ex tota anima tua et ex tota virtute tua*: unde non debet praecepto domini persona cujuslibet hominis anteponi, neque debet terrenae conditionis actio vel persona terrere quos Christus spe crucis armavit. Si quis episcoporum, ut superius dictum est, ad synodum venirè distulerit, usque ad majòrem synodum a metropolitano [4]) et comprovincialibus maneat excommunicatus, nec ei ex alia provincia ullus episcopus [5]) interea communicare praesumat; ipse enim suae divisionis praeparat instrumenta, qui cum suis fratribus in membris ecclesiae non concordat.

II. *De pace inter episcopos conservanda.*

Item decernitur propter illud coeleste mandatum: *Pacem meam do vobis* [6]), ut pontificalis affectus inter consacerdotes inviolabiliter conservetur; verum si pro peccatis, ut assolet, e causa livor emerserit ut pendente certamine sibi invicem reconciliari non possint, electis ab utraque parte fratribus, id est presbyteris, praeponderante dulcedine litis jacula finiant et vota pacis acquirant. Nam qua fronte festucam de alterius oculo velit eruere, qui in suo trabem non respicit imminentem? aut quid in aliis arguat, a quo magis vitii fons inundat? Si quis autem ab utraque parte, ut dictum est, electis presbyteris

---

1) *paterentur . . procurarentur* Reg. D, a. — 2) *conscripti* (absque *sua*) Reg. D, a. — 3) Rom. 8, 35. — 4) *a fratribus* Reg. D, a. — 5) *episcoporum* Reg. D. — 6) Joh. 14, 27. —

atque mediantibus se fratribus, hoc est suis membris, reconciliare [1]) neglexerit, cum ad synodum venerit, non solum reatum coram coëpiscopis se cognoscat incurrere, verum etiam congruae poenitentiae intelligat vindictam subire. Opportunum namque est illum animadversione succumbere, qui intelligendo peccavit, et quod docere debuit in se ipso neglexit.

III. *De compositione corporis dominici super altario.*

Ut corpus domini in altari non in [2]) imaginario ordine sed sub crucis titulo componatur.

IV. *Ne laici in ecclesia clericis misceantur.*

Ut laici secus altare, quo sancta mysteria célebrantur, inter clericos tam ad vigilias quam ad missas stare penitus non praésumant, sed pars illa quae a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum; ad orandum vero et communicandum laicis et foeminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

V. *Ut unaquaeque civitas pauperes suos alat.*

Ut unaquaeque civitas pauperes et egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicani presbyteri quam cives omnes suum pauperem pascant: quo fiet ut ipsi pauperes per civitates alias non vagentur [3]).

VI. *Ut epistolia soli dent episcopi.*

Ut nullus clericorum vel laicorum praeter episcopos [4]) epistolia facere praesumat.

VII. *De remotione abbatum vel archipresbyterorum sine consilio ab episcopis non facienda.*

Ut episcopus nec abbatem nec archipresbyterum sine omnium suorum compresbyterorum et abbatum concilio [5]) de loco suo praesumat ejicere, neque per praemia alium ordinare, nisi facto concilio tam abbatum quam presbyterorum suorum, quem culpa aut negligentia ejicit, cum omnium presbyterorum consilio refutetur.

VIII. *Ut episcopus ei quem alter episcopus excommunicavit non communicet.*

Quicumque episcopus illi quem alter episcopus excommunicatum habet, postquam fuerit de ipsius excommunicatione commonitus, communicare praesumpserit, usque ad synodum excommunicatus habeatur.

IX. *Ut in Britannia sine consensu metropolitani vel comprovincialium episcopi non ordinentur.*

Adjicimus etiam, ne quis Britannum aut Romanum in Armorico sine metropolitani aut comprovincialium voluntate vel

---

1) Sic ex mss. et editis Bened. locum composuerunt; *se fratri* mss.; *fratribus* ... *reconciliari* (om. voce *se*) editt. — 2) *in* deest in Reg. D, a. cf. Mabillon. de liturg. Gallic. I., 9, 20. — 3) *fatigentur* Reg. D, a. — 4) *episcopum* Reg. D, a. — 5) *consilio* M. —

literis episcopum ordinare praesumat: quod si quis contraire tentaverit, sententiam in anterioribus canonibus prolatam observet, et a nostra caritate usque ad majorem synodum se cognoscat remotum et excommunicatum, quia [1]) merito a caritate nostra vel nostris ecclesiis segregantur qui patrum statuta contemnunt.

X. *Ut nullus clericus extraneam mulierem domi habeat.*

De familiaritatibus mulierum licet crebrius sit in canonibus replicatum, attamen necesse est, ut si secta virgulta quae male pullulaverant redeant, rursus fidei falce succindantur et jam radicitus eruantur. Nullus ergo deinceps clericorum pro occasione necessitatis [2]) aut causa ordinandae domus extraneam mulierem in domo sua habere praesumat. Et cum jubeamur victum aut vestitum artificiolo quaerere et manibus propriis laborare, quid opus est in domo serpentem includere pro veste, quae multiformem vestem non propterea deponit ut nudetur, sed ut se dum renovatur ostendat clariorem? Nullus ergo clericorum, non episcopus, non presbyter, non diaconus, non subdiaconus quasi sanctimonialem aut viduam vel ancillam propriam pro conservatione rerum in domo sua stabilire praesumat; quae et ipsa extranea est, dum non est mater aut soror aut filia, quae etiam pronior propinquabit ad culpam, dum dignoscitur subjecta dominatui. Si quis episcopus aut presbyter seu diaconus aut subdiaconus de hac re statuta patrum vel nostra temerare praesumpserit, excommunicetur.

XI. *Ut episcopus nullam ignaviam ad distringendum habeat, et si necesse fuerit ab aliis adjuvetur episcopis.*

Si quis episcopus ad distringendum eos qui in hac facilitate perdurant negligens apparuerit, sicut in ipsa sancta basilica est publice recitatum, ex consensu communi atque totius populi, sententiam praedecessorum canonum se incurrere omnino cognoscat: sic tamen, ut tam metropolitanus suis comprovincialibus quam comprovinciales metropolitano suo, si resistere aut contemnere episcopum clerici sui praesumpserint, dent omnino solatium. Et quia dixit sancta scriptura: *Frater fratrem adjuvans exaltabitur* [3]), quicumque pro causa dei fratri suo solatium commonitus dare distulerit, usque ad synodum removeatur; nam si episcopus se contemni sentiens, fratres suos in solatium suum non commonuerit, ipse sciat qualiter reddat domino rationem.

XII. *Ut episcopus conjugem habeat ut sororem et nullam de se suspicionem praebeat.*

Episcopus conjugem ut sororem habeat, et ita sancta conversatione gubernet domum omnem tam ecclesiasticam quam propriam, ut nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat.

---

1) *cogn. esse remotum quia* (absque verbis interjectis) Reg. D, a. — 2) *faciendae vestis* add. Reg. D, a. — 3) Prov. 18, 19. —

Et licet deo propitio clericorum suorum testimonio castus vivat, quia cum illo tam in cella quam ubicumque fuerit sui habitent, eumque presbyteri et diaconi vel deinceps clericorum turba juniorum deo auctore conservent [1]: sic tamen propter zelotem deum nostrum tam longe absint mansionis propinquitate divisi, ut nec hi qui ad spem recuperandam clericorum servitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

XIII. *Ut episcopus qui conjugem non habet extraneas mulieres domi non habeat.*

Episcopum episcopam non habentem nulla sequatur turba mulierum, licet salvetur vir per mulierem fidelem sicut et mulier per virum fidelem, ut apostolus ait [2]; nam ubi talis custodia necessaria non est, quid necesse est ut miseria prosequatur unde fama consurgat? Habeant ministri ecclesiae, utique clerici qui episcopo serviunt et eum custodire debent, licentiam extraneas mulieres de frequentia cohabitationis ejicere.

XIV. *Ne duo clerici aut monachi in uno stratu recumbant, et ut monachi omnes in communi schola jaceant.*

Et ne occasio famam laceret honestatis, quia aliqui laici dum diversa perpetrant adulteria hoc quod de se sciunt in aliis suspicantur, sicut ait Seneca pessimum in eo vitium esse, qui in id quo insanit ceteros putat furere: ut ergo ipse sinistrae existimationis aditus amputetur, nullus sacerdotum ac monachorum colligere alium in lecto suo praesumat; nec liceat monachis cellulas habere communes, ubi aut bini maneant aut peculiares reponi possint, sed schola labore communi construatur, ubi omnes jaceant aut abbate aut praeposito gubernante, ut dum duo vel tres vicissim legunt et excubant alii consolentur: ut non solum sit custodia corporum sed et surgat prolectione assidua profectus animarum.

XV. *De monachis qui conjugia ineunt excommunicandis et auxilio judicis separandis.*

Si qui in monasterio conversi sunt aut converti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam evagandi, nec, quod absit, ullus eorum conjugem ducere aut extranearum mulierum familiaritatem habere. Nam si, ut supra dictum est, uxorem duxerit, excommunicetur, et de uxoris male sociatae consortio etiam judicis auxilio separetur: quod si judex ad hoc solatium dare noluerit, excommunicetur. Qui infelix monachus tali conjunctione foedatus, si per cujuscumque patrocinium se conatus fuerit defensare, et is qui in hac pertinacitate perdurat et illi qui eum exceperint ad defensandum ab ecclesia segregentur, donec revertatur ad septa monasterii, et indictam ab abbate quamdiu ei praeceptum fuerit agat poenitentiam, et post satisfactionem revertatur ad gratiam.

---

1) Melius forte Reg. D, a, et antiqna collectio regia Paris.: *quia cum illo . . sui habitant eumque prosequuntur et presbyteri et diaconi vel deinceps clericorum turba deo auctore conversantur.* — 2) 1 Cor. 7, 14.

XVI. *Ne mulier septa monasterii introire permittatur.*

Ut mulier intra septa monasterii nullatenus introire permittatur. Si abbas in hac parte aut praepositus negligens apparuerit, qui eam viderit et non statim ejecerit excommunicetur.

XVII. *De observatione jejuniorum monachis obeunda.*

De jejuniis vero antiqua a monachis instituta serventur, ut de pascha usque ad quinquagesimam exceptis rogationibus omni die fratribus prandium praeparetur; post quinquagesimam tota hebdomade ex asse jejunent; postea usque ad Kalendas Augusti ter in septimana jejunent secunda, quarta et sexta die, exceptis his qui aliqua infirmitate constricti sunt. In Augusto, quia quotidie missae sanctorum sunt, prandium habeant; in Septembri toto et Octobri [1]) et Novembri, sicut prius dictum est, ter in septimana; de Decembri usque ad natale domini omni die jejunent; et quia inter natale domini et epiphania omni die festivitates sunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum illud quo ad calcandam gentilium consuetudinem patres nostri statuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri litanias, ut in ecclesiis psallatur et hora octava in ipsis Kalendis circumcisionis missa deo propitio celebretur; post epiphania vero usque ad quadragesimam ter in septimana jejunent.

XVIII. *De observatione psallendi.*

Itemque pro reverentia domini Martini vel cultu ac virtute id statuimus observandum, ut tam in ipsa basilica sancta quam in ecclesiis nostris iste psallendi ordo servetur: ut in diebus aestivis [2]) ad matutinum sex antiphonae binis psalmis explicentur; toto Augusto manicationes fiant, quia festivitates sunt et missae sanctorum; Septembri septem antiphonae explicentur binis psalmis; Octobri octo ternis psalmis; Novembri novem ternis psalmis; Decembri decem ternis psalmis; Januario et Februario itidem usque ad pascha, sed ut possibilitas habet, qui facit amplius pro se et qui minus, ut potuerit. Superest ut vel duodecim psalmi expediantur ad matutinum, quia patrum statuta praeceperunt ut ad sextam sex psalmi dicantur cum Alleluja, et ad duodecimam duodecim itemque cum Alleluja: quod etiam angelo ostendente didicerunt. Si ad duodecimam duodecim psalmi, cur ad matutinum non itemque vel duodecim explicentur? Quicumque minus quam duodecim psalmos ad matutinum dixerit, jejunet usque ad vesperam, panem cum aqua manducet, et non illi sit altera in illa die ulla refectio; et qui hoc facere contempserit, una hebdomada panem cum aqua manducet et jejunet omni die usque ad vesperam.

XIX. *De archipresbyteris et aliis clericis conjugatis, qua cautela segregati ab uxoribus vivere debeant.*

Archipresbyteri vicani et diaconi et subdiaconi non quidem omnes sed plures in hac suspicione tenentur a populo, quod

---

1) *et Octobri* deest in Reg. D, a. — 2) Ita Reg. D; edd. *festis*. —

cum conjugibus suis maneant, pro qua re hoc placuit observare, ut quotiescumque archipresbyter seu in vico manserit seu ad villam suam ambulaverit, unus lector canonicorum suorum aut certus aliquis de numero clericorum cum illo ambulet, et in cella ubi ille jacet lectum habeat pro testimonio. Septem tamen inter subdiaconos et lectores vel laicos habeat concessos, qui vicissim septimanas cum illo facere omnino procurent, et qui distulerit, fustigetur. Et si in hoc presbyter negligens inventus fuerit quod non hoc sic implere contendat, triginta diebus communione privetur, donec poenitentiam agat et sic revertatur ad gratiam. Reliqui presbyteri et diaconi et subdiaconi vicani hoc studio se custodiant, ut mancipiola sua ibi maneant ubi uxores suae; illi tamen segregatim solitarii in cella jaceant et orent et dormiant. Nam qui uxores non habent, in parte de mancipiolis suis habeant cellulas segregatim, ubi et ipsi itidem et orent segregati et dormiant. Nam si inventus fuerit presbyter cum sua presbytera aut diaconus cum sua diaconissa aut subdiaconus cum sua subdiaconissa, annum integrum excommunicatus habeatur et depositus ab omni officio clericali inter laicos se observare cognoscat, eo tamen permisso, ut inter lectores in psallentium choro colligatur. Illi vero archipresbyteri qui talem cautelam super juniores suos habere noluerint et non eos habuerint studio distringendi, ab episcopo suo in civitate retrudantur in cellam, ibique mense integro panem cum aqua manducent et poenitentiam agant pro sibi credito clero, quia nulli clericorum juxta sententiam canonum cum conjuge sua manere permittitur. Et quia haeresis Nicolaitarum per Nicolai facilitatem surrexit, ubi legitur ista haeresis presbyterorum a quo presbytero primum surrexerit? nullus potuit aestimare quod auderet ille, qui corpus domini consecrat, talia perpetrare, nisi tempore novissimo pro peccatis nostris illa surrexerunt. Si illi diaconi [1]) sententia episcoporum damnati sunt et haeretici reputati, ac si tales diaconi illi subjacent maledictioni quos patrum statuta pro hac causa damnarunt: quid illi infelices presbyteri qui tali sunt peccato subjecti, ut alios trahant in praeceps secum qui eos tali ordine vivere cernunt, et qui deberent esse forma praecepti, ipsi inveniantur norma peccati? rectius est ut caput morbidum si curari non potest amputetur, quam grex per eumdem inficiatur. Talis ergo sacerdos et pastor non debet a populo venerari, sed renui qui non formam disciplinae sed vitii docet dum seipsum non corrigit.

XX. *De virginibus et reliquis castitatem professis vel viduis quae post mutatam vestem conjugio copulatae sunt.*

Et quia in sententia papae Innocentii ad Victricium episcopum Rotomagensem lata legitur scriptum de virginibus quae Christo spiritualiter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt,

---

1) *omnium* add. Reg. D, a.

si postea nupserint, quod vix etiam ad agendam poenitentiam mereantur accedere; quia sic dicit: Si enim de omnibus haec ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro alteri nupserit habeatur adultera, quanto magis et illa damnanda est, quae ante immortali sponso se conjunxerat et postea ad humanas nuptias transmigravit? Et adjecit: Hae vero quae necdum sacro velamine tectae sunt, tamen in proposito virginali semper se manere simulaverunt, licet velatae non sint si postea nupserint, his agenda aliquanto tempore poenitentia est, quia sponsio earum a deo tenebatur; nam si inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum deo pepigerunt, solvi sine vindicta non debet? Post hoc de viduis adjunxit: Nam si Paulus apostolus, si quae a proposito viduitatis discesserunt, dixit eas habere damnationem, ubi ait: *Quia primam fidem irritam fecerunt* [1]) etc. Quis sacerdotum contra decreta talia quae a sede apostolica processerunt agere praesumat? vel quis, quod pejus est, contra sententiam quam vas electionis Paulus apostolus spiritu sancto ministrante promulgavit aliud conscribere ulla ratione praesumat, cum dicat ipse per spiritum sanctum: *Qui praedicaverit praeter id quod praedicavi, anathema sit* [2])? et quorum auctorum valere possit praedicatio, nisi quos sedes apostolica semper aut intromisit aut apocryphos fecit, et patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum praecepit auctoritas? Nos ergo hoc sequentes, quod vel apostolus Paulus vel papa Innocentius statuit, in canonibus nostris inserentes statuamus observandum, ut nullus sacratam deo virginem, quae in honorem Christi vestem mutavit, aut rapere aut competere aut sibi conjugem sociare praesumat; quia etiam lex Romana constituit [3]), ut quicumque sacratam deo virginem vel viduam fortasse rapuerit, si postea iis de conjunctione convenerit, capitis sententia feriantur. Item: Si quis non dicam rapere, sed attentare matrimonii jungendi causa sacram virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur. Cum etiam in chronicis habeatur de virginibus gentilium tempore quae se deae Vestae sacraverant, postmisso proposito et corrupta virginali gratia, legali sententia vivas in terra fuisse defossas; si profana colentes tali sunt sententia condemnatae, quanto magis quae in honorem redemptoris sui se veste mutaverint et perseverare noluerint utique gravem debent exspectare sententiam? Sicut in Arelatensi synodo habetur insertum [4]): De puellis quae se voverunt deo et praeclari nominis decore floruerunt, si post vigesimum quintum praesertim aetatis suae annum ad terrenas nuptias sponte transierint, id custodiendum esse decrevimus, ut cum his quibus se alligaverunt communione priventur, ita ut iis postulantibus poenitentia non negetur, cujus poenitentiae communio multo tempore differatur. Cum etiam id in antiquis

---

1) I Tim. 5, 12. — 2) Gal. 1, 8. — 3) Cod. Theod. de raptu vel matrim. lib. 1 2. — 4) Arelat. II. c. 52. —

Milevitanis canonibus [1]) fuerit statutum: Item placuit, ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis pudicitiae virginalis cum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si aliquo etiam mortis scrupulo periculoso compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus aut his ad quorum curam pertinet velaverit virginem seu velavit intra viginti quinque annos aetatis, non ei obsit concilium quod de istorum annorum numero constitutum est. Nos vero quos lex perimi jubet, si cupiunt audire praeconem volumus ut convertantur ad vitam; nam perimendi sunt oris gladio et a communione privandi, si relecta sibi decreta seniorum observare noluerint et pastorem suum audire despexerint et esse separati [2]) noluerint. Qui ergo in hac pertinacia durare voluerint et plus in volutabro malae conversationis permanere quam se de vetito conjugio separare, perenni excommunicatione damnentur; et quicumque episcoporum aut presbyterorum vel diaconorum iis communicare praesumpserit, usque ad synodum ab omnibus episcopis excommunicatus habeatur. Et excludatur excusationis adinventio quam modo aliquae dicere meditantur, quod propterea se veste mutaverint ne eas inferiores personae macularent, cum non solum domini gloriosae memoriae Childebertus et Clotarius reges constitutionem legum de hac re custodierint et servaverint, quam nunc dominus Charibertus rex successor eorum praecepto suo roboravit, ut nullus ullam puellam [3]) absque parentum voluntate trahere aut accipere praesumat. Quaecumque ergo [4]) timet violentiam et non vult habere maritum, refugiat ad ecclesiam donec propinqui possint eam principis imperio aut sacerdotis vel ecclesiae beneficio liberare et defensare ac condigno sociare marito: nam quae se veste mutaverit absque dolo in eo proposito, quod disposuit perseverare procuret. Illud vero quod aliqui dicunt: Vidua quae benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cum omnes sciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia solum propositum illi sufficere debet, sicut in Epaonensibus canonibus a papa Avito vel omnibus episcopis conscriptum est: Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni religione nostra penitus abnegamus [5]). Et expressius decretum est in synodo Arelatensi: Professas viduas, si in conniventia [6]) perstiterint, cum raptoribus esse damnandas. In prophetis legitur, quia de alienigenis contra interdicta dei Hebraei sortiti fuissent uxores, populum dei a gentibus superatum, post praedicante propheta, quia dimisere uxores et filios et separaverunt se ab illicitis conjugiis, statim victoriam fuisse secutam. Quicumque ergo de laicis ingenuus cum talibus ex-

---

[1]) Conc. Milevit. c. 26 (Cod. eccl. Afr. c. 126). — [2]) *et se reparare* Reg. D, a. — [3]) *nec puellam nec viduam* Reg. D. — [4]) *enim* Reg. D. [5]) *abrogamus* Reg. a, vetus collect. regia et conc. Epaon. c. 21. — [6]) Sic canon. Arelat. II. 46. et tres mss.; *incontinentia* editt. —

communicatis communicare praesumpserit, excommunicatum se esse cognoscat.

XXI. *De adulterinis vel incestuosis conjunctionibus.*

De incestis vero conjunctionibus [1]) censuimus statuta canonum vetera non irrumpi; satis enim facimus si in hac parte statuta prisca servemus. Sed propterea fuit iterare necessarium, quia dicunt plures quasi illud per praedecessorum negligentiam sacerdotum illis non fuisset apertum; sed revera mentiuntur, cum sciamus tales ac tantos viros nullatenus huic negligentiae subjacuisse, sed hoc quod scripturae sanctae testantur, assidue praedicasse. Propterea placuit etiam de voluminibus librorum pauca perstringere et canonibus inserere, ut excepta [2]) lectio de aliis libris in unum recitetur ad populum. Sic enim dominus locutus est: *Custodite leges meas atque judicia quae faciens homo vivet in iis* [3]). *Ego dominus. Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuae non discooperies; mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. Turpitudinem uxoris patris tui non discooperies; turpitudo enim patris tui est. Turpitudinem sororis tuae ex patre sive ex matre, quae domi vel foris genita est, non revelabis. Turpitudinem filiae filii tui vel neptis ex filia non revelabis, quia turpitudo tua est. Turpitudinem filiae uxoris patris tui, quam peperit patri tuo et est soror tua, non revelabis. Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuae non revelabis, eo quod sit caro matris tuae. Turpitudinem patris tui non revelabis, nec accedes ad uxorem ejus, quia tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuae non revelabis, quia uxor filii tui est, nec discooperies ignominiam ejus. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est. Turpitudinem sororis tuae et filiae ejus non revelabis. Filiam filiae ejus et filiam filiae illius non sumes ut reveles ignominiam ejus, quia caro illius sunt et talis coitus incestus est. Sororem uxoris tuae in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus. Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis commixtione maculaberis. Maledictus* [4]) *homo qui faciet sculptile et conflatile, abominationem domino, opus manuum artificum, ponetque illud in abscondito, et respondebit omnis populus et dicet Amen. Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem suam, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui errare facit coecum in itinere, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui pervertit judicium advenae, pupilli ac viduae, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui dormit cum uxore patris sui et revelat operimentum lectuli ejus, et dicet omnis populus Amen. Male-*

---

1) *conjunctionibus* deest in Reg. D. — 2) *scarpsa* Reg. D, a, et vetus collect. Reg. — 3) *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet ut revelet turpitudinem ejus* add. Reg. D, a, et vetus collect. Reg. — Levit. 18, 5—18. — 4) Deuter. 27, 15—24. —

dictus qui dormit cum sorore sua, filia patris sui sive matris suae, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui dormit cum socru sua, et dicet omnis populus Amen. Maledictus qui clam percusserit proximum suum, et dicet omnis populus Amen. Itemque ait sacra sententia legum [1]) quae in hac explanatione omni homini tam docto quam indocto aperta est, ut quisquis aut sororis aut fratris filiam aut certe gradu consobrinam aut fratris uxorem sceleratis sibi nuptiis junxerit, huic poenae subjaceat ut de tali consortio separetur, et reliqua. Item alia [2]): Quaecumque mulier sororis suae maritum post mortem illius acceperit, vel si quis ex viris mortua uxore sororem ejus aliis nuptiis sibi conjunxerit, noverit tali consortio se esse notabilem. In synodo Aurelianensi [3]) quam invictissimus rex Clodoveus fieri supplicavit sic decretum est: Ne superstes frater torum defuncti fratris praesumat ascendere, neve sibi quisquam amissae uxoris sororem audeat sociare: quod si fecerint, ecclesiastica districtione feriantur. In Epaonensibus canonibus [4]) a papa Avito vel reliquis episcopis constitutum est: Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniae reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint; incestos vero nec ullo conjugii nomine praevelandos, praeter illos, quos vel nominare funestum est, hos esse censuimus: ut si quis relictam fratris quae paene prius soror extiterat carnali conjunctione violaverit; si quis insuper germanam uxoris suae acceperit; si quis novercam duxerit; si quis consobrinae sobrinaeve se societ, ab ecclesia segregetur: quod ut a praesenti tempore prohibemus, ita ea quae sunt anterius instituta non solvimus; si quis relictae avunculi misceatur aut patrui, vel privignae concubitu polluatur. Sane quibus conjunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris conjugii facultatem. In canonibus etiam Arvernensibus [5]) a beatissimis patribus sic habetur insertum: Si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam sobrinamve vel relictam patrui vel avunculi carnalis contagii crediderit consortio violandam, et ausu sacrilego auctoritatem divinae legis ac jura naturae perruperit, et cui caritatis ac pii affectus solatia exhibere debuerat, suorum hostis ac pudicitiae expugnator vim inferre tentaverit, apostolicae constitutionis sententia feriatur, et quamdiu in tanto versatur scelere, a Christiano coetu atque convivio et ecclesiae communione privabitur. — Nos hoc quod patres nostri statuerunt in omnibus roboramus, quia praecepto domini apostolo praedicante docemur, ut a nobis filii nostri severitate potius corrigantur, quam ignava tepiditate ad perpetranda graviora laxentur, ubi ait: *Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? Omnino auditur inter vos fornicatio et talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat; et vos inflati estis et non magis luctum habuistis, ut tollatur de*

---

1) Cod. Theod. de incest. nupt. libr. 3. — 2) Ibid. libr. 4. — 3) Aurel. I. c. 18. — 4) Epaon. c. 30. — 5) Arvern. I. c. 12. —

medio vestrum qui opus hoc fecerit [1]). *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu jam judicavi ut praesens eum qui sic operatus est, in nomine domini nostri Jesu Christi* [2]). Ergo quia dixit apostolus: *Imitatores mei estote sicut et ego Christi* [3]), non nos praesumptiosos existimet homo, si sequentes apostolum quemquam ab ecclesia segregamus donec reminiscatur et revertatur ad vitam quam per dominum Jesum Christum et baptismum meruit habere perpetuam, ne jam peccato faciente ac diabolo persuadente perdat et baptismi gratiam et vitam aeternam.

XXII. *De Kalendis Januarii et cathedra sancti Petri.*

Enimvero quoniam cognovimus nonnullos inveniri sequipedas erroris antiqui qui Kalendas Januarii colunt, cum Janus homo gentilis fuerit, rex quidem, sed deus esse non potuit. Quisquis ergo unum deum patrem regnantem cum filio et spiritu sancto credit, certe hic non potest integer Christianus dici, qui aliqua de gentilitate custodit. Sunt etiam qui in festivitate cathedrae domni Petri apostoli cibos mortuis offerunt, et post missas redeuntes ad domos proprias ad gentilium revertuntur errores et post corpus domini sacratas daemoni escas accipiunt; contestamur illam sollicitudinem tam pastores quam presbyteros gerere, ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras aut arbores aut ad fontes, designata loca gentilium, perpetrare quae ad ecclesiae rationem non pertinent, eos ab ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant qui gentilium observationes custodiunt. Quid enim daemonibus cum Christo commune, cum magis sumendo judicium delicta videatur addere quam purgare?

XXIII. *De hymnis recipiendis.*

Licet hymnos Ambrosianos habeamus in canone, tamen quoniam reliquorum sunt aliqui qui digni sunt forma cantari, volumus libenter amplecti eos praeterea quorum auctorum nomina fuerint in limine praenotata, quoniam quae fide constiterint, dicendi ratione non obstant.

XXIV. *De iis qui per discordias regum res ecclesiarum aut sacerdotum competunt.*

Illud quoque quamquam priorum canonum sit auctoritate praefixum, quod dum inter se saeviunt domini nostri ac malorum hominum stimulo concitantur et alter alterius res rapida cupiditate pervadit, ne ista caduca actione qua inter se aguntur ecclesiastica rura contingere aut contaminare praesumant, inviolabiliter observandum censemus, ut quicumque tam ecclesiae quam episcopi res proprias quae et ipsae ecclesiae noscuntur esse, quas pontifex actoribus ecclesiae dignoscitur assignasse, vel abbatum aut monasteriorum sive presbyterorum

---

1) *fecit* Reg. D. — 1 Cor. 4, 21. — 5, 4. — 2) Tres mss. addunt: *Congregatis vobis et meo spiritu cum virtute domini nostri Jesu Christi eum qui talis est tradere satanae in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die domini nostri Jesu Christi.* — 3) 1 Cor. 11, 1. —

quaqua temeritate pervadente competere vel confiscare praesumpserit, tunc reservato correctionis loco adhuc a presbytero ejusdem ecclesiae, cujus interest, pervasorem convenit admoneri, et si restitutionem distulerit, adhuc quasi filius ab omnibus fratribus ad reddendum missis epistolis compellatur. Quod si pertinaciter in pervasione perstiterit et se tollere post tertiam commonitionem de re illa [1]) aut ecclesiae aut propria noluerit, convenit ut omnes omnino una conniventia simul cum nostris abbatibus ac presbyteris vel clero qui stipendiis ex ipso alimento pascuntur, quia arma nobis non sunt alia, auxiliante Christo, circumsepto clericali choro, necatori pauperum, qui res pervadit ecclesiae, psalmus centesimus octavus dicatur, ut veniat super eum illa maledictio quae super Judam venit, qui dum loculos faceret, subtrahebat pauperum alimenta: ut non solum excommunicatus [2]) sed etiam anathematizatus moriatur et coelesti gladio feriatur, qui in despectu dei et ecclesiae et pontificum in hac pervasione praesumit assurgere. Illud etiam annecti placuit, ut qui de fratribus ad dandum solatium venire pro certa infirmitatis necessitate non potuerit, abbates et presbyteros in vice sua transmittat. Qui si praeter certam infirmitatis excusationem commonitus aut venire aut transmittere noluerit, remotum se a fratrum caritate esse cognoscat; nam quod quidem non credimus, si quis contra decreta nostra tali temeratori communicare praesumpserit, in se causam excommunicationis transformet, et cum eodem se a caritate omnium sacerdotum cognoscat esse remotum.

XXV. *De pervasoribus seu retentoribus rerum ecclesiasticarum.*

Placet itaque ac omnibus modis convenit observare, ut quia nonnulli memores sui per quaslibet scripturas pro captu animi de facultatibus suis ecclesiis aliquid contulisse probantur, quod a diversis deum minus timentibus eatenus mortifera calliditate tenetur ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possint diem judicii dum nimiae cupiditatis delectantur ardore. Quicumque ergo immemor interitus sui res ecclesiis, ut supra diximus, delegatas injuste possidens praesumpserit retinere, et veritate comperta res dei servis ejus dissimulaverit reformare, ab omnibus ecclesiis segregatus a sancta communione habeatur extraneus, nec aliud mereatur habere remedium, nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgaverit. Indigne enim ad altare domini properare permittitur, qui res ecclesiasticas et audet rapere et injuste possidere iniqua defensione perdurat; necatores enim pauperum judicandi sunt, qui eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse provisio, ut vindictam admonitio manifesta praecedat, ut res usurpatas injuste qui abstulit adhibita aequitate restituat: quod si neglexerit et necessitas compulerit, postea praedonem sacerdotalis districtio maturata percellat,

---

1) *reicola* tres mss. — 2) *excommunis* iidem. —

neque quisquam per interregna res dei nitatur defensare, quia dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit.

XXVI. *De judicibus aut potentibus qui pauperes opprimunt.*

Ut judices aut potentes qui pauperes opprimunt, si commoniti a pontifice suo se non emendaverint, excommunicentur.

XXVII. *Ne de ordinationibus clericorum praemia exigant episcopi.*

Nullus episcoporum de ordinationibus clericorum praemia praesumat exigere, quia non solum sacrilegum, sed et haereticum est, sicut in dogmatibus ecclesiasticis habetur insertum [1]), non ordinandum clericum qui per ambitionem ad imaginem Simonis magi pecuniam offert sacerdoti; quia dicitur: *Gratis accepistis, gratis date* [2]). Et cum talis sit qui gratiam dei a sacerdote existimat pretio comparari qualis ille qui vendit, uterque usque ad synodum ab ecclesia segregetur; cauta est enim in salutem provisio ad effugiendam culpam delicti aditum delinquendi repellere.

CONCILIUM AUTISSIODORENSE [3]).

I. *De Kalendis Januariis.*

Non licet Kalendis Januarii vetula [4]) aut cervolo facere, vel strenas diabolicas observare; sed in ipsa die sic omnia beneficia tribuantur sicut et reliquis diebus.

II. *Ut quadragesimae initium in epiphania nuntietur.*

Ut omnes presbyteri ante epiphaniam missos suos dirigant, qui iis de principio quadragesimae nuntient et in ipsa epiphania ad populum indicent [5]).

III. *Ut vota et vigiliae in ecclesia exsolvantur.*

Non licet compensos in domibus propriis nec pervigilias in festivitatibus sanctorum facere, nec inter sentes aut ad arbores sacrivos vel ad fontes vota exsolvere [6]); sed quicumque votum habuerit, in ecclesia vigilet et matriculae ipsum votum aut pauperibus reddat, nec sculptilia aut pede aut homine lineo fieri penitus praesumat.

---

1) Gennadii dogm. eccl. c. 72 (35). — 2) Matth. 10, 8. — 3) Collatum ad mss. codd. Reg. D, E, a, veterem collectionem regiam, Jesuit. C. — 4) Quidam libri *vecola*, alii *vaecola* aut *vecolo* legunt. Sirmond. — 5) *indicetur* duo mss. — 6) *dissolvere* omnes mss. Bened. —

IV. *Ut auguria et sortilegia non fiant.*

Non licet ad sortilegos vel ad auguria respicere, non ad caragios nec ad sortes quas sanctorum vocant vel quas de ligno aut de pane faciunt adspicere; sed quaecumque homo facere vult, omnia in nomine domini faciat.

V. *Vigiliae sancti Martini interdictae.*

Omnino et inter supradictas conditiones pervigilias, quas in honore domni Martini observant, omnimodis prohibete.

VI. *Ut chrisma a media quadragesima petatur.*

Ut a media quadragesima presbyteri chrisma petant, et si quis infirmitate detentus venire non potuerit, ad archidiaconum suum vel archisubdiaconum transmittat, sed cum chrismario et linteo sicut reliquiae sanctorum deportari solent.

VII. *De synodis presbyterorum et abbatum.*

Ut medio Majo omnes presbyteri ad synodum in civitatem veniant, et Kalendis Novembris omnes abbates ad concilium conveniant.

VIII. *Quod mulsum in altari offerre non liceat.*

Non licet in altario in sacrificio divino mellitum quod mulsum appellant, nec ullum aliud poculum extra vinum [1]) cum aqua mixtum offerre, quia ad grande reatum et peccatum pertinet presbytero illi, quicumque aliud poculum extra vinum [1]) in consecrationem sanguinis Christi offerre praesumpserit.

IX. *Ne chori et cantica puellarum nec convivia in ecclesia permittantur.*

Non licet in ecclesia choros saecularium vel puellarum cantica exercere, nec convivia in ecclesia praeparare, quia scriptum est: *Domus mea domus orationis vocabitur* [2]).

X. *Ne in altari ubi episcopus missas dixit presbyter illa die missas dicat.*

Non licet super uno altario in una die duas missas dicere, nec in altario ubi episcopus missas dixerit, ut presbyter in illa die missas dicat.

XI. *De vigiliis paschae, natalis et aliarum solemnitatum.*

Non licet in vigilia paschae ante horam secundam noctis vigilias perexplere, quia in illa nocte non licet post mediam noctem bibere [3]) nec in natali domini nec in reliquis solemnitatibus.

XII. *Ne mortuis eucharistia detur nec osculum et ne velo vel palla involvantur.*

Non licet mortuis nec eucharistiam nec osculum tradi, nec velo vel pallis corpora eorum involvi.

XIII. *Ut diaconus pallis scapulas non involvat.*

Non licet diacono velo vel palla scapulas suas involvi.

---

[1]) Quidam mss. utroque loco: *absque vino*, alii *absque vinum*. — [2]) Matth. 21, 13. — [3]) *nec manducare* add. Reg. E, Jes. C. —

XIV. *Ne quis in baptisterio sepeliatur.*

Non licet in baptisterio corpora sepeliri.

XV. *Ne mortuus supra mortuum mittatur.*

Non licet mortuum super mortuum mitti.

XVI. *De observatione diei dominicae.*

Non licet die dominico boves jungere vel alia opera exercere, nisi pro causis constitutis [1]).

XVII. *De iis qui sibi mortem consciscunt.*

Quicumque se propria voluntate in aquam jactaverit aut collum ligaverit aut de arbore praecipitaverit aut ferro percusserit aut qualibet occasione voluntariae se morti tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.

XVIII. *Ut baptismus extra pascha nisi moribundis non conferatur.*

Non licet absque paschae solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est quos grabatarios dicunt: quod si quis in alio pago contumacia faciente post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiantur usque ad satisfactionem [2]), et quicumque presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere praesumpserit, tribus mensibus a communione ecclesiae sequestratus sit.

XIX. *Ut missae a jejunis clericis celebrentur et audiantur.*

Non licet presbytero aut diacono aut subdiacono post acceptum cibum vel poculum missas tractare aut in ecclesia dum missae dicuntur stare.

XX. *Ut archipresbyter de clericorum adulteriis episcopo vel archidiacono denuntiet.*

Quod si presbyter, quod nefas est dicere, aut diaconus aut subdiaconus post acceptam benedictionem infantes procreaverit aut adulterium commiserit, et archipresbyter hoc episcopo aut archidiacono non innotuerit si scit, integro anno non communicet, illi vero qui hoc commiserint deponantur.

XXI. *Ut clerici conjugati ab uxoribus abstineant.*

Non licet presbytero post acceptam benedictionem in uno lecto cum presbytera sua dormire nec in peccato carnali misceri, nec diacono aut subdiacono.

XXII. *Relictae clerici post ejus mortem alteri nubere non licet.*

Non licet relictae presbyteri nec relictae diaconi nec subdiaconi post ejus mortem maritum accipere.

XXIII. *De poena abbatis qui monachi peccata aut non emendat aut denuntiat.*

Si monachus in monasterio adulterium commiserit aut peculiare habere praesumpserit aut furtum fecerit, et hoc abbas

---

[1]) Desunt haec verba *nisi pro caus. const.* in Reg. D, a. — [2]) Desunt haec verba *usque ad satisf.* in Reg. D. —

per se non emendaverit aut episcopo aut archidiacono non innotuerit, ad poenitentiam agendam in alio monasterio retrudatur.

XXIV. *Abbati aut monacho ad nuptias ire non licet.*

Non licet abbati nec monacho ad nuptias ambulare.

XXV [1]. *Abbati aut monacho filios de baptismo habere non licet.*

Non licet abbati filios de baptismo habere nec monachis commatres habere.

XXVI. *De poena abbatis qui mulierem in monasterium ingredi permiserit.*

Quod si quis abbas mulierem in monasterio suo ingredi permiserit aut festivitates aliquas ibi spectare praeceperit, tribus mensibus in alio monasterio retrudatur pane et aqua contentus.

XXVII. *Novercam in uxorem accipere non licet.*

Non licet ut aliquis suam novercam accipiat uxorem.

XXVIII. *Nec privignam ducere.*

Non licet ut filiam uxoris suae quis accipiat.

XXIX. *Nec cognatam.*

Non licet ut relictam fratris sui quis in matrimonium ducat.

XXX. *Nec duas sorores.*

Non licet duas sorores, si una mortua fuerit, alteram in conjugium accipere.

XXXI. *Nec consobrinam aut sobrinam.*

Non licet consobrinam, hoc est quae de duobus fratribus aut de duabus sororibus procreatur, in conjugium accipere, nec qui de ipsis nati fuerint in conjugio socientur.

XXXII. *Nec relictam avunculi.*

Non licet ut nepos avunculi uxorem accipiat.

XXXIII. *Ut presbyteri et diaconi reorum supplicia non spectent.*

Non licet presbytero nec diacono ad trepalium ubi rei torquentur stare.

XXXIV. *Ut presbyter judicio capitis non intersit.*

Non licet presbytero in judicio illo stare unde homo ad mortem tradatur.

XXXV. *Ut clericus clericum ad judicem saecularem non trahat.*

Non licet presbytero aut diacono vel cuiquam clericorum de qualibet causa conclericum suum ad judicem saecularem trahere.

---

[1]) Can. 25 in Reg. D, a cum sequenti uno tantum numero comprehenduntur et in gestis episcoporum Autissiodorensium Aunacharius hujus synodi statuta 44. capitulis perstrinxisse dicitur. —

XXXVI. *Ut mulier eucharistiam nuda manu non accipiat.*

Non licet mulieri nuda manu eucharistiam accipere.

XXXVII. *Ne mulier pallas dominicas contrectet.*

Non licet mulieri manum suam ad pallam dominicam mittere.

XXXVIII. *Ut nullus cum excommunicato communicet.*

Non licet cum excommunicato communicare nec cum eo cibum sumere.

XXXIX. *Ut qui cum excommunicato communicat simili sententiae subjaceat.*

Si quis presbyter aut quilibet de clero aut de populo excommunicatum absque voluntate ipsius qui eum excommunicavit sciens receperit aut cum illo panem manducaverit vel colloquium habere decreverit, simili sententiae subjacebit.

XL. *Ne presbyter inter epulas cantet aut saltet.*

Non licet presbytero inter epulas cantare vel saltare.

XLI. *Presbytero vel diacono accusare non licet.*

Non licet presbytero nec diacono quemquam inscribere, sed in vice sua, si causam habuerit, aut fratrem aut quemcumque saecularem roget.

XLII. *Ut mulier sine dominicali non communicet.*

Ut unaquaeque mulier quando communicat dominicalem suum habeat: quod si qua non habuerit, usque in alium diem dominicum non communicet.

XLIII. *De poena judicis qui clericum sine episcopi voluntate distrinxerit.*

Quicumque judex aut saecularis presbytero aut diacono aut cuilibet de clero aut de junioribus [1]) absque voluntate episcopi aut archidiaconi vel archipresbyteri injuriam inferre praesumpserit, anno ab omnium Christianorum consortio habeatur extraneus.

XLIV. *De poena laici qui archipresbyteri admonitionem contemnit.*

Si quis ex saecularibus institutionem aut admonitionem archipresbyteri sui contumacia faciente audire distulerit, tamdiu a liminibus sanctae ecclesiae habeatur extraneus, quamdiu tam salubrem institutionem adimplere non studuerit; insuper et multam quam gloriosissimus dominus rex praecepto suo instituit sustineat.

XLV. *De observatione horum canonum.*

Si quis hanc definitionem, quam ex auctoritate canonica communi consensu et convenientia [2]) conscripsimus ac instituimus tam ad clerum quam ad populum commonendum vel ad

---

[1]) Desunt haec verba *aut de jun.* in Reg. E, Jes. C. — [2]) conniventia Reg. D, a. —

id quod constitutum est conservandum, negligens inventus fuerit et ob hoc observare distulerit, aut eos qui ipsum audire neglexerint celaverit aut suppresserit et in notitiam episcopi non deposuerit, anno a consortio fratrum vel ab omnium Christianorum communione habeatur extraneus [1]).

CONCILIUM MATISCONENSE PRIMUM [2]).

Cum ex evocatione gloriosissimi domni Guntramni regis [3]) tam pro causis publicis quam pro necessitatibus pauperum in urbe Matisconensi nostra mediocritas convenisset [4]), primo in loco visum nobis est, ut in nomine domini non tam nova quam prisca patrum statuta sancientes id ipsum constituamus quod [5]) titulis praesentibus in canonibus legitur insertum.

I. *Ut clerici cum extraneis foeminis non habitent.*

Ideoque definitum est, ut episcopi vel presbyteri atque diaconi ita sanctae conscientiae luce resplendeant, ut effugiant improbitatem actuum, maledicorum obloquia, ac testimonium in se divinum implere contendant quod dominus ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant vestra bona opera et magnificent patrem vestrum qui est in coelis* [6]). Igitur auctoritate canonica atque mansura in aevum constitutione sancimus, ut fugiatur ab his extranearum mulierum culpanda libertas, et tantum cum avia, matre, sorore vel nepte si necessitas fuerit habitent.

II. *Ne clerici aut laici puellarum monasteria ingredi vel cum illis colloqui temere praesumant.*

Ut nullus episcopus, presbyter, diaconus, clericus vel quicumque saecularis in monasteriis puellarum, nisi probatae vitae et aetatis provectae, praeter [7]) utilitatem aut quamcumque reparationem monasterii ad [8]) quascumque earum necessitates habitare, aut secretas collocutiones habere praesumant, nec extra [9]) salutatorium aut oratorium ulterius ingredi permittantur. Praecipue Judaei non pro quorumcumque negotiorum occasione [10]) puellis intra monasterium deo dicatis aliquid secretius colloqui aut familiaritatem vel moras ibi habere praesumant.

---

1) In Reg. E his canonibus subjungitur alter In clericos de ecclesia in ecclesiam commigrantes. — 2) Collatum ad mss. codd. Reg. B, D, a, ad veterem collect. regiam, Jes. A, C (sive collect. Divion.). Tituli desunt in his mss. — 3) *Cum ad injunctionem gloriosissimi regis* Reg. B et Lugdunensis Sirmondi. — 4) *conveniens*, om. v. *cum* in initio, Reg. D, a. — 5) *id ipsum quod constituimus* Reg. B, D. — 6) Matth. 5, 16. — 7) *propter* Reg. B. — 8) *aut* Reg. B. — 9) *intra* Reg. D, a, Jes. C. — 10) *occasionibus cum* Reg. D. —

III. *Ut mulier cubiculum episcopi nisi cum testibus non ingrediatur.*

Ut nulla mulier in cubiculum episcopi absque duobus presbyteris aut certe diaconis [1]) ingredi permittatur.

IV. *Ut qui oblationes fidelium defunctorum retinent excommunicentur.*

Ut qui oblationes fidelium defunctorum quae ecclesiis conferuntur retinent, veluti retentatores [2]) ecclesiae aut [3]) egentium necatores ab ecclesiae liminibus arceantur.

V. *Ut clerici habitu decenti utantur.*

Ut nullus clericus sagum aut vestimenta vel calceamenta [4]) saecularia, nisi quae religionem deceant, induere praesumat: quod si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste aut cum armis inventus fuerit, a seniore [5]) ita coerceatur, ut triginta dierum inclusione detentus aqua tantum [6]) et modico pane [7]) diebus singulis sustentetur.

VI. *Ut archiepiscopus missas sine pallio non dicat.*

Ut archiepiscopus [8]) sine pallio missas dicere non praesumat.

VII. *Ne judex saecularis clericum extra causam criminalem distringat.*

Ut nullus clericus de qualibet causa extra discussionem episcopi sui a saeculari judicio [9]) injuriam patiatur aut custodiae deputetur: quod si quicumque judex cujuscumque clericum, absque causa criminali, id est homicidio, furto aut maleficio, hoc facere fortasse praesumpserit, quamdiu episcopo loci illius visum fuerit ab ecclesiae liminibus arceatur.

VIII. *Ne clericus ullum clericum trahat ad judicem saecularem.*

Ut nullus clericus ad judicem saecularem quemcumque alium fratrem de clericis accusare aut ad causam dicendam trahere quocumque modo praesumat, sed omne negotium clericorum aut in episcopi sui aut in presbyterorum vel archidiaconi [10]) praesentia finiatur: quod si quicumque clericus hoc implere distulerit, si junior fuerit, uno minus de quadraginta ictus accipiat, sin certe honoratior, triginta dierum conclusione mulctetur.

IX. *Ut a festo sancti Martini ad natalem domini secunda, quarta et sexta feria jejunetur et canones legantur.*

Ut a feria [11]) sancti Martini usque ad natale domini secunda, quarta et soxta sabbati jejunetur, et sacrificia quadra-

---

1) Desunt haec verba *aut certe diac.* in Reg. B, Jes. A. — 2) *retentores* Reg. D. — 3) *et* Reg. D. — 4) *vel calceamenta* desunt in Reg. B. — 5) *senioribus* Reg. B, a, Jes. A. — 6) *tamen* Vetus collect. Reg. — 7) *modici panis usu* Reg. B, *modici panis portiuncula* Reg. D. — 8) *episcopus* Reg. B, a, Jes. A. — 9) *judice* mss. Bened. — 10) *presbyterorum cum archidiacono* Reg. D. — 11) *festivitate* Reg. D. —

gesimali debeant ordine celebrari: in quibus diebus canones legendos esse speciali definitione sancimus, ut nullus se fateatur per ignorantiam deliquisse.

X. *Ut clerici dies feriatos celebrent cum episcopo.*

Ut presbyteri, diaconi vel quolibet ordine clerici episcopo suo obedienti [1]) devotione subjaceant, et non alibi dies feriatos nisi in [2]) obsequio illius liceat tenere aut celebrare: quod si quis per quamcumque contumaciam aut per cujuscumque patrocinium hoc facere fortasse distulerit, ab officio regradetur.

XI. *Ut honoratiores clerici qui ad pristinas uxores redierint dignitate priventur.*

Episcopi, presbyteri vel universi honoratiores clerici cum sublimi dignitatis apice [3]) sublimantur, actibus omnino renuntient saeculi, et sacro electi ministerio [4]) repudient carnale consortium, ac permixtionis pristinae contubernium permutent germanitatis affectu; et quisquis ille est, divino munere benedictione percepta uxori prius suae frater illico efficiatur ex conjuge. Eos vero quos reperimus ardore libidinis inflammatos abjecto religionis cingulo ad vomitum pristinum et inhibita rursus conjugia repetiisse, atque incesti quodammodo crimine clarum decus sacerdotii violasse, quod nati etiam filii prodiderunt: quod quisquis fecisse cognoscitur [5]), omni in perpetuum quam admisso jam crimine perdidit dignitate privabitur.

XII. *Ut puellae deo devotae quae postea nupserint usque ad exitum vitae cum adulteris suis excommunicentur.*

De puellis vero quae se deo voverint et praeclarae decore aetatis [6]) ad terrenas nuptias transierint, id custodiendum [7]) esse decrevimus, ut si qua puella voluntarie aut parentibus suis rogantibus religionem professa vel benedictionem fuerit consecuta, et postea ad conjugium aut illecebras saeculi, quod potius stuprum est quam conjugium judicandum, transgredi praesumpserit, usque ad exitum cum ipso qui se hujusmodi consortio miscuerit [8]) communione privetur: quod si se poenitentia ducti sequestraverint, quamdiu episcopo loci illius visum fuerit a communionis gratia suspendantur, ita tamen ut propter infirmitatem aut subitaneum transitum viaticum [9]) illis miserationis intuitu non negetur.

XIII. *Ne Judaei judices sint vel telonarii inter Christianos.*

Ne Judaei Christianis populis judices deputentur aut telonarii esse permittantur, per quod illis quod deus avertat Christiani videantur esse subjecti.

---

1) *obedientiae* mss. Bened. — 2) *episcopi sui* add. Reg. B, Jes. A (om. v. *illius*). — 3) *dignitate sapientiae* Vet. coll. Reg. — 4) *et ad sacrum electi ministerium* Reg. B, Jes. A. — 5) *facere praesumpserit* Reg. B, Jes. A. 6) *praeclari decoris aetate* Reg. B, Jes. A. — 7) *constituendum* Reg. D. 8) *maculaverit* Reg. D. — 9) *vita* et deinde *intuitus* pro *intuitu*, Reg. D.

XIV. *Ut Judaei a coena domini ad secundam feriam paschae non vagentur et ut clericis honorem impendant.*

Ut Judaeis a coena domini usque ad primum pascha secundum edictum bonae recordationis domni Childeberti regis per plateas aut forum quasi insultationis causa deambulandi licentia denegetur, et ut reverentiam cunctis sacerdotibus domini vel clericis impendant; nec ante sacerdotes consessum nisi ordinati habere praesumant: qui hoc facere fortasse praesumpserit, a judicibus locorum prout persona fuerit distringatur.

XV. *Ut Judaeorum conviviis Christiani non participent.*

Ut nullus Christianus Judaeorum conviviis participare praesumat: quod si facere quicumque, quod nefas est dici, clericus aut saecularis praesumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum [1]), quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

XVI. *Ut nullus Christianus Judaeo deinceps serviat, et ut mancipia quae nunc sunt redimantur.*

Et licet quid de Christianis, qui aut captivitatis incursu aut quibuscumque fraudibus Judaeorum servitio implicantur, debeat observari non solum canonicis statutis sed et legum beneficio pridem fuerit constitutum, tamen quia nunc ita quorumdam querela exorta est, quosdam Judaeos per civitates aut municipia consistentes in tantam insolentiam et proterviam prorupisse, ut nec reclamantes Christianos liceat vel pretio de eorum [2]) servitute absolvi: idcirco praesenti concilio deo auctore sancimus, ut nullus Christianus Judaeos deinceps debeat deservire, sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis ipsum mancipium quicumque Christianus seu ad ingenuitatem seu ad servitium licentiam habeat redimendi, quia nefas est ut quos Christus dominus sanguinis sui effusione redemit persecutorum vinculis maneant irretiti. Quod si acquiescere his quae statuimus quicumque Judaeus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipio ipsi cum Christianis ubicumque voluerit habitare; illud etiam [3]) specialiter sancientes, quod si quis Judaeus Christianum mancipium ad errorem Judaicum convictus fuerit persuasisse, ut ipso mancipio careat et legali damnatione plectatur.

XVII. *De his qui alios ad perjurium seu falsum testimonium sollicitant et iis qui illis consentiunt.*

Id etiam pari conniventia placuit, quia in universo populo multi peccatis involuti esse dicuntur qui ambitionis instinctu sunt perjuriis irretiti, ut si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse aut quacumque corruptione [4]) sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non

---

1) *coercendum* Reg. B. Jes. A. — 2) *Judaeorum* (om. v. *de*) Reg. D. — 3) Haec et reliqua hujus canonis supplevit Sirmond. ex codice Lugdun.; efficiunt canonem 17. in Reg. B, in quo propterea sunt canones 20; desunt autem in D et reliquis. — 4) *aut per quamcumque corruptionem* Reg. B. —

communicet, hi vero qui ei in perjurio [1]) consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi et secundum legem [2]) infamia notabuntur.

XVIII. *De illis qui innocentes accusant.*

De his vero qui innocentes aut principi aut judicibus [3]) accusare convicti fuerint, si clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine regredetur; si vero saecularis, communione privetur, donec malum quod admisit per publicam poenitentiam digna satisfactione componat [4]).

XIX. *De Agnete monacha.*

Et licet priori titulo legatur definitum quid de puellis, quae se divinis cultibus aut parentum aut sua voluntate dicaverint debeat observari, tamen quia monacha nomine Agnes, quae de monasterii septis fuga ante aliquot annos discesserat, in eodem est monasterio revocata et dicitur instigante diabolo agellos vel quascumque res ad se pertinentes aliquibus potentibus velle donare, dummodo per eorum patrocinium se possit de intra monasterii sui septa subtrahere et voluptatibus [5]) saeculi clandestina vel singulari habitatione vacare: ideo praesenti constitutione sancimus, ut tam illa quam quaecumque alia monacha quae sub hac argumentatione se de religionis habitu ad illecebras saeculi subtrahere aut res suas pro tam iniquae deliberationis causa quibuscumque dare censuerit, tam illa quae hoc dare [6]) voluerit quam illi quicumque hoc acceperint, ne quod deus avertat ambitionis instinctu religionis videatur regula vitiari, tamdiu sint a communionis gratia sequestrati, quamdiu res ipsas iis a quibus has acceperant digna poenitentiae satisfactione restituant.

CONCILIUM LUGDUNENSE TERTIUM [7]).

I. *Ut episcopi, presbyteri et diaconi extraneas foeminas domi non habeant, et qui conjugati ordinantur ab uxoribus sequestrentur.*

Multa quidem anterioribus temporibus venerabilium patrum sanxit auctoritas, nunc tamen quia crescente deo propitio fide

---

1) *perjurio.* Vetus collect. Reg. — 2) Desunt haec verba *et sec. legem* in Reg. B. — 3) *apud principes aut judices* Reg. D. — 4) Desunt haec verba *donec malum etc.* in Reg. D. — 5) *voluntatibus* Reg. D. 6) *facere* Reg. D. — 7) Concilium istud in collectione (Paris.) regia 3887 recensetur hoc modo: *Item canones Lugdunensis* [concilii] *Priscus Lugdunensis episcopus, Siacrus* (Syagrius) *Aeduorum, Agricola Nevernensis consenserunt episcopi XXI.* Manuscriptorum aliorum defectu acta contulerunt Benedictini ad veteres editiones. —

oportet in clero vel populo catholico meliora salubri pontificum consilio renovari, idcirco beatissimorum patrum statuta reminiscentes hujus tituli definitione sancimus, ut nullum clericum ab ordine sancto antistitis usque ad subdiaconi gradum mulierem praeter matrem, amitam et sororem in hospitio suo habere liceat. Placuit etiam, ut si quicumque uxoribus juncti ad diaconatus aut presbyteratus ordinem quoquo modo pervenerint, non solum lecto sed etiam frequentatione quotidiana debeant de uxoribus suis sequestrari: quod si, quod deus avertat, de eorum familiari contubernio post acceptam benedictionem infans natus patuerit, ab officii gradu priventur.

II. *De epistolis captivorum caute examinandis et conscribendis.*

Id etiam de epistolis placuit captivorum, ut ita sint sancti pontifices cauti, ut in servitio pontificibus consistentibus, qui eorum manu vel subscriptione agnoscat epistolae aut quaelibet insinuationum literae dari debeant, quatenus de subscriptionibus nulla ratione possit deo propitio dubitari et epistola commendationis pro necessitate cujuspiam promulgata, dies datarum et pretia constituta vel necessitates captivorum quos cum epistolis dirigunt ibidem inserantur.

III. *De puellis quae a monasterio recedunt.*

Puellae vero quae conniventia parentum suorum se voluntarie dedicaverint et intra monasterium puellarum conclusionem elegerint, et se de eodem monasterio quacumque animi levitate aut vilitate corporis extra captivitatis incursum voluntate sua subtraxerint, et de conversatione religiosa cujuscumque vocationis spiritu saeculi delectationes elegerint: quousque in monasterium unde egressae sunt revertantur, a communionis gratia segregentur, viaticum tamen illis miserationis intuitu praebeatur.

IV. *De incestis conjunctionibus.*

De incestis vero conjunctionibus hoc placuit custodiri, quod prisca canonum statuta sanxerunt.

V. *Ut episcopi natale domini et pascha extra ecclesiam suam non celebrent.*

Ut nullus episcoporum natalem domini aut pascha alibi nisi ad ecclesiam suam, praeter infirmitatis incursum aut ordinem regium, celebrare praesumat.

VI. *De leprosis cujusque civitatis et territorii ut episcopi eorum curam gerant.*

Placuit etiam universo concilio, ut uniuscujusque civitatis leprosi, qui intra territorium civitatis ipsius aut nascuntur aut videntur consistere, ab episcopo ecclesiae ipsius sufficientia alimenta et necessaria vestimenta accipiant, ut illis per alias civitates vagandi licentia denegetur.

CONCILIUM MATISCONENSE SECUNDUM[1].

Residentibus Prisco, Evantio, Praetextato, Bertechranno, Artemio, Sulpitio metropolitanis episcopis cum omnibus consacerdotibus eorum, Priscus episcopus patriarcha dixit: Gratias agimus domino deo nostro, fratres et consacerdotes mei, qui nos in hoc die congregans alterna nos fecit[2] sospitate gaudere. Ceteri episcopi metropolitani[3] responderunt: Gaudemus, frater sanctissime, quod omnes episcopi qui in regno gloriosi domini[4] Guntramni regis episcopali honore funguntur, in uno se conspiciunt coadunati concilio; propterea indesinenter omnes nos orare oportet, ut dei omnipotentis majestas et regis nostri incolumitatem solita pietate conservet, et nos omnes qui membra sumus uno[5] sub nostro capite Christo coadunati, illa nos operari concedat quae serenitati ac majestati ejus rite complaceant. Universi episcopi dixerunt: Congratulamur et nos, patres sanctissimi, qui per intervalla temporum separati hodie noscimur post tot temporum curricula fraterna dilectione corporaliter jungi, ideoque petimus, ut quae tractanda sunt vobis praecipientibus celeriter pertractentur, ne nos saevae hiemis procellosa tempestas a sedibus propriis, quia longe sunt, longitudine sua[6] arceat. Metropolitani omnes dixerunt: Deo auxiliante communi deliberatione singula quae necessaria sunt a nobis definientur; hoc universae fraternitati vestrae suademus, ut ea quae spiritu sancto dictante per ora omnium nostrorum terminata fuerint per omnes ecclesias innotescant, ut unusquisque quid observare debeat sine aliqua excusatione condiscat. Quoniam nos individua trinitas, quemadmodum spiritu, corpore quoque in uno copulavit conventu, debemus sapienti consilio omnibus subvenire, ne forte taciturnitas nostra et nobis praejudicium divinitatis afferat et subjectos in tentationem inducat.

I. *De intermisso diei dominicae cultu restituendo.*

Videmus enim populum Christianum temerario more diem dominicam contemptui tradere, et sicut in privatis diebus operibus continuis indulgere. Propterea per hanc synodalem nostram epistolam decernimus, ut unusquisque nostrum in sacrosanctis ecclesiis admoneat sibi subditam plebem; et si quidem admonitioni consensum praebuerint, suis proderunt utilitatibus; sin autem, subjacebunt poenis a nobis divinitus definitis. Omnes itaque Christiani, qui non incassum hoc nomine fruimini, nostrae admonitioni aurem accommodate, scientes quoniam nostrae est auctoritatis utilitati vestrae prospicere et

---

1) Collatum ad mss. codd. Reg. D, a, veterem collectionem regiam 3887, Jes. C. — 2) *facit* Reg. D. — 3) *metropolitani* deest in Reg. D. 4) *domni* Reg. D. — 5) *unius*, om. v. *Christo*, Reg. D, a. — 6) *a sedibus propriis longitudine sua quantum longe est* Reg. D, a. —

a malis operibus coercere. Custodite diem dominicam quae nos denuo peperit et a peccatis omnibus liberavit; nullus vestrum litium fomitibus vacet; nullus [1]) causarum actiones exerceat; nemo sibi talem necessitatem exhibeat quae jugum cervicibus juvencorum imponere cogat; estote omnes in hymnis et laudibus dei animo corporeque intenti; si quis vestrum proximam habet ecclesiam, properet ad eamdem et ibi dominico die semetipsum precibus lacrymisque afficiat; sint oculi manusque vestrae toto illo die ad deum expansae; ipse est enim dies requietionis perpetuus, ipse nobis per septimae diei umbram insinuatus noscitur in lege et prophetis; justum igitur est, ut hanc diem unanimiter celebremus per quam facti sumus quod non fuimus: fuimus enim ante servi peccati, sed per eam facti sumus servi [2]) justitiae; exhibeamus domino liberam servitutem, cujus nos novimus pietate de ergastulis liberatos erroris, non quia hoc dominus noster a nobis expetit, ut corporali abstinentia diem dominicam celebremus, sed quaerit obedientiam per quam nos calcatis terrenis actibus ad coelum usque misericorditer provehat. Si quis itaque vestrum hanc salubrem exhortationem parvi penderit aut contemptui tradiderit, sciat se pro qualitatis merito principaliter a deo puniri, et deinceps sacerdotali quoque irae implacabiliter subjacere: si causidicus fuerit, irreparabiliter causam omittet [3]); si rusticus aut servus, gravioribus fustium ictibus verberabitur; si clericus aut monachus, mensibus sex a consortio suspendetur fratrum. Haec namque omnia et placabilem erga nos dei animum reddunt, et plagas morborum vel sterilitatem amovent atque repellunt. Noctem quoque ipsam, quae nos inspiratae [4]) luci inaccessibili reddit, spiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea quemadmodum dormitant qui nomine tenus [5]) Christiani esse noscuntur, sed oremus et vigilemus operibus sacris, ut digni habeamur in regno haeredes fieri salvatoris.

II. *De paschate per sex dies festos agendo.*

Pascha itaque nostrum, in quo summus sacerdos et pontifex pro nostris delictis nullam habens obnoxiationem [6]) peccati immolatus est, debemus omnes festissime colere et sedulae observationis sinceritate in omnibus venerari, ut illis sanctissimis sex [7]) diebus nullus servile opus audeat facere; sed omnes simul coadunati hymnis paschalibus indulgentes [8]) perseverationis nostrae praesentiam quotidianis sacrificiis ostendamus, laudantes creatorem ac regeneratorem nostrum vespere, mane et meridie.

III. *De baptismo in paschate celebrando.*

Relatione quorumdam fratrum nostrorum comperimus, Christianos non observantes legitimum diem baptismi, paene per

---

1) *ex vobis* add. Reg. D. — 2) *filii* Reg. D. — 3) *amittat* Reg. D. 4) *insperatae* Reg. D. — 5) *nomine actenus* Reg. a. — 6) *obnoxietatem* editiones. — 7) *sanctis singulis* Jes. C. — 8) *intendentes* Jes. C. —

singulos dies ac natales martyrum filios suos baptizare, ita ut vix duo vel tres repetiantur in sancto pascha qui per aquam et spiritum sanctum regenerentur. Idcirco censemus, ut ex hoc tempore nullus eorum permittatur talia perpetrare, praeter illos quos infirmitas nimia aut dies extremus compellit filiis suis baptismum percipere; ideoque praesentibus admonitionibus a suis erroribus vel ignorantia revocati, omnes omnino a die quadragesima cum infantibus suis ad ecclesiam observare praecipimus, ut impositionem manuum certis diebus adepti et sacri olei liquore peruncti, legitimi diei festivitate fruantur et sacro baptismate regenerentur, quo possint et honoribus, si vita comes fuerit, sacerdotalibus fungi, et singularis celebrationis solemnitate frui.

IV. *De oblationibus in omnibus dominicis diebus populo faciendis.*

Residentibus nobis in sancto concilio cognovimus quosdam Christianos relicto fratrum coetu a mandato dei aliquibus locis deviasse, ita ut nullus eorum legitimo obsecundationis parere velit officio deitatis, dum sacris altaribus nullam admovent hostiam. Propterea decernimus ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur tam panis quam vini, ut per has immolationes et peccatorum suorum fascibus careant, et cum Abel vel ceteris juste offerentibus promereantur esse consortes. Omnes autem qui definitiones nostras per inobedientiam evacuare contendunt, anathemate percellantur [1].

V. *De decimis a populo clericis ex antiquo more solvendis.*

Omnes igitur reliquas [2]) fidei sanctae catholicae causas, quas temporis longitudine cognovimus deterioratas fuisse, oportet nos ad statum pristinum revocare, ne nobis simus adversarii, dum ea quae cognoscimus ad nostri ordinis qualitatem pertinere, aut non corrigimus aut quod nefas est silentio praeterimus. Leges itaque divinae, consulentes sacerdotibus ac ministris ecclesiarum, pro haereditatis [3]) portione omni populo praeceperunt decimas fructuum suorum locis sacris praestare, ut nullo labore impediti horis legitimis spiritualibus possint vacare ministeriis [4]): quas leges Christianorum congeries longis temporibus custodivit intemeratas, nunc autem paulatim praevaricatores legum paene Christiani omnes ostenduntur, dum ea quae divinitus sancita sunt adimplere negligunt. Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus a fidelibus reparetur et decimas ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat, quas sacerdotes aut in pauperum usum aut in captivorum redemptionem praerogantes, suis orationibus pacem populo ac salutem impetrent; si quis autem contumax nostris statutis saluberrimis fuerit, a membris ecclesiae omni tempore separetur.

---

1) *Omnis .. contendit ... percellatur* Reg. D. — 2) *religiosae* Reg. D, a. 3) *haereditaria* Reg. D. — 4) *mysteriis* Reg. D. —

VI. *De missis nonnisi a jejunis celebrandis.*

Item decernimus, ut nullus presbyter confertus cibo aut crapulatus vino sacrificia contrectare aut missas privatis festisque [1]) diebus concelebrare praesumat; injustum est enim, ut spirituali alimento corporale praeponatur; sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali causa et in conciliis Africanis definitum est, quam definitionem nostro [2]) quoque dignum duximus sociare decreto; et ad locum: *Ut sacramenta altaris nonnisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario quo coena domini celebratur* [3]). Quaecumque reliquiae sacrificiorum post peractam missam in sacrario supersederint, quarta vel sexta feria innocentes ab illo cujus interest ad ecclesiam adducantur, et indicto iis jejunio easdem reliquias conspersas vino percipiant.

VII. *De libertorum causis ab episcopis judicandis.*

Quae dum postea universo coetui secundum consuetudinem recitata innotescerent, Praetextatus et Pappulus viri beatissimi dixerunt: Decernat itaque et de miseris libertis vestrae auctoritatis vigor insignis, qui ideo plus a judicibus affliguntur quia sacris sunt commendati ecclesiis, ut si quas quispiam dixerit contra eos actiones habere, non audeat eos magistratui contradere, sed in episcopi tantum judicio, in cujus praesentia litem contestans [4]) quae sunt justitiae ac veritatis audiat; indignum est enim, ut hi qui in sacrosancta ecclesia jure noscuntur legitimo manumissi, aut per epistolam aut per testamentum aut per longinquitatem temporis libertatis jure fruuntur, a quolibet injustissime inquietentur. Universa sacerdotalis congregatio dixit: Justum est, ut contra calumniatorum omnium versutias defendantur qui patrocinium immortalis ecclesiae concupiscunt, et quicumque a nobis de libertis latum [5]) decretum superbiae ausu praevaricare tentaverit, irreparabili damnationis suae sententia feriatur; sed si placuerit episcopo [6]) ordinarium judicem aut quemlibet alium saecularem in audientiam eorum accersiri, cum libuerit fiat, ut nullus alius audeat causas pertractare libertorum, nisi episcopus cujus interest, aut is cui idem audiendum tradiderit.

VIII. *De reis ab ecclesia non extrahendis.*

Item Christianae religionis negotia pertractantes comperimus, quosdam pseudochristianos de sacrosanctis ecclesiis suae religionis oblitos fugitivos subtrahere; ideoque vim illatam nequaquam inultam relinquentes censemus pro dei timore, ut quicumque culpa compellente aut potentum importunia non sustinens suae gremium matris ecclesiae petierit, usque in prae-

---

1) *feriatisque* Reg. D. — 2) *nostrae,* om. v. *decreto,* Reg. D. — Concil. Carthag. III., 29 (Cod. eccl. Afric. c. 41). — 3) Reg. D, a hunc locum ita reddunt: *Sacramenta excepta quinta feria paschae nisi jejunio concelebrentur.* — 4) *in cujus patrocinio praesentialiter constans* Reg. D.
5) *lectum* Reg. D. — 6) *secum* add. Reg. D, a.

sentiam sacerdotis in eodem loco inconcusse permaneat, nulli permittentes quolibet dignitatis gradu functo, fugitivo etiam in locis sacris violentiam inferre. Si enim mundani principes suis legibus censuerunt ut quicumque ad eorum statuas fugerit illaesus habeatur, quanto magis hi permanere debent indemnati, qui patrocinia immortalis regni et coelestis adepti sunt [1])? Si tamen aliquo facto tenentur obnoxii qui ad ecclesiam sunt a fuga versi, coram sacerdote culpae eorum innotescant, et ipse consultum ferat qualiter dei habitaculum per subtractionem non violetur illorum.

IX. *De episcopis ad saecularia judicia non trahendis.*

Licet reventissimi canones atque sacratissimae leges de episcopali audientia in ipso paene christianitatis principio sententiam protulerint, tamen quoniam eadem postposita humana in sacerdotes dei grassatur temeritas, ita ut eos de atriis venerabilium ecclesiarum violenter abstractos ergastulis publicis addicant, censemus ut episcopum nullus saecularium fascibus praeditus jure suo contumaciter et perperam agens de sancta ecclesia, cui praeest, trahere audeat, sed si quid contentionis [2]) adversus episcopum potentior persona habuerit, pergat ad metropolitanum episcopum et ei causas alleget, et ipsius sit potestatis honorabiliter episcopum de quo agitur evocare, ut in ejus praesentia accusatori respondeat et oppositas sibi actiones extricet [3]). Quod si talis fuerit immanitas causae ut eam solus metropolitanus definire non valeat, advocet secum unum vel duos coepiscopos: quod si et ipsis dubietas fuerit, conciliabulum definito die vel tempore instituant, in quo universa rite collecta fraternitas coëpiscopi sui causas discutiat et pro merito aut justificet aut culpet. Nefas est enim, ut illius manibus episcopus aut jussione de ecclesia trahatur, pro quo semper deum exorat, et cui invocato nomine domini ad salvationem corporis animaeque eucharistiam saepe porrexit. Hoc enim decretum a nobis praefixum qui fuerit audacter transgressus, tam ipse quam omnes qui ei consenserint usque ad generale concilium anathemate de ecclesia separentur [4]).

X. *De clericis coram episcopo conveniendis.*

Quod de episcopis censuimus obtinet [5]) et in clero [6]), ut neque presbyter neque diaconus neque subdiaconus de ecclesiis trahantur aut injuriam aliquam inscio episcopo eorum patiantur, sed quidquid quis adversus eos habuerit, in notitiam episcopi proprii perducat, et ipse causam justitia praeeunte discutiens, animo clericos accusantis satisfaciat.

XI. *De hospitalitate servanda.*

Sectatores nos hospitalitatis esse non solum dominus Jesus

---

1) *immortalis reginae adepti sunt coelestis* Reg. D, a. — 2) *si aliquas intentiones* Reg. D, a. — 3) *exerceat* Reg. D. — 4) *suspenduntur* Reg. D, — 5) *obtineat* Reg. D, a. — 6) Desunt haec verba: *Quod de episc. etc.,* in veteri collect. Reg. —

admonet, cum se dicit in hospite receptum fuisse, sed etiam ejus apostolus omnibus paene suis praeceptis; propterea, beatissimi fratres, unumquemque nostrum oportet non solum semetipsum ad hoc opus hortari [1]) sed etiam omnium fidelium mentes, ut possint apud deum misericordiae operibus pro nostris peccatis intercedere et nos ei per puram [2]) hospitalitatem reconciliare. Si quis ergo nostrum non admonuerit aut exemplum exhortationis suae ipse prius opere non comprobarit, indignationem procul dubio incurret domini majestatis. Praedicetur hoc nostrae mediocritatis statutum in auribus omnium Christianorum.

XII. *De viduis et pupillis nonnisi coram episcopis judicandis.*

Quid autem scriptura divina de viduis et pupillis praecipiat, nobis clam non est; ideoque, quoniam provisioni nostrae deo auctore causae [3]) principaliter viduarum et pupillorum sunt commissae, pervenit ad nos quod a judicibus crudelius pro levissimis causis veluti defensore carentes irremediabiliter affligantur: ob quam causam decernimus ut judices non prius viduas et pupillos conveniant, quam episcopo nuntiarint cujus sub velamine degunt. Quod si episcopus praesens non fuerit, archidiacono vel presbytero cuidam ejus, ut pariter sedentes, communi deliberatione causis eorum terminos figant, ita juste ac recte ut deinceps de talibus antedictae personae non conquassentur [4]). Quod si is qui judex est aut impetitor iis aut injuriam aliquam ingesserit, aut definitionem tanti concilii transgressus fuerit, a communione suspendatur. Quibus igitur magnarum rerum causae [5]) commissae sunt, nec minimarum dignum est causas parvipendere personarum; solent enim et minima paulatim despecta in magnum malum trahere.

XIII. *De canibus et accipitribus ab episcopis non alendis.*

Propterea tractatis omnibus quae divinae legis vel humani juris fuerunt et ad finem usque perductis, putavimus congruum esse de canibus etiam [6]) vel accipitribus aliqua statuere; volumus igitur quod episcopalis domus, quae ad hoc deo favente instituta est ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat, ne forte hi qui in ea miseriarum suarum levamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Custodienda est igitur episcopalis habitatio hymnis, non latratibus, operibus bonis, non morsibus venenosis. Ubi igitur dei est assiduitas cantilenae, monstrum est et dedecoris nota canes ibi vel accipitres habitare.

XIV. *De violentia potentum in miseros coercenda.*

Ex interpellatione quorumdam cognovimus, quod calcatis

---

1) *aptare* Reg. D. — 2) *per ipsam* Reg. D. — 3) *curae* Reg. D. — 4) *quassentur* Collect. Divion., *causentur* Andegav. ap. Sirmond. — 5) *curae* Reg. a. — 6) *scribere* add. hoc loco Reg. D, demptis vocibus istis *aliqua statuere*. —

canonibus et legibus hi qui lateri regis adhaerent vel aliqui qui potentia saeculari inflantur, res alienas competere et nullis exertis actionibus aut convictionibus praerogatis miseros non solum de agris sed etiam de domibus propriis exulare; idcirco in remedium consulentes decernimus, ut deinceps hujus mali licentiam quispiam non habeat, sed secundum canonum atque legum tenorem causarum suarum actionem proponat, ut nullus miserorum rebus suis per vim aut assentationem quamlibet defraudetur. Illi autem qui contra dispositum non solum nostrum sed etiam antiquorum patrum et regum venire tentaverint, procellosi anathematis ultione plectantur.

XV. *De honore clericis honoratioribus a saecularibus exhibendo, adeo ut clerico pedestri eques obviam saecularis ad terram desiliat.*

Et quia ordinationi sacerdotum annuente deo congruit de omnibus disponere et causis singulis honestum terminum dare, ut per hos reverentissimos canones et praeteritorum canonum viror ac florida germina maturis fructibus enitescant, statuimus ut si quis saecularium quempiam clericorum honoratorum in itinere obvium habuerit [1]), usque ad inferiorem gradum honoris veneranter sicut condecet Christianum illi colla subdat, per cujus officia et obsequia fidelissima christianitatis jura promeruit. Et si quidem ille saecularis equo vehitur clericusque similiter, saecularis galerum de capite auferat et clerico sincerae salutationis munus adhibeat. Si vero clericus pedes graditur et saecularis vehitur equo sublimis, illico ad terram defluat et debitum honorem praedicto clerico sincerae caritatis exhibeat, ut deus, qui vera caritas est, in utrisque laetetur, et dilectioni suae utrumque adsciscat. Qui vero haec quae spiritu sancto dictante sancita sunt transgredi voluerit, ab ecclesia quam in suis ministris dehonorat, quamdiu episcopus illius ecclesiae voluerit suspendatur.

XVI. *De uxoribus clericorum, ne post eorum mortem ineant secunda matrimonia.*

Illud quoque rectum nobis visum est disponere, ut quae uxor subdiaconi vel exorcistae vel acolythi fuerat, mortuo illo secundo se non audeat sociare matrimonio: quod si fecerit, separetur et in coenobiis puellarum dei tradatur, et ibidem usque ad exitum vitae suae permaneat.

XVII. *De alieno sepulturae jure non usurpando.*

Comperimus multos necdum marcidatis mortuorum membris sepulcra reserare, et mortuos suos superimponere, vel aliorum, quod nefas est, mortuis suis religiosa loca usurpare, sine voluntate scilicet domini sepulcrorum; ideoque statuimus, ut nullus deinceps hoc peragat: quod si factum fuerit, secundum

---

1) *si quis saecularium honoratorum in itinere obviam habuerit aliquem ecclesiasticorum graduum* Reg. D. —

legum decreta [1]) superimposita corpora de iisdem tumulis rejactentur.

XVIII. *De incestuosis copulationibus vitandis.*

Incestam copulationem in qua nec conjux nec nuptiae recte appellari leges sanxerunt, catholica omnino detestatur atque abominatur ecclesia, et gravioribus poenis eos afficere promittit qui nativitatis suae gradus libidinoso ardore contemnentes in merda, quod nefas est, sua ut sues teterrimi convolvuntur.

XIX. *De clericis ne forum criminale frequentent nec reorum neci intersint.*

Cognovimus etiam quosdam clericorum infrunitos ad forales reorum sententias frequenter accedere; propterea prohibitionis eorum accessus hunc canonem protulimus, definientes ut ad locum examinationis reorum nullus clericorum accedat, neque intersit atrio sauciolo ubi pro reatus sui qualitate quispiam interficiendus est. Si tamen nunc aliquis eorum definita contemnens illuc accesserit aut interfuerit, defraudatus honesti honoris stola illis gregibus examinatorum societur, quos divinis praetulit mysteriis.

XX. *De concilio tertio quoque anno celebrando.*

Universae fraternitatis deliberatione ac definitione complacuit, ut antiquorum patrum juribus in omnibus custoditis ad synodum post trietericum tempus omnes conveniant, ut de alterna principaliter sospitate exhilarati causas exsurgentes tam divinae religionis quam humanae necessitatis discutiant, et omnibus justum aequumque finem imponant. Et hoc adimplere sollicitudinis sit metropolitani Lugdunensis episcopi una cum dispositione magnifici principis nostri, prius definientis locum mediterraneum ad quem omnes episcopi sine labore alacres congregentur. Et si aliquis eorum contumax fuerit aut excusationem falsae necessitatis quare non intersit invenerit, et postea publicatum fuerit quod inepta erat ejus excusatio, volumus ut usque ad concilium universale a communione et caritate fraterna maneat alienus.

CONCILIUM PARISIENSE QUINTUM [2]).

Cum in dei nomine secundum priscorum sanctorum patrum constitutionem in urbe Parisiis ex evocatione gloriosissimi prin-

---

[1]) *auctoritatem* Reg. D. — [2]) Hoc concilium cum sequentibus omnibus e collectione Mansi exhibemus, cum Benedictinorum collectionis tomus primus nonnisi ad ann. 590 extensus sit. —

cipis domni Clotacharii regis in synodali concilio convenissemus tam pro renovandis antiquorum canonum statutis quae praesentis temporis necessarium facit opertunitas iterari, quam his quae ad surgentes undecumque querelarum materias recentis definitionis ordo poposcit institui, tractantes quid principis, quid saluti populi utilius competeret vel quid ecclesiasticus ordo salubriter observaret:

I. *De episcoporum electionibus juxta canones observandis.*

Primo in loco ut canonum instituta ab omnibus conserventur, et quod per priora temporum spatia praeceptum est vel deinceps perpetualiter observetur: hoc est, ut decedente episcopo in loco ipsius ille Christo propitio debeat ordinari quem metropolitanus, a quo ordinandus est, cum comprovincialibus suis, clerus vel populus civitatis, absque ullo commodo vel datione pecuniae elegerint; quod si aliter aut potestate subrepat aut quacumque negligentia absque electione metropolitani, cleri consensu vel civium fuerit in ecclesia intromissus, ordinatio ipsius secundum statuta patrum irrita habeatur.

II. *Ut episcopo superstite nullus illi subrogetur.*

Ut nullus episcoporum se vivente alium in loco suo eligat, nec qualiscumque persona illo superstite locum ipsius sub quocumque argumento vel ingenio adoptare praesumat nec a quoquam debeat ordinari, nisi certae conditiones extiterint ut ecclesiam suam et clerum regere non possit.

III. *Ut clerici contra episcopos suos potentiorum patrocinia non quaerant.*

Ut si quis clericus quolibet honore munitus contempto episcopo suo ad principem vel ad potentiores homines vel ubi et ubi ambularit vel sibi patronos elegerit, non recipiatur praeter ut veniam debeat promereri: quod si fecerit, qui ipsum post admonitionem pontificis sui retinere praesumpserit, noverint se utrumque priorum canonum sententia damnandos.

IV. *Ut clerici a judice saeculari absque episcopi consensu non distringantur.*

Ut nullus judicum neque presbyterum neque diaconum vel clericum ullum aut juniores ecclesiae sine scientia pontificis per se distringat aut damnare praesumat: quod si fecerit, ab ecclesia cui injuriam irrogare dignoscitur tamdiu sit sequestratus, quamdiu reatum suum corrigat [1]) et emendet.

V. *Ut liberti ab episcopis defensentur.*

Liberti quorumcumque ingenuorum a sacerdotibus defensentur nec ad publicum ulterius revocentur: quod si quis ausu temerario eos imprimere voluerit aut ad publicum revocare, et admonitus per pontificem ad audientiam venire neglexerit aut emendare quod perpetravit distulerit, communione privetur.

---

1) *cognoscat* in m. M. —

VI. *Ut non subducantur quae ad sarta tecta ecclesiis fuerint delegata.*

Quaecumque pro sartis tectis ecclesiis fuerint delegata, in potestate pontifices, presbyteri vel servientes sanctorum locorum secundum voluntatem conferentis ad se debeant revocare: quod si aliquid exinde quicumque abstulerit, noverit se ab ecclesia sequestratum quoadusque ea quae abstulit studuerit reformare.

VII. *Ut defuncti episcopi aut clerici cujuscumque res ante cognitum testamentum contingere nemo praesumat.*

His etiam constitutionibus adnecti placuit, ut defuncto episcopo, presbytero vel diacono vel quoquam junioris ordinis clerico non per praeceptum neque per judicem nec per qualemcumque personam res ecclesiae vel eorum propriae, quousque aut testamentum aut qualemcumque obligationem fecerit cognoscatur, a nullo penitus suprascriptae res contingantur, sed ab archidiacone vel clerico in omnibus defensentur et conserventur: quod si quis immemor definitionis hujus temere aliquid exinde auferre praesumpserit aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit et de dominatione ecclesiae abstulerit, ut necator pauperum communione privetur.

VIII. *Ut quae abbates aut presbyteri morientes relinquunt ab episcopo vel archidiacono non usurpentur sed in eo loco maneant ubi relicta sunt.*

Comperimus denique cupiditatis instinctu, deficiente abbate, presbytero vel his qui per titulos deserviunt, praesidium quodcumque in mortis tempore dereliquerint, ab episcopo vel archidiacono diripi et quasi sub augmentum ecclesiae vel episcopi in usum esclesiae revocari, et ecclesiam dei per pravas cupiditates expoliatam relinqui. Statuimus observandum, ut neque episcopus aut archidiaconus exinde aliquid auferre praesumat, sed in loco ubi moriens hoc dereliquerit, perpetualiter debeat permanere [1]).

IX. *Ut nemo alterius episcopi vel ecclesiae res competere aut pervadere audeat.*

Id etiamnum adjungi censuimus, ut neque episcopus clericorum vel saecularium cujuscumque alterius episcopi seu ecclesiae seu privatas res aut regnorum defensionem aut provinciarum sequestrationem [2]) competere aut pervadere audeat, aut quacumque acceptatione aut pervasione possidere aut retinere praesumat: quod si quis hoc facere tentaverit, tamdiu sit ab omnium caritate suspensus vel a communionis gratia sequestratus, quousque res ablatas cum fructuum satisfactione restituat.

---

1) Hic deesse videtur aliquid. M. — 2) *aut interregnorum defensione aut provinciarum sequestratione* in m. M. —

X. *Ut ratae sint donationes episcoporum et clericorum ecclesiae vel aliis factae* [1].

Et quia multae tergiversationes infidelium ecclesiam dei quaerunt collatis privare donariis, secundum constitutionem praecedentium pontificum id convenit inviolabiliter observari, ut testamenta quae episcopi, presbyteri seu inferioris ordinis clerici vel donationes aut quaecumque instrumenta propria voluntate confecerint, quibus aliquid ecclesiae aut quibuscumque personis conferre videantur, omni stabilitate subsistant; specialiter statuentes, ut etiamsi quorumcumque religiosorum voluntas aut necessitate aut simplicitate faciente aliquid a legum saecularium ordine visa fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconvulsa manere et in omnibus deo auspice custodiri. De quibus rebus si quis animae suae contemptor aliquid alienare praesumpserit, usque ad emendationis suae vel restitutionis rei ablatae tempus a consortio ecclesiastico vel a Christianorum convivio habeatur alienus.

XI. *Ut episcopus cum episcopo controversiam habens non ad judicem publicum sed ad metropolitani sui judicium recurrat.*

Placuit etiam secundum constitutionem anteriorem, ut si quis episcoporum cum coëpiscopo suo quodcumque negotium exequi voluerit, ad judicium metropolitani sui recurrat: quod si spreto metropolitano vel reliquis comprovincialibus judicem publicum adierit, tamdiu a caritate metropolitani habeatur extraneus quamdiu in proxima synodo coram fratribus facti hujus debeat reddere rationem.

XII. *De monachis et monialibus vagis ad septa monasterii per episcopos revocandis.*

Illud etiam unanimi consensu convenit, quod si quis monachus aut monacha in congregatione positi religiosam conversationem elegerint et postea aut ad parentes aut ad propriam quamcumque substantiam se de congregatione ipsa subtraxerint, et ab episcopo suo per epistolam admoniti ad septa monasterii sui redire distulerint, sint usque ad exitum vitae a communione suspensi, nec prius ad eucharistiae gratiam admittantur, quam ad ovile suum, de quo se vagationis insolentia visi sunt subtraxisse, cum humillimae supplicationis debeant satisfactione reverti.

XIII. *De viduis et puellis quae rejecto religionis habitu nuptias inount excommunicandis.*

De viduabus et puellis quae sibi vestes in habitu religionis in domibus propriis tam a parentibus quam per se ipsas mutaverint, et se postea contra statuta patrum vel praecepta canonum conjugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur a communione suspensi, quousque quod illicite perpetraverunt emendent, aut si emendare neglexerint a communione

1) v. Conc. Lugdun. II. c. 2.

ecclesiastica vel omnium Christianorum convivio in perpetuum sint sequestrati.

XIV. *De incestis conjunctionibus dissolvendis.*

Incestas vero conjunctiones ab omni Christianorum populo censuimus specialiter resecari, ita ut si quis relictam fratris, sororem uxoris, privignam, consobrinam, sobrinam vel relictam item patrui atque avunculi vel in religionis habitu deditam conjugii crediderit consortio violandam, tamdiu a communionis gratia segregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus sequestratione manifestissima debeat abstinere.

XV. *Ut nullus Judaeorum publicam actionem ullam super Christianos exerceat aut ab episcopo cum omni familia sua baptizetur.*

Ut nullus Judaeorum qualemcumque militiam aut actionem publicam super Christianos aut petere a principe aut agere praesumat: quod si tentaverit, ab episcopo civitatis illius ubi actionem contra canonum statuta competiit cum omni familia sua baptizandi gratiam consequatur.

CANONES
EX SYNODO INCERTI LOCI [1]).

I. *De servandis constitutionibus concilii Parisiensis.*

Ut constitutiones illae quae Parisiis sunt decretae, hoc est tam a dominis sacerdotibus quam a domno Chlothacario rege, juxta priscas patrum constitutiones in omnibus conserventur, quia in nullo fidei catholicae vel ecclesiasticae regulae contrariae sunt inventae.

II. *De altarium consecratione.*

Ut altaria alibi consecrari non debeant, nisi in his tantum ecclesiis, ubi corpora sepulta non sint.

IV. *Ut monachi juxta regulam vivant.*

Ut monachi juxta regulam vivant, nec sequestrati per cellas habitent vel convivant, et peculiare nullum habeant, sed juxta apostolum sint iis omnia communia [2]), sicut abbatis vel praepositi dispensatio justa perpenderit.

---

[1]) In eodem codice Remensi unde petitum est illud concilium Parisiense V. subjiciebantur canones alterius synodi, qui titulo carebant; quot numero iidem fuerint, incertum est quia mutilum erat exemplar quod in XVI. desinebat, plures fuisse indicabat. Ex his porro reliquiis carie situque deformatis decem dantaxat excerpere canones licuit qui sequuntur. Sirmond. — [2]) Act. 2, 45. 4, 32. —

V. *De nonnullis in monasterio fieri vetitis.*

Ut intra septa monasterii non baptizetur nec missae defunctorum saecularium celebrentur nec saecularium corpora ibidem sepeliantur, forsitan permissu pontificis.

VIII. *De interdicta clericis cohabitatione mulierum.*

Illud specialiter decernimus, ut nullus episcopus vel presbyter aut diaconus vel clericus honore munitus mulierem in domo sua habeat praeter matrem, sororem et amitam: quod si quis super statuta canonum deinceps habere praesumpserit, juxta arbitrium pontificis sententia canonica feriatur et illa ut adultera condemnetur.

IX. *De iis qui ad ecclesias confugiunt.*

De his qui ad ecclesias confugium faciunt, ut ecclesiae status in omnibus firmo robore persistat, nullus de ecclesia violenter trahatur nec confugiendi jus in ecclesiam subtrahatur; sed nec vinculis aut ferro qui in ecclesiam confugerit colligetur.

XI. *De abbatibus et archipresbyteris sine culpa non removendis nec per praemia ponendis et ne saeculares archipresbyteri ponantur.*

Ut abbates vel archipresbyteri absque culpa de ecclesiastico ministerio removeri non debeant, nec per praemia nullus abbas vel archipresbyter ponantur: quod si quis facere praesumpserit communione privetur. Nec saeculares archipresbyteri ponantur; forsitan si talis fuerit quem pro merito personae in solatium ecclesiae pontifex necessarium esse judicet, ut sine ejus defensione paroeciani illi se defensare non possint.

XII. *Ut presbyteri et diaconi uxores ducere non praesumant.*

Presbyteri vel diaconi se nulla ratione nubere praesumant: quod si praesumpserint, ab ecclesia sequestrentur.

XIII. *De excommunicatis per vicinas civitates vel paroecias indicandis.*

De excommunicatis placuit, si quis pro crimine suo ab episcopo vel presbytero fuit communione privatus, episcopus vel presbyter et facinus excommunicati et privationem communionis vicinis civitatibus vel paroeciis studeant indicare: quod si quis, ad ejus postquam notitiam venerit, usque audientiam cum ipso communicare praesumpserit, biennio communione privatus ab ecclesia sequestretur.

XIV. *De ingenuis qui se ipsos vendiderint vel oppigneraverint.*

De ingenuis qui se pro pecunia aut alia re vendiderint vel oppigneraverint, placuit ut quando quidem pretium quantum pro ipsis datum est invenire potuerint, absque dilatione ad statum suae conditionis reddito pretio reformentur, nec amplius

quam pro iis datum est requiratur; et interim, si vir ex ipsis uxorem ingenuam habuerit aut mulier ingenuum habuerit maritum, filii qui ex ipsis nati fuerint in ingenuitate permaneant.

XV. *De antiquis dioecesibus.*

Si quis Christianorum dioecesem, quae ab anterioribus episcopis.[1] . . . .

CONCILIUM REMENSE[2].

I. *De rebus ecclesiae quae per precariam impetrantur.*

De rebus ecclesiae qualiter tractandae sint, et de his quae per precatorium impetrantur ab ecclesia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in jus proprium usurpentur et ecclesiae defraudentur.

II. *De clericis contra episcopum conspirantibus.*

De clericis si qui rebellionis causa sacramentis se aut scripturae conjuratione constrinxerint atque insidias episcopo suo callida allegatione confecerint, ut si admoniti emendare contempserint gradu proprio omnino priventur.

III. *Ut canones synodi Parisiacae observentur.*

Ut capitula canonum Parisiis acta in generali synodo in basilica sancti Petri Clotarii regis studio congregata omni firmitate custodiantur.

IV. *Ut haeretici si qui sint inquirantur et ad fidem revocentur.*

Ut si qui haeretici adhuc esse suspicantur in Galliis, a pastoribus ecclesiarum perquirantur, et si veraciter fuerint inventi, ad fidem catholicam revocentur.

V. *Ut temere nullus excommunicetur, et qui se injuste damnatos putant ad synodum recurrant.*

Ut temere nullus excommunicetur, et si excommunicatus existimat se injuste damnatum, in proxima synodo habeat licentiam reclamandi; et si injuste damnatus fuerit, absolvatur, sin autem juste, impositum poenitentiae tempus exsolvat.

VI. *Ut clerici a judice publico non distringantur, et qui publico censu tenentur religiosi seu clerici non fiant sine permissu.*

Ut si quis judex cujuslibet ordinis clericum publicis actionibus inclinare praesumpserit, aut pro quibuslibet causis absque conscientia et permissu episcopi distringere aut contumeliis

---

1) Hic codex ms. deficit. — 2) Ex Flodoardi historia ecclesiae Remensis libr. 2. c. 5. —

vel injuriis afficere praesumpserit, communione privetur; episcopus tamen de reputatis conditionibus clericorum negligentias emendare non tardet; hi vero quos publicus census spectat, sine permissu principis vel judicis se ad religionem sociare non audeant.

VII. *De iis qui ad ecclesias confugiunt defensandis, sic tamen ut libertatem nisi promissa poenitentia non accipiant.*

Si quis fugitivum ab ecclesia, absque sacramento, quo ei jurandum est ut de vita, tormento et truncatione securus exeat, qualicumque occasione abstraxerit, communione privetur; similiter si quis jus sacramenti praestitum violaverit, communione privetur; ille vero qui sanctae ecclesiae beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi accipiat libertatem, quam poenitentiam se pro scelere esse facturum promittat et quod ipsi canonice imponetur impleturum.

VIII. *De incestis conjunctionibus et poenis eorum qui his se conjungunt.*

De incestis conjunctionibus, si quis infra praescriptum canonibus gradum incestuoso ordine cum his personis quibus a divinis regulis prohibetur se conjunxerit, nisi poenitentiam sequestratione testentur, communione priventur, et neque in palatio militiam neque agendarum causarum licentiam habeant. Et quando praedicti se incestuosi conjunxerint, episcopi seu presbyteri in quorum dioecesi vel pago actum fuerit regi vel judicibus scelus perpetratum annuntient, ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent et res eorum ad proprios parentes perveniant, sub ea conditione ut antequam sequestrentur per nullum ingenium neque per parentes neque per emptionem neque per auctoritatem regiam ad proprias perveniant facultates, nisi praefati sceleris separatione poenitentiam fateantur.

IX. *De eo qui homicidium sponte commisit.*

Si quis homicidium sponte commiserit, et non violentiae resistens sed vim faciens impetu hoc fecerit, cum isto penitus non communicandum, sic tamen ut si poenitentiam egerit, in exitu iis communionis viaticum non negetur.

X. *De iis qui suas vel parentum oblationes ecclesiae subtrahunt.*

Clerici etiam vel saeculares qui oblationes parentum aut donatas aut testamento relictas retinere praesumpserint aut id quod ipsi donaverint ecclesiis aut monasteriis crediderint auferendum, sicut ante synodus sancta constituit, velut necatores pauperum quousque reddant ab ecclesiis excludantur.

(*C. Agath. c. 4.*)

XI. *Ut Christiana mancipia nisi Christianis non vendantur, et de Judaeis.*

Ut Christiani Judaeis vel gentilibus non vendantur, et si quis Christianorum necessitate cogente mancipia sua Christiana elegerit venumdanda, non aliis nisi tantum Christianis expendat; nam si paganis aut Judaeis vendiderit, communione pri-

vetur et emptio careat firmitate. Judaei vero, si Christiana mancipia ad Judaismum vocare praesumpserint aut gravibus tormentis afflixerint, ipsa mancipia fisci ditionibus revocentur, qui tamen Judaei ad nullas actiones publicas admittantur; Judaeorum vero convicia in Christianos penitus refutanda sunt.

XII. *Ut clericus peregrinus sine episcopi sui literis non recipiatur.*

Si clericus proficiscens de civitate ad alias civitates voluerit aut provincias pergere, pontificis sui epistolis commendetur: quod si sine epistolis profectus fuerit manifestis, nullo modo recipiatur.

XIII. *Ut episcopus mancipia aut res ecclesiae non alienet.*

Ut episcopus mancipia vel res ad jus ecclesiae pertinentes neque vendere neque per quoscumque contractus unde pauperes vivunt post mortem alienare praesumat.

XIV. *De iis qui auguria et paganorum ritus imitantur.*

De his qui auguria vel paganorum ritus inveniuntur imitari vel cum paganis superstitiosos comedunt cibos, quos benigna placuit admonitione suaderi, ut ab erroribus pristinis revocentur: quod si neglexerint et idololatris vel immolantibus se immiscuerint, poenitentiae dignum tempus exsolvant.

XV. *Quales ad accusandum admitti non debeant.*

Ut serviles personae ad accusationem non admittantur, et qui personam susceperit accusantis, cum unum crimen non probatur ad alia accusandum non admittatur.

XVI. *Ut defuncto episcopo res ecclesiae ante reserationem testamenti vel audientiam nemo contingat.*

Si quis in quolibet gradu vel cingulo constitutus aut potestate suffultus decedente episcopo res cujuslibet conditionis in domibus vel agris ecclesiae positas ante reserationem testamenti vel audientiam ausus fuerit occupare, vel ecclesiae repagula effringere et supellectilem infra domum ecclesiae positam contingere vel scrutari praesumpserit, a communione Christianorum penitus abdicetur.

XVII. *Ne quis ingenuum vel liberum ad servitutem inclinet.*

Si quis ingenuum aut liberum ad servitium inclinare voluerit aut fortasse jam fecit, et commonitus ab episcopo se de inquietudine ejus revocare neglexerit aut emendare noluerit, tanquam calumniae reum placuit sequestrari.

XVIII. *Ut clerici absque episcopi permissu pro suis vel ecclesiae causis forum non adeant.*

Ut clerici cujuslibet ordinis neque pro propriis neque pro ecclesiasticis causis aliter adire debeant forum nec causas dicere audeant, nisi quas cum permissu et consilio episcopi agere iis fuerit omnino permissum.

XIX. *Ut archipresbyteri in parochiis laici non sint sed clerici ordinentur.*

Ut in parochiis nullus laicorum archipresbyter praeponatur, sed qui senior in ipsis esse debet clericus ordinetur.

XX. *Ut quae ab extraneis episcopo donantur, inter ecclesiae facultates computentur.*

Pontifices quibus in summo sacerdotio constitutis ab extraneis duntaxat aliquid aut cum ecclesia aut sequestratum aut dimittitur aut donatur, quia ille qui donat pro remedio animae suae non pro commodo sacerdotis comprobatur offerre, non quasi suum proprium sed quasi dimissum ecclesiae inter facultates ecclesiae computabunt; quia justum est ut sicut sacerdos habet quod ecclesiae dimissum est, ita et ecclesia habeat quod relinquitur sacerdoti. Sane quidquid per fideicommissum aut sacerdotis nomini aut ecclesiae fortasse dimittitur cuicumque alii postmodum profuturum, id inter facultates suas ecclesia computatum retinere non poterit. (*C. Agath. c. 6.*)

XXI. *Ut episcopi aliarum ecclesiarum res sine audientia usurpare non praesumant.*

Si quis episcopus res, quae ab alia ecclesia praesentaliter possidentur, quocumque ingenio aut callida cupiditate pervaserit aut sine audientia praesumpserit usurpare ac suis vel ecclesiae suae ditionibus revocare, dum communione privari non potest, ut necator pauperum ab officio deponatur.

XXII. *Ut episcopus vasa ecclesiae nisi ad redimendos captivos non frangat.*

Si quis episcopus, excepto si evenerit ardua necessitas pro redemptione captivorum, ministeria sancta frangere pro qualicumque conditione praesumpserit, ab officio cessabit ecclesiae.

XXIII. *Ut viduas et puellas consecratas nullus quacumque auctoritate rapere audeat.*

Viduas quae se domino consecrari petierunt vel puellas domino consecratas nullus neque per auctoritatem regiam neque qualicumque potestate suffultus aut propria temeritate rapere aut trahere audeat: quod si utrique consenserint, communione priventur.

XXIV. *De observando edicto dominico quod Parisiis factum est.*

Judices qui super auctoritate et edicto dominico canonum statuta contemnunt vel edictum illud dominicum quod Parisiis factum est violaverint aut contempserint, placuit eos communione privari.

XXV. *De episcoporum electionibus communi omnium suffragio peragendis, et ut indigenae loci eligantur.*

Ut decedente episcopo in locum ejus non alius subrogetur nisi loci illius indigena, quem universale et totius populi elegerit votum ac provincialium voluntas assenserit; aliter qui praesumpserit, abjiciatur a sede quam invasit potius quam accepit, ordinatores autem triennio ab officio administrationis suae sedis cessare decernimus.

CONCILIUM CABILONENSE.

Priscis quidem canonibus noscitur institutum, ut metropolitani cum eorum comprovincialibus per singulos annos debeant in synodali conjungi deo propitiante concilio; sed nunc tam ex communi omnium voluntate, quam ex evocatione vel ordinatione gloriosissimi domini Clodovei regis, pro zelo religionis vel orthodoxae fidei dilectione in Cabilonensi urbe in ecclesia sancti Vincentii pariter conglobati, ipsius sancti martyris intercessionem poscentes ut longaevitatem supradicti principis suo suffragio mereremur et inspiratione divina interveniente de canonibus significaretur, quod si fuisset aliquid praetermissum vel per negligentiam aut ignorantiam vitiatum in pristinum statum, sicut dudum fuerat a sanctis patribus statutum, deberet auxiliante Christo domino reformari:

I. *Ut fidei Nicaenae norma in omnibus conservetur.*

Ita omnes una conspiratione et connivente animo sentientes definivimus, ut fidei norma sicut in Nicaeno concilio pia est professione firmata vel a sanctis patribus tradita atque ab ipsis exposita vel in postmodum a sancto etiam Chalcedonensi concilio firmata, in omnibus et ab omnibus conservetur.

II. *Ut canonum statuta serventur.*

Canonum vero statuta ab omnibus intemerata serventur.

III. *De clericorum cum extraneis foeminis familiaritate fugienda.*

Licet jam prioribus canonibus fuerit statutum, placuit tamen renovare ut si quis episcopus, presbyter aut diaconus vel quicumque ex sacerdotali catalogo praeter personas quae in ipsis canonibus continentur cum qualicumque extranea muliere familiaritatem habere praesumpserit, quae dedecoris vel adulterii possit afferre suspicionem, juxta statuta canonum ab ordine degradetur.

IV. *Ne duo in civitate una eodem tempore habeantur episcopi.*

Ut duo in una civitate penitus uno tempore non ordinentur nec habeantur episcopi, ne res ecclesiae saeva divisione debeant partiri.

V. *Ut saeculares nondum clerici parochias aut earum res non regant.*

Saeculares vero, qui necdum sunt ad clericatum conversi, res parochiarum vel ipsas parochias minime ad regendum debeant habere commissas.

VI. *Nemo ante audientiam res ecclesiae invadere praesumat.*

Ut nullus ante audientiam res quarumlibet ecclesiarum invadere aut auferre praesumat: quod qui fecerit, ut necator pauperum habeatur.

VII. *Res defuncti presbyteri vel abbatis intactae permaneant.*

Ut defuncto presbytero vel abbate nihil ab episcopo auferatur vel archidiacono, vel a quocumque de rebus parochiae vel xenodochii vel monasterii aliquid debeat minuere: quod qui fecerit, juxta statuta canonum debeat coerceri.

VIII. *De poenitentia peccatorum a sacerdotibus indicenda.*

De poenitentia vero peccatorum quae est medela animae, utilem hominibus [1]) esse censemus, et ut poenitentibus a sacerdotibus data confessione indicatur poenitentia, universitas sacerdotum noscitur consentire.

IX. *Ne mancipia Christiana extra regni terminos vendantur.*

Pietatis est maxime et religionis intuitus, ut captivitatis vinculum omnino a Christianis redimatur [2]): unde sancta synodus noscitur censuisse, ut nullus mancipium extra fines vel terminos qui ad regnum domini Clodovei regis pertinent penitus [3]) debeat venumdare, ne, quod absit, per tale commercium aut captivitatis vinculo vel, quod pejus est, Judaica servitute mancipia Christiana teneantur implicita.

X. *Ut episcopi a comprovincialibus, clero et civibus suis eligantur.*

Si quis episcopus de quacumque fuerit civitate defunctus, non ab alio nisi a comprovincialibus, clero et civibus suis alterius habeatur electio; sin aliter, hujusmodi ordinatio irrita habeatur.

XI. *Ut judices publici per monasteria et parochias nisi invitati non discurrant.*

Pervenit ad sanctam synodum, quod judices publici contra veteram consuetudinem per omnes parochias vel monasteria, quae mos est episcopis circuire, ipsi illicita praesumptione videantur discurrere, etiam et clericos vel abbates, ut iis praeparent, invitos atque districtos ante se faciant exhiberi, quod omnimodis nec religioni convenit nec canonum permittit auctoritas: unde omnes unanimiter censuimus sentientes ut deinceps ista debeant emendare, et si praesumptione vel potestate qua pollent, excepta invitatione abbatis vel archipresbyteri, in ipsa monasteria vel parochias aliquid fortasse praesumpserint, a communione omnium sacerdotum eos convenit sequestrari.

XII. *Ut duo abbates in uno monasterio non sint.*

Ut duo abbates in uno monasterio esse non debeant, ne sub obtentu potestatis simultas inter monachos et scandala generentur; verum tamen si quilibet abbas sibi elegerit successionem, ipse qui eligitur [4]) de facultatibus ipsius monasterii ad regendum nullam habeat potestatem.

---

1) *omnibus* in m. M. — 2) *ut a captivitatis vinculo animae a Christicolis redimantur* cod. Tilianus, Pithoeanus, Bellovacensis, quos Sirmondus contulit. — 3) *non* add. in m. M. — 4) *elegit* in m. M.

XIII. *Ut nullus clericum alienum retineat nec ordinet sine episcopi sui voluntate.*

Ut nullus alterius clericum retinere praesumat, sicut priscis est canonibus statutum, nec ad sacrum ordinem sine voluntate episcopi sui penitus promovere.

XIV. *De oratoriis per villas potentum, ut clerici qui his deserviunt in episcopi libera sint potestate.*

Nonnulli ex fratribus et coëpiscopis nostris residentibus nobis in sancta synodo in querimoniam detulerunt, quod oratoria per villas potentum jam longo constructa tempore et facultates ibidem collatas ipsi quorum villae sunt episcopis contradicant, et jam nec ipsos clericos qui ad ipsa oratoria deserviunt ab archidiacono coerceri permittant: quod convenit emendari, ita duntaxat ut in potestate sit episcopi, et de ordinatione clericorum et de facultate ibidem collata qualiter ad ipsa oratoria et officium divinum possit impleri et sacra libamina consecrari. Quod si quis contradixerit, juxta priscos canones communione privetur.

XV. *Ut abbates et monachi saeculari patrocinio non utantur et principem sine episcopi sui permissu non adeant.*

Ut abbates et monachi aut agentes monasteriorum patrocinio saeculari penitus non utantur, nec ad principis praesentiam sine episcopi sui permissu ambulare audeant: quod si fecerint a suis episcopis excommunicentur.

XVI. *Ut nemo ad sacros ordines per praemium promoveatur.*

Ut nullus episcopus neque presbyter vel abbas seu diaconus per praemium ad sacrum ordinem amodo penitus accedat: quod si fecerit, ipso honore quem praemiis comparare praesumpserit omnino privetur.

XVII. *Ut nullus saecularium in ecclesia vel in ipsius atrio scandalum aut simultates excitare praesumat.*

Et quia multa per praesumptionem proveniunt quae deo minus placita et sacris canonibus videntur esse contraria, quae a sacerdotibus necesse est coerceri, ita sancta synodus instituit ut nullus saecularium nec in ecclesia nec infra atrium ipsius ecclesiae qualecumque scandalum aut simultates penitus excitare praesumat, nec arma trahere aut quemcumque ad vulnerandum vel interficiendum penitus appetere: quod si quis fortasse praesumpserit, ab episcopo loci illius ubi factum fuerit ipse juxta statuta canonum communione privetur.

XVIII. *Ut die dominico ruralia opera nemo exerceat.*

Licet generaliter ab omnibus catholicis et deum timentibus diem dominicum quod est prima sabbati convenit observari, et sicut in superioribus canonibus est statutum, non aliquid novi condentes sed vetera renovantes instituimus, ut in ipso die dominico ruralia opera, id est arare, secare, messes metere, exartos facere vel quidquid ad ruris culturam pertinet, nullus penitus praesumat: quod qui inventus fuerit faciens, sub disciplina districtionis omnimodis corrigatur.

XIX. *Ne turpia vel obscoena in basilicis aut in earum porticibus et atriis cantari permittantur.*

Multa quidem eveniunt, quae dum levia minime corriguntur saepius majora consurgunt; valde enim omnibus noscitur esse indecorum, quod per dedicationes basilicarum aut festivitates martyrum ad ipsa solemnia confluentes chorus foemineus [1]) turpia quidem et obscoena cantica decantare videntur [2]), dum aut orare debent aut clericos psallentes audire. Unde convenit ut sacerdotes loci talia a septis basilicarum vel porticibus ipsarum ac etiam ab ipsis atriis vetare debeant et arcere, et si voluntarie noluerint emendare, aut excommunicari debeant aut disciplinae aculeum sustinere.

XX. *De Agapio et Bobone Diniensis urbis episcopis.*

Agapium vero et Bobonem Diniensis urbis episcopos pro eo quod ipsos contra statuta canonum in multis conditionibus errasse vel deliquisse cognovimus, ipsos juxta tenorem canonum ab omni episcopatuum ordine decrevimus degradare.

CONCILIUM ROTOMAGENSE [3]).

I. *Ut super oblata ponatur incensum.*

Ut tempore quo evangelium legitur finitoque offertorio super oblationem incensum in mortem videlicet redemptoris nostri ponatur decrevimus.

II. *Ut missam celebrans communicare non omittat.*

Dictum est nobis quod quidam presbyteri celebrata missa detrectantes ipsi sumere divina mysteria quae consecrarunt, calicem domini mulierculis quae ad missas offerunt tradant vel quibusdam laicis qui dijudicare corpus domini nesciunt, id est discernere inter cibum spiritualem atque carnalem, quod quantum sit omni ecclesiasticae religioni contrarium pietas fidelium novit: unde omnibus presbyteris interdicimus ut nullus in posterum hoc facere praesumat, sed ipse cum reverentia sumat et diacono aut subdiacono qui ministri sunt altaris colligenda tradat, illud etiam attendat ut eos propria manu communicet, nulli autem laico aut foeminae eucharistiam in manibus ponat, sed tantum in os ejus cum his verbis ponat: Corpus domini et sanguis prosit tibi ad remissionem peccatorum et ad

---

1) Hae duae voces desunt al. — 2) *tum chorus foemineus turpia quidem decantare videatur* in marg. M. — 3) Ex veteri codice Beccensi. —

vitam aeternam. Si quis haec transgressus fuerit, quia deum omnipotentem contemnit et quantum in ipso est inhonorat, ab altari removeatur.

III. *Ut anathematizentur qui tertio moniti decimas solvere noluerint.*

Omnes decimae terrae sive de frugibus sive de pomis arborum domini sunt et illi sanctificantur; boves et oves et caprae quae sub pastoris virga transeunt, quidquid decimum venerit, sanctificabitur domino; non eligetur nec bonum nec malum nec altero commutabitur; si quis mutaverit, et quod mutat et quod mutatum est sanctificabitur domino et non redimetur. Sed quia modo multi inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum domini nostri praeceptum admoneantur semel et secundo et tertio: si non emendaverint, anathematis vinculo constringantur usque ad satisfactiouem et ad emendationem congruam.

IV. *Ut inquirantur et exterminentur incantatores et magi.*

Perscrutandum si aliquis subulcus vel bubulcus sive venator vel ceteri hujusmodi dicat diabolica carmina super panem aut super herbas aut super quaedam nefaria ligamenta, et haec aut in arbore abscondat aut in bivio aut in trivio projiciat ut sua animalia liberet a peste et clade et alterius perdat; quae omnia idololatriam esse nulli fideli dubium est, et ideo summopere sunt exterminanda.

V. *Baptizati apud haereticos quomodo recipiendi.*

Baptisma unum est, sed in ecclesia catholica, cujus nos membra effecti sumus, ubi una fides est, ubi in nomine patris et filii et spiritus sancti datur; et ideo qui apud illos haereticos baptizati sunt qui in sanctae trinitatis confessione baptizant, et veniunt ad nos, recipiantur quidem quasi baptizati ne sanctae trinitatis invocatio vel confessio annulletur, sed doceantur integre et instruantur sensu sanctae trinitatis et mysterio quod in sancta ecclesia tenetur, et si consentiunt credere vel acquiescunt confiteri, purgatae fidei integritate firmentur manus impositione. Si vero parvuli sunt hebetes qui doctrinam non capiant; respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi, et ita interrogentur ut sciant quod respondere debeant, et sic manus impositionem accipiant.

VI. *Excommunicati a proprio episcopo ab aliis in communionem non admittendi.*

Sunt aliqui qui culpis exigentibus ab episcopo proprio excommunicantur et ab aliis ecclesiasticis vel laicis praesumptione [1]) in communionem accipiuntur, quod omnino sanctum Nicaenum concilium simul et Chalcedonense nec non Antiochenum atque Sardicense fieri prohibent.

---

1) Forte: *praesumptuose.* —

VII. *Simoniacus a clero dejiciendus.*

Sancitum est atque omnimodis prohibitum, ut si quis presbyter inventus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse aut aliquam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri ecclesiam surripiat aut ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate seu rapina seu praesumptione turpis lucri gratia dijiciatur a clero et alienus existat a regula.

VIII. *Ignari clerici ad ministerium non admittendi.*

Statuimus secundum canonicam cautelam omnes undecumque supervenientes ignotos episcopos vel presbyteros ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admittere.

IX. *Ut neque viduae neque puellae virgines a presbyteris velentur.*

Statutum est viduas non debere velari; simul et hoc statutum est ut si quispiam presbyterorum deinceps hujus constitutionis normae contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquas viduas velare praesumat, quia hoc et episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Similiter et de puellis virginibus a presbyteris non velandis statutum est, ut si quis hoc facere tentaverit tanquam transgressor canonum damnetur.

X. *Nemo praeter episcopum monialium claustra ingrediatur.*

Ut episcopus monasteria monachorum et sanctimonialium frequenter introeat et cum gravibus et religiosis personis, et in eorum vel in earum conventu residens eorum vitam et conversationem diligenter discutiat; et si quid reprehensibile invenerit, corrigere satagat. Sanctimonialium etiam pudicitiam subtiliter investiget, et si aliqua invenitur quae neglecto proposito castitatis clerico aut laico impudenter misceatur, acriter verberibus coerceatur et in privata custodia retrudatur, ubi quod male commisit digne poeniteat. Interdicat etiam ex auctoritate sanctorum canonum, ut nullus laicus aut clericus in eorum claustris et secretis habitationibus accessum habeat, neque presbyteri nisi tantum ad missam; expleta missa ad ecclesias suas redeant. Omnibus praeterea publice et privatim denuntiet quantum piaculum sit qui sponsam Christi vitiare praesumit; si enim ille reus tenetur qui sponsam hominis violat, quanto magis reus majestatis efficitur qui sponsam omnipotentis dei corrumpit?

XI. *Ecclesiam propriam non deserat episcopus.*

Ut non liceat episcopo principalem cathedram suae parochiae negligere et aliam ecclesiam in sua dioecesi magis frequentare.

XII. *Quaenam poena percussoribus imponenda.*

Si quis alium per iram percusserit et sanguinem effuderit, si laicus est, viginti dies poeniteat, clericus triginta; illi autem qui gradum habent ampliorem, amplius pelli debent: diaconus sex menses, presbyter annum unum, episcopus duos annos et sex menses.

XIII. *Anathematizantur superstitiosi.*

Si quis in Kalendis Januariis aliquid fecerit quod a paganis inventum est, et dies observat et lunam et menses, et horarum effectiva potentia aliquid sperat in melius aut deterius verti, anathema sit.

XIV. *Ad missam festis saltem diebus veniant rusticorum servi.*

Admonere debent sacerdotes plebes subditas sibi, ut bubulcos atque porcarios vel alios pastores vel aratores qui in agris assidue commorantur vel in sylvis et ideo velut more pecudum vivunt, in dominicis et in aliis festis diebus saltem vel ad missam faciant vel permittant venire, nam et hos Christus pretioso suo sanguine redemit: quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant, siquidem dominus veniens in hunc mundum non elegit oratores atque nobiliores quosque, sed piscatores atque idiotas sibi discipulos adscivit, ut ostenderet in facto quod ipse verbis in evangelio affirmat dicens: *Quod hominibus est altum, abominabile est apud deum* [1]); et salva altiore intelligentia nativitas nostri redemptoris primo omnium pastoribus ab angelo nuntiatur.

XV. *Ut in festis diebus ad vesperas, ad nocturnas vigilias et ad missam populus universus occurrat.*

Ut populus admoneatur ut in dominicis et festis diebus omnes ad vesperas et nocturnas vigilias et ad missam omnimodis occurrant, et ut decani in civitatibus et in vicis publicis viri veraces et deum timentes constituantur, qui desides et negligentes commoneant ut ad dei servitium absque dilatione properent, et ut ipsi decani sacramento adstringantur ut nulla interveniente causa, scilicet aut amoris aut timoris aut propinquitatis, muneris negligentes et transgressores reticeant, quin propriis sacerdotibus proprias eorum culpas manifestent. Sacerdotum autem erit ita eorum vitia zelo et amore divino cum debita disciplina corrigere, sicut ipsi nolunt pro aliorum reatibus sententiam justae damnationis suscipere. Et ut dies festi a vespera usque ad vesperam absque opere servili cum debito honore celebrentur.

XVI. *Qua ratione ab episcopo circumeunda dioecesis.*

Cum episcopus suam dioecesim circuit, archidiaconus vel archipresbyter eum praeire debet uno aut duobus diebus per parochias quas visitaturus est, et plebe convocata annuntiare debet proprii pastoris adventum, et ut omnes, exceptis infirmis, ad ejus synodum die denominata impraetermisse occurrant, et omnimodis ex autoritate sanctorum canonum praecipere et minaciter denuntiare debet, quod si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio a communione Christiana sit pellendus. Deinde accitis secum presbyteris qui in illo loco servitium

---

1) Luc. 16, 15. —

debent exhibere episcopo, quidquid de minoribus et levioribus causis corrigere potest emendare satagat, ut pontifex veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut sibi immorari amplius necesse sit ibi quam expensa sufficiat. Ait enim dominus ad Moysen de hujuscemodi cooperatoribus: *Ut tecum* (inquit) *sustentent onus populi, et non tu solus graveris* [1]), et beatus Joannes baptista adventum domini praecucurrit praedicando dicens: *Poenitentiam agite etc.* [2]), et iterum: *Parate viam domini*; si quidem episcopus vicem Christi agere videtur, et ideo cum gaudio, timore et summa reverentia a plebibus sibi subjectis suscipiendus est, ut illis cum laude dicatur quod apostolus discipulis dicit: *Testimonium*, inquit, *vobis perhibeo quod ita suscepistis me sicut angelum dei* [3]).

CONCILIUM AUGUSTODUNENSE [4]).

I.

Primus titulus hic est monasticae disciplinae, ut abbates vel monachi peculiare non habeant, et monachi ab abbate victum et vestitum consuetum accipiant.

V.

Ut compatres nullus eorum audeat habere.

VI.

Ut in civitatibus non inveniantur: quod si causa utilitatis monasterii, cum literis abbatis sui ad archidiaconum civitatis scriptis dirigantur.

VIII.

Ut abbati suo ac praeposito sint obedientes.

X.

Ut nullus familiaritates extranearum mulierum praesumat habere, et qui inventus fuerit, severius corrigatur. Ut mulieribus in monasterium monachorum nullatenus ingredi liceat.

Statuimus atque decernimus, ut nullus monachum alterius absque permissu sui abbatis praesumat retinere, sed cum inventus fuerit vagans, ad cellam propriam revocetur ubi juxta culparum merita coercendus.

XV.

De abbatibus vero vel monachis ita observare convenit,

---

1) Num. 11, 17. — 2) Matth. 3, 2. 3. — 3) Gal. 4, 14. — 4) In collectione canonum antiquissima e bibliotheca ecclesiae Andegavensis producuntur titulo XLIV., qui est de monachis et monasteriis, canones aliquot ex hac synodo qui omnes ad disciplinam monasticam spectant inscribunturque: *Canones Augustodunenses sancti Leodegarii episcopi*; neque tamen universi eo loco describuntur sed quibusdam praetermissis hi duntaxat qui sequuntur. Mansi. —

ut quidquid canonicus ordo vel regula sancti Benedicti edocet, et implere et custodire in omnibus debeant; si enim haec omnia fuerint legitime apud abbates vel monasteria conservata, et numerus monachorum deo propitio augebitur et mundus omnis per eorum orationes assiduas malis [1]) carebit contagiis.

Sint monachi omnes omnino obedientes, sint frugalitatis decore pollentes, in opere dei ferventes, orationi instantes, in caritate perseverantes, ne propter negligentiam aut inobedientiam hoste circumeunte ac rugiente et quaerente quem devoret cibus efficiantur; sit iis cor unum et anima una; nemo suum aliquid esse dicat, sed sint iis omnia communia; in commune laborent, hospitalitatis omnino sint receptores.

Quisquis autem haec a nobis deo praecipiente dictata in confirmationem regularem monachorum tentaverit aliqua transgressione cassare, si abbas est, anno uno ei communionis potestas suspendatur; si praepositus, annos duos; si monachus, aut fustibus verberetur aut a communione et missa et caritate annos tres suspendatur. Justum enim est, ut subripienda [2]) vitiorum semina falce justitiae resecentur, ne dum simulatione continentiae [3]) nutriuntur, ita silvescant ut nec securibus excidantur.

---

1) *omnibus* in m. M. — 2) *subrepentia* in m. M. — 3) *cohibentiae* in m. M. —

CANONES SYNODI ROMANORUM

AD GALLOS EPISCOPOS JUXTA QUAESTIONES AB ILLIS PROPOSITAS [1].

Dominus inter cetera salutaria mandata, quibus discipulos suos apostolos ad spem vitae hortatur et commonet, sicut et nos evangelica verba docuerunt, hoc etiam mandat, ut solliciti ad veritatis scientiam pervenire laboremus; et primo ut cognoscamus incognita, non inani profectu, sed labore et sollicitudine quae nota necdum sunt precibus investiganda [2], quae vero difficiliora sunt instanter quaerenda praecepit, quae clausa sunt fidei virtute pulsando precibus petere sibi debere reserari. Sic enim scriptum est: *Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis* [3]. Nemo certe qui non petit accipit, et qui non quaerit invenit, et qui non pulsaverit eidem poterit aperiri: qua de re quoniam quod ex fide petitur [4] praestatur, et quod erat obscurum manifestum in sensum dum investigatur acquiritur, et quod erat clausum nobis frequentius pulsando, id est rogando, revelatur; *omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur* [5]: inde eadem repetere mihi quidem non est molestum, vobis autem necessarium. Scimus, fratres carissimi, multos episcopos per diversas ecclesias ad famam pessimam nominis sui humana praesumptione patrum traditionem mutare properasse atque per hanc causam in haeresis tenebras cecidisse, dum gloriam hominum delectantur potius quam dei praemia habere perquirere. Nunc igitur, quia non explorandi causa sed fidei confirmandae gratia sanctitudo vestra ex sedis apostolicae auctoritate sciscitari dignata est seu legis scientiam seu traditiones, volens a nobis manifestari liberius quaestionum propositarum exposi-

---

1) Ex editione Benedictinorum. — Canones istos in codicibus Fossatensi (nunc Reg. 1451), Pithoeano (nunc Reg. 1564) et veteri collectione Andegavensi repertos primus edidit Sirmondus, et distribuit eos in 16 canones, cum in his codicibus sex tantum distinguantur. Nos quidem Sirmondi textum exhibemus, in quo pauca tantum a Benedictinis ad codicem Fossatensem (Cod. R) et a Coustantio ad codicem Colbertinum (*Ms. Colb.*) correctione indigere visa sunt. — 2) *notiora* hoc loco add. Cod. R, quod Sirm. abundare judicavit. — 3) Matth. 7, 7. 4) Sirmond. interponit vocem *et*, quae in Cod. R non extat. — 5) Hunc locum a Sirm. praetermissum alii omnes ad codicis finem restituerunt. —

tionem, quam sincere quaeritis et dignanter audite, quantum replebit[1]) divina dignatio, licet mediocri sermone, valido tamen sensu eloquar obtinenda ad emendandas omnes quippe diversitates, quas discordare arrogantia sola praesumpsit, scriptura divina dicente: *Rejecistis mandatum dei, ut traditiones vestras statuatis*[2]). Si ergo integra cupitis fide veras observationes agnoscere, dignamini quae dico libenter advertere. Primo in loco pudoris mihi et pudicitiae causa proponitur, deinde congestae quam multae quaestiones edentur; singulis itaque propositionibus suo ordine reddendae sunt traditiones.

I[3]). *De virginibus velatis propositum non servantibus.*

Quaeritur de virginibus velatis et mutato proposito, quid exinde judicatum sit. Si virgo velata jam Christo, quae integritatem publico testimonio professa a sacerdote prece effusa benedictionis velamen accepit, sive incestum commiserit furtim[4]) seu volens crimen protegere adultero mariti nomen imposuit, tollens membra Christi, faciens membra meretricis, ut quae sponsa Christi fuerat conjux hominis diceretur: in ejusmodi muliere quot sunt causae, tot reatus, integritatis propositum mutatum, velamen amissum, fides prima depravata atque in irritum devocata. Quali hic et quanta satisfactione opus est! quam magna poenitentia ejus quae interitum carnis[5]) incurrit! Non est parva culpa reliquisse deum et ivisse post hominem; unde annis quamplurimis deflendum ei peccatum est, quo dignae fructu poenitentiae facto possit aliquando ad veniam pervenire, si tamen poenitens poenitenda[6]) faciat.

II. *De puellis nondum velatis, si contra propositum suum nupserint.*

Puella quae nondum velata est sed proposuerat sic manere, licet non sit in Christo velata, tamen quia proposuit et in conjugio velata non est, furtivae nuptiae appellantur ex eo quod matrimonii coelestis praeceptum non servaverit amore properante ad libidinis coecitatem[7]). Et his poenitentiae agendae tempus constituendum est, quoniam seu rapta seu

---

1) Ita Coustant. ex Cod. R; *desideranter audire quantum supplebit* Sirm.
2) Marc. 7, 9. — 3) Tituli canonum qui in Cod. R leguntur sic se habent: *I. De virgine quae jam in Christo velata est, similiter et quae nondum velata est. II. De eo quod sacerdotes bonorum operum plebibus forma fiant, et de castitate et continentia sacerdotum et eo qui saeculo militaverit. III. De consuetudine ecclesiae Romanae in clerum et de eo quod catholicorum episcoporum una confessio et una disciplina esse debet. IV. De sacramento baptismatis et oleo exorcizato, et eo qui sororem uxoris suae duxerit uxorem. V. De iis qui saeculi adepti sunt potestatem. De eo qui avunculi sui duxerit uxorem. De ordinatione clericorum et de clericis alienis. VI. Similiter de episcopo transgrediente proprios terminos. De laicis excommunicatis et ab alio episcopo clericis factis.* — 4) Ita legendum, cf. Innocentii I. ep. ad Victricium c. 12; hinc mendose Cod. R *furtum*, et Sirm. *seu furtum*. — 5) 1 Cor. 5, 5. — 6) *poenitentiam* Lalande. — 7) Sic emendavit Sirm.; *coelitus praeceptio non servaverit more properante libidinis coecitatem* Cod. R. —

velens ad virum ire perverso ordine consensit, nec propinquorum nec sacerdotum testimonio conrogato tales ad velamen solemnitatis ordinem casto pudore tenuerunt, sed contra veteris testamenti [1]) praeceptum fecerunt quas lex lapidari praecepit, et nunc cessante illa vindicta spiritualiter feriuntur ut ecclesiam tanquam mortui introire non possint. Habent tamen poenitentiae agendae locum, sed cito non habent veniam; quoniam [2]) si secundum legem proclamasset puella et diu contestata se continuisset, utique fuisset immunis a culpa. Utrisque ergo expedit sub eadem temporis constitutione a communione suspendi dignamque agere poenitentiam, fletu, humilitate, jejunio, misericordia redimere crimen admissum.

III. *De castitate et munditia sacerdotum.*

Et jam quidem frequenter de talibus sermo noster per plures manavit ecclesias, maxime de sacerdotibus quorum meritum exigit ut bonorum operum suorum sint plebibus forma; sed quantum intelligo, cum scriptura dicat: *Loquere ad aures audientium*, instruendo aures infundemus. Dum saepe eadem repetuntur quae neglectui habentur a singulis, vere hoc illud est quod dictum est, adulter sexus, *semper discentes et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* [3]); quando enim non servatur quod admonetur utiliter, tunc apostolica mandata quasi ignota contemnuntur, judicium tamen de his, quae commiserunt non potest immutari. Id [4]) primo in loco statutum *est de* episcopis, presbyteris et diaconibus, quos sacrificiis divinis necesse est interesse, per quorum manus et gratia baptismatis traditur et corpus Christi conficitur, quos non solum nos sed et scriptura divina compellit esse castissimos, et patres quoque jusserunt continentiam eos corporalem servare debere. Qua de re non praetereamus sed dicamus et causam; quo enim pudore viduae aut virgini ausus est episcopus vel presbyter integritatem vel continentiam praedicare vel suadere castum cubile servare, si ipse saeculo magis instituit filios generare quam deo? Adam, qui praeceptum non servavit, ejectus foras paradisum caruit regno, et praevaricatorem putas posse ad regna coelorum pervenire? ob quam rem Paulus dicit: *Vos jam non estis in carne sed in spiritu* [5]); et item: *Et qui habent uxores ita sint quasi non habeant* [6]). An qui populum hortatur, levitis et sacerdotibus blandiens licentiam praeberet opus exhibere carnale, idem ipse dicens: *Et carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* [7]), et alibi: *Vellem autem omnes sic esse sicut meipsum* [8])? Qui militat Christo, qui in sede residet magistri, qui militiae disciplinam non potest custodire? De his itaque tribus gradibus, quos legimus in scripturis, a ministris dei munditia praecepta est observari, quibus necessitas

---

1) Deuter. 22, 24. — 2) Haec et reliqua hujus canonis desunt in collectione Andegav. — 3) 2 Tim. 3, 7. — 4) Ita Laland.; *Id de sacerdotibus* Sirm., *ea de sacerdotibus* Cod. R. — 5) Rom. 8, 9. — 6) 1 Cor. 7, 29. — 7) Rom. 13, 14. — 8) 1 Cor. 7, 7. —

semper in promptu est; aut enim baptisma tradendum est, aut offerenda sunt sacrificia. Numquid immundus ausus erit contaminare quod sanctum est, quando quae sancta sunt sanctis sancta sunt? Denique illi qui in templo sacrificia offerebant, ut mundi essent toto anno in templo solo observationis merito permanebant, domos suas penitus nescientes. Certe idololatrae, ut impietates exerceant et daemonibus immolent, imperant sibi continentiam muliebrem et ab escis quoque se purgari volunt, et me interrogas si sacerdos dei vivi spiritualia oblaturus sacrificia purgatus perpetuo debeat esse, an totus in carne carnis curam debeat facere? Si commixtio pollutio est, utique sacerdos stare debet ad officium coeleste praeparatus qui pro alienis peccatis est postulaturus, ne ipse inveniatur indignus. Nam si ad laicos dicitur: *Abstinete vos ad tempus ut vacetis orationi* [1]), et illi creaturae utique generatione [2]) deserviunt, sacerdotes tale possunt habere nomen meritum habere non possunt. Quod si ita est et permanet praesumptio, oportet jam episcoporum vel presbyterorum aut diaconorum discine [3]), cum publicanorum vita sociari [4]): quamobrem, mihi carissimi [5]), hujusmodi hominibus coinquinatis et infidelibus, in quibus sanctitudo corporis per illuviem et incontinentiam videtur esse polluta, mysterium dei credi non oportere veneratione religionis ipsa suadente moneo, hos enim et ratio justa secernit. Audiant certe: *Quoniam caro et sanguis regnum dei non possidebunt, neque corruptio incorruptelam* [6]); et audet presbyter aut diaconus animalium more subjacere [7]) contendere?

IV. *De eo qui militat jam fidelis.*

De eo qui militaverit jam fidelis militiae saeculari, notitia est quod utatur publica libertate; quis enim potest illum custodire? quis negare vel spectaculis interfuisse, vel pecuniae utilitate impulsum a violentia et injustitia immunem esse non [8]) potuisse?

V. *Quod Romana ecclesia ad clerum non admittit eos qui post baptismum casti non fuerint.*

Romana ecclesia hoc specialiter custodit, ut si quis parvulus baptizatus integritatem corporis servaverit, admitti potest ad clerum; vel si quis major fuerit baptizatus et manserit pudicus, unius uxoris vir, potest clericus fieri si nullis aliis criminum vinculis alligetur. Ceterum qui corruperit carnalibus

---

1) 1 Cor. 7, 5. — 2) Sic Cod. R; *generationi* Sirm. — 3) Vox corrupta; lege *disciplinam*, vel ut Coustantio videtur *discrimen* — 4) Ita Cod. R; *episcopis vel presbyteris dici ne cum publicanorum vita socientur* Sirm. — 5) Cod. R habet: *cc*, quam notam pro voce *carissimi* non temere acceptam Coustantius ostendit; Sirm. vero notam interpetratur *contra* et sic legit: *Mihi contra hujusmodi homines coinquinatos et infideles*, et post vocem *polluta*, addit de suo ut sensum aliquem efficiat: *negotium est talibus*. — 6) 1 Cor. 15, 50. — 7) Supple *corruptioni*, scilicet carnis. Sirm. pro contendere substituit *contentioni*, Laland. *conjunctioni*. — 8) *non* deest in mss. —

vitiis aquae sacramenta, post fornicationem etiamsi ducat uxorem, quomodo poterit ad dimittenda peccata ministerio assistere qui prioris vitae repetierit coecitatem? Quomodo illud intelligitur: *Neque fornicarii neque idololatrae* et ceteri tales *regnum dei possidebunt* [1]), si nihil inter bonum et malum, inter justum et impium, inter luxuriosum et pudicum, inter observantem legem et publicanum intersit [2])? Fient tales ministri vel sacerdotes non Christi sed potius Antichristi. Et ubi est illud quod sanctus apostolus Paulus qui formam tulit episcopi, qualis esset ordinandus ante praecepit dicens: *Irreprehensibilem, sobrium et pudicum etc.* [3])? quomodo hic irreprehensibilis est qui baptismi sacramentum non potuit custodire? O nova praesumptio! Huic sacerdotium creditum cui poenitentia sola debetur, sordidata longa satisfactione veniae beneficia possit abluere.

VI. *Quod per omnes ecclesias una debet esse traditio et disciplina.*

Catholicorum episcoporum unam confessionem esse debere apostolica disciplina composuit; si ergo una fides est, manere debet et una traditio; si una traditio est, una debet disciplina per omnes ecclesias custodiri. Diversis in regionibus quidem ecclesiae sunt conditae, sed per omnem mundum unitate fidei catholicae una est appellata; nam et sic legimus: *Una est columba mea, una est perfecta mea, una est genitrici suae* [4]). Non ergo nunc de baptismi ratione sed de tradentium persona rescribo.

VII. *Quod diaconi extra tempus paschae non baptizent.*

Paschae tempore presbyter et diaconus per parochias dare remissionem [5]) peccatorum et ministerium implere consueverunt, etiam praesente episcopo; in fontem quoque ipsi descendunt, illi in officio sunt, sed episcopi nomini [6]) facti summa conceditur. Reliquis vero temporibus, ubi aegritudinis necessitas consequi unumquemque compellit, specialiter presbytero licentia est [7]) per salutaris aquae gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam et munus ipsi licet causa mundationis offerre; diaconis vero nulla licentia invenitur esse concessa, sed quod semel forte contigit usurpare, per necessitatem dicuntur excusari [8]), nec postea in securitate commissuri [9]).

VIII. *De oleo exorcizato semel dando.*

De oleo sane exorcizato capiendusne brevis numerus dierum, multus in hoc proficit sermo [10]). Fide enim quis sua plena

---

1) 1 Cor. 6, 9. 10. — 2) *intersit* deest in mss. — 3) 1 Tim. 3, 2. — 4) Ita Cod. R, cui vulgata suffragatur; *genetrix mea* Sirm. — Cant. 6, 8. 5) Ita collect. Andegav.; *repromissionem* Cod. R. — 6) Ita collect. Andegav.; *illius nomen* Sirm.; *illius nomini* Goustant. — 7) Brevius collectio Andegav.: *In necessitate aegritudinis licet presbytero.* 8) Sic Cod. R; *excusati* Sirm. — 9) Sic corrigendum duxit Coustant., quum prius legeretur *commissum.* — 10) Locum hunc sic emendari posse conjicit Coustant.: *De oleo sane exorcizato suscipiendo nec brevis numerus dierum proficit nec multus sed sermo.* —

purgatur? Si enim chrisma infusum capiti gratiam suam toti corpori impertit, nihilominus et tertio scrutinio scrutatus si oleo fuerit contactus, non saepe, sed semel virtute sua deus operatur in tempore.

IX. *Quod uxoris sororem ducere non liceat.*

De eo qui sororem uxoris suae duxerit uxorem in lege veteris testamenti [1]) scriptum est ad suscitandum semen defuncti fratris oportere ducere uxorem, ita tamen si liberos ex eodem minime reliquisset. Inde est enim quod Joannes baptista contradixit Herodi, quoniam non licebat ei accipere uxorem, quia de fratre reliquerat filios [2]). Tamen propter virilem generationem legis constitutio imperabat hoc fieri a viro; de foeminis nusquam est lectum, sed forte praesumptum; nam lex dicit: *Maledictus qui cum uxoris suae sorore dormierit* [3]). Numquid qui [4]) duas habuit uxores Jacob uno in tempore sorores causa mysterii et concubinas, et omnes qui nati sunt, patriarchae sunt appellati? nunc jam Christianis habere non permittitur. Numquid qui [4]) uxores et concubinas habuerunt? sed nunc hoc non patitur fieri testamentum, ubi amplius de integritate tractatur et castitas Christo docente laudatur, cum dicit: *Non omnes capiunt verbum dei, sed quibus datur* [5]).

X. *De iis qui saecularem potestatem gesserunt ad episcopatum non promovendis.*

Eos praeterea qui saecularem adepti potestatem jus saeculi [6]) exercuerunt, immunes a peccato esse non posse manifestum est; dum enim et gladius exeritur aut judicium confertur injustum aut tormenta exercentur pro necessitate causarum aut parandis exhibent voluptatibus curam aut praeparatis intersunt, in his se quibus renuntiaverunt denuo sociantes, disciplinam observationis traditam mutaverunt. Multum sibi praestant, si non episcopatum affectent, sed propter haec omnia agentes poenitentiam certo tempore impleto mereantur altaribus sociari. Nicaenum concilium [7]), divino spiritu annuente, dum fidei confessio fuisset jure firmata, etiam apostolicas traditiones episcopi in unum congregati ad omnium notitiam pervenire voluerunt, definientes inter cetera, neque abscissum clericum fieri, quoniam abscissus et mollis non introibunt sanctuarium dei. Deinde post baptismi gratiam, post indulgentiam peccatorum cum quis saeculi militia fuerit gloriatus, vel illum qui purpura et fascibus fuerit delectatus, ad sacerdotium aliqua irruptione minime admitti jusserunt; meritis enim et observatione legis ad istiusmodi dignitatis culmen accedunt, non Simonis pecunia vel gratia quis poterit pervenire aut favore populari: non enim quid populus velit sed quid evangelica disciplina perquiritur.

---

1) Deut. 25, 5. — 2) Matth. 14, 3. 4. — 3) Levit. 18, 18 — 4) Sine causa *qui* a Sirm. praetermissum, item inferius ante vocem *uxores*. — Gen. 29. — 5) Matth. 19, 11. — 6) *hujus saeculi negotia* Collect. Andegav. — 7) Lege: *In Nicaeno concilio.* — v. can. Nic. I.

Plebs tunc habet testimonium, quoties ad digni alicujus meritum reprehendens [1]) auram favoris impetit.

XI. *De eo qui avunculi sui uxorem duxerit.*

De eo [2]) qui avunculi sui uxorem duxerit. Avunculi filium ducere non licet, quoniam similis causa generando per gradus patris extranei separatur atque purgatur, retro autem redire fas non est; nam qui torum patris vel matris violare praesumpserit, non hoc conjugium sed fornicatio nominatur: quique tamen contra canones apostolicos facere usurpaverit, privandus est sacerdotio si pertinax fuerit, sin vero se correxerit, aboleatur quod praesumptum est, ut possit reconciliatus nostrum habere consortium.

XII. *Quod episcopi ex laicis assumi non debent.*

De ordinationibus maxime observandum est ut semper clerici fiant episcopi; sic enim scriptum est: *Et hi primo probentur, et sic ministrent* [3]). Qui non probantur tempore praecedenti in minori officio ministrasse, quomodo praeponitur clero? non est auditum, necdum tironem militum imperium suscepisse. Is ergo debet fieri quem aetas, tempus, meritum commendat et vita; aut quare apostolus neophytum prohibet, et cito manus alicui imponi non permittit?

XIII. *De eo qui ab ecclesia ad ecclesiam transit.*

De his qui ab ecclesia ad ecclesiam transierunt, jussi sunt haberi quasi relicta uxore ad alienam accesserint, quod impunitum esse non possit. Talem episcopum invasorem pudoris alieni episcopatu privari jusserunt.

XIV. *Quod abjecti ab episcopo suo clerici ab aliis recipi vel promoveri non debeant.*

De clericis alienis a synodo frequenter est pertractatum atque firmatum et ratio justa constringit, clericos abjectos de ecclesia ab episcopo suo nec laicam communionem accipere posse in aliena ecclesia; confirmatum manifestumque est, quando etiam innocens sine literis episcopi sui vel formata in aliena ecclesia non potest ministrare. Si quis autem in injuriam sacerdotis hoc facere praesumpserit, et condemnatum clericum suscipere vel promovere voluerit, sciat se communicasse peccatis alienis, et incurrisse sententiam apostoli, qui ait reos eos non solum qui faciunt contra legem, sed etiam qui consentiunt facientibus [4]). Unde dimittendum est conscientiae illius qui de suo clerico judicavit, sciens quod de judicio ejus deus sit judicaturus in posterum. Audi dominum dicentem: *Quae enim vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis* [5]). Quid in injuriam fratris et consacerdotis armaris? Cum enim reus non solum suscipitur clericus abjectus [6]) sed

---

[1]) Forte: *repellens*. — [2]) *Item de eo* Cod. R. — [3]) 1 Tim. 3, 10. [4]) Rom. 1, 32. — [5]) Matth. 7, 12. — [6]) Ita Cod R; *alienus* Sirm. —

etiam promovetur, injustus judicatur episcopus: hoc quicumque facit, sciat se a catholicorum societate seclusum et communionem sedis apostolicae non habere jam posse.

XV. *Quod episcopo fines suos transgredi et alienos invadere non liceat.*

Illud praeterea satis grave est et contra episcopalem moderationem sedis apostolicae, suos fines excedere et ad alienam tendere regionem festinare, ordinationes celebrare prae ceteris [1]), non metropolitanum episcopum permittere [2]) in sua dioecesi una cum vicinis episcopis, sicut trecenti octodecim episcopi confirmarunt, tres vel eo amplius sacerdotes episcopum ordinare vel subrogare dignissimum. Si quis certe fines alienae possessionis invaserit, reus violentiae judicatur. Quid curritur? quid festinatur ut regula ecclesiastica conculcetur? leges humanae tenentur, et divina praecepta contemnuntur; praesens gladius formidatur et temporalis poena, divina vero vindicta, quae habet flammas gehennae perpetuas, negligitur [3]). Videritis quae praesumptio fecerit; ex hoc si quis in aliena dioecesi ausus fuerit ordinationem facere eamque praesumere, sciat se de statu suo posse periclitari, qui alienam ecclesiam invadere praesumpserit. Non est saeculare aliquid, non sunt mundanae promotiones; audiamus apostolum dicentem: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis; teipsum castum custodi* [4]). Si legantur scripta et timor divinus sit in nobis, omnia scandala potuerunt separari, et unanimitas per omnes fratres placida plenaque caritate consistere.

XVI. *De iis qui ab episcopis suis excommunicati et ab aliis postea clerici facti sunt.*

Praeterea etiam laici dicuntur a communione cognita causa secludi, et ab alio episcopo clerici facti; hoc jam super omne malum est: unde aut conventi corrigant qui talia ausi sunt facere, ita ut removeantur hi quibus indigne ordo collatus est, aut ad nos nomina eorum deferantur ut sciamus a quibus nos abstinere debeamus.

Sciat ergo vestra sinceritas, quod si haec omnia suo ordine prout certa sunt observentur, nec deus offenditur nec schismata generantur nec haereses existunt, sed dicent gentes, quoniam vere deus in nobis est Christus dominus noster, qui vivit et regnat cum patre et cum spiritu sancto in aeterna saecula saeculorum. Amen.

---

1) *praeceptis* Cod. R. — 2) Forte: *admittere*. Coustant. — 3) *negligitur* deest in Cod. R. — 4) 1 Tim. 5, 22. —

CONCILIUM ROMANUM[1]) QUADRAGINTA OCTO[2]) EPISCOPORUM, SUB HILARO PAPA[1]).

Flavio Basilico[3]) et Herminerico[4]) viris clarissimis consulibus, sub die decimo quinto[5]) Kalendarum Decembrium, residente viro venerabili Hilaro papa[6]) in basilica sanctae Mariae, et Maximo Taurinae civitate provinciae Gallicarum, Ingenuo Ebredunensi provinciae suprascriptae, Mediolanensi provinciae suprascriptae, Saturnino Avinionensi provinciae suprascriptae, Petro Portuensi, Paulino Aquaevivensi, Primo Atellano, Palladio Salpinati, Gaudentio Albigensi, Sotere Neapolitano, Tiburtio Capuano, Gaudentio Scyllaceno, Felice Lucensi, Eubodio Tifernensi, Eusebio Senensi, Majoriano Astensi, Justo Faventino, Felice Sipontino, Concordio Barino, Verano . . ., Caprario Cassitano, Januario Praenestino, Constantino Aquinati, Adeodato Cumano, Praetextato Interamnino, Tiberio Curium Sabinorum, Claudio Puteolano, Gerontio Camerino, Adeodato Veliterno, Lucifero Trium tabernarum, Crispiano Subaugustano, Romano Albanensi, Servodei Nomentano, Florentio Clusino, Hilaro Amerino, Candido Tiburtino, Paulo Foronovano, Eusebio Sutrino, Apulejo Tarquiniensi, Gaudentio Antiatino, Asterio Gabinate, Projectitio Nepesino, Asterio Forojuliensi, Philippo Numanate, Gaudentio Vecconensi, Restituto et Octavio Afris; residentibus etiam universis presbyteris, adstantibus quoque diaconibus, Hilarus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae synodo praesidens dixit:

I. *Canones Nicaeni vel apostolicae sedis decreta custodiantur.*

Quoniam religiosus sancto spiritu congregante conventus hortatur, ut quaecumque[7]) pro disciplina ecclesiastica necessaria sunt cura diligentiore tractemus: si placet, fratres, ea quae ad ordinationum tenorem pertinent juxta divinae legis praecepta et Nicaenorum canonum constituta ita adjuvante domino in omne aevum mansura solidemus, ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicae

---

[1]) In collectione Isidori titulus est: *Concilium Romanum sub Hilaro papa celebratum;*. in collectione vero Dionysiana quae ms. servatur in bibl. colleg. Paris. soc. Jesu: *Incipiunt regulae papae Hylari.* Hoc concilium pariter edidit e Vaticanae bibl. ms. Chr. Lupus (opp. tom. 7.). Nos ex Harduino emendatiorem damus, additis hic primum lectionibus variantt. ex ms. cod. Luc. 129, saec. XI. Mansi. — [2]) In editione Lupi *quadraginta quinque* tantum numerantur episcopi, Palladio Salpinati, Romano Albanensi et Servo Dei Nomentano omissis. — [3]) *Basilisco* Luc. 129. — [4]) *Hermerico* Luc. — [5]) *decimo sexto* Luc., Lupus, Harduin. — [6]) *cum episcopis numero quinquaginta* Isidor. non appellatis nominibus. Harduin. — [7]) *ut quaedam quae* Luc. —

sedis decreta temerare; quia nos, qui potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis dei desides fuerimus inventi, quia meminimus quod timere debemus qualiter comminetur dominus [1]) negligentiae sacerdotum, siquidem reatu majore delinquit qui potiore honore perfruitur, et graviora facit vitia peccatorum sublimitas dignitatum.

II. *Ut bigami aut viduae aut corruptae mariti ad ecclesiasticos gradus non accedant.*

Cavendum ergo imprimis est, ne ad sacratos gradus, sicut gestis prioribus ante praescriptum [2]) est, quisquam qui uxorem non virginem duxit aspiret; repellendus est etiam quisque qui in secundae uxoris nuptias contra apostolica praecepta convenit.

III. *Ut poenitentes aut inscii literarum sive defectu membrorum aut decisione aliquid minus habentes ad superiorem ordinem non accedant.*

Inscii [3]) quoque literarum, nec non et aliqua membrorum damna perpessi, et hi qui ex poenitentibus [4]) sunt, ad sacros ordines adspirare non audeant; quisquis talium consecrator extiterit, factum suum [5]) dissolvet.

IV. *Ut ea quae illicite episcopus vel decessor ejus ordinavit, ab eo qui superest emendentur.*

Sed et quod quis commisit illicite aut a decessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare damnabit; nos enim in nullo volumus severitatem ultionis exercere. Sed qui in causis dei vel contumacia vel in aliquo excessu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit abolere noluerit, in se quidquid in alium non resecarit [6]) inveniet. Quod ut deinceps possit tenacius custodiri, si placet, sententias, causas et subscriptiones proprias omnes commendate [7]), ut synodali judicio auditus claudatur illicitis [8]).

Ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe! Hilaro vita! dictum est sexies [9]). Haec et confirmamus et haec docemus! dictum est octies. Haec tenenda sunt, haec servanda sunt! dictum est quinquies. Doctrinae vestrae gratias agimus! dictum est decies. Ista ut in perpetuum serventur rogamus! dictum est quindecies. Ista per sanctum [10]) Petrum ut in perpetuum [11]) serventur optamus! dictum est octies. Haec praesumptio nunquam fiat! dictum est decies. Qui haec violaverit in se inveniet! dictum est septies. Et facto silentio Hilarus episcopus dixit:

V. *Ut nullus episcopus sibi eligat successorem.*

Praeterea fratres nova et inaudita, sicut ad nos missis de

---

[1]) Ezech. 3 et 23. — [2]) *proscriptum* Luc. — [3]) *Poenitentes vel* praemittitur in codice Justelli. — [4]) *expoenitentes* in m. M. — [5]) *ipse* add. Luc. — [6]) *in alto non resecuerit* in m. M. — [7]) *commodate* Luc. — [8]) *aditus .. illicitus* in m. M. — [9]) *quater* Dionys. — [10]) *domnum* Luc. — [11]) *in deo* Luc. —

Hispaniis epistolis sub certa relatione pervenit, in quibusdam locis perversitatum semina subinde nascuntur; denique nonnulli episcopatum, qui nonnisi [1]) meritis praecedentibus datur, non divinum munus sed haereditarium putant esse compendium, et credunt sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium velut legali [2]) aut testamentario [3]) jure posse dimiti. Nam plerique sacerdotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare, ut scilicet *non* legitima exspectetur electio, sed defuncti gratificatio pro *populi* habeatur [4]) assensu: quod quam grave sit, aestimate, atque ideo si placet etiam hanc licentiam generaliter de ecclesiis auferamus, ne, quod turpe dictu est, homini quisquam putet deberi quod dei est.

Ut autem quod ad nos prolatum [5]) est ad vestram etiam possit pervenire notitiam, Hispanorum fratrum et coepiscoporum nostrorum scripta legantur. Paulus notarius recitavit [6]):

Epistola Tarraconensium episcoporum ad Hilarum in concilio Romano lecta.

Rogant ut Hilarus papa Irenaeum episcopum, quem Nundinarius episcopus de ecclesia benemeritus testamento suo in Tarraconensi [7]) ecclesia successorem designavit confirmet deque Silvani episcopi facto sententiam suam rescribat.

Beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro, Ascanius et universi episcopi Tarraconensis provinciae.

Quam curam apostolus vester de provinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vincentio, duce provinciae nostrae, referente cognovimus, cujus impulsu votum nostrum in ausum scribendi prona devotione surrexit. Ergo provinciali literario [8]) sermone debita coronae vestrae obsequia deferentes, his quaesumus, ut dignatione, qua ceteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime et apostolica reverentia in Christo a nobis colende pater, illud specialius deprecantes, ut factum nostrum, quod tam voto paene omnis provinciae quam exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus roborare dignemini.

Et cum legeret [9]), ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe! Hilaro vita! dictum est decies. Haec praesumptio nunquam fiat! dictum est sexies. Quae dei sunt ab homine dari non possunt! dictum est sexies. Per dominum [10]) Petrum rogamus ut in perpetuum serventur! dictum est sexies [11]). Haec ut reserventur rogamus! Hilarus episcopus dixit: Lege. Paulus notarius recitavit:

---

1) *non sine* Luc. — 2) *legatorio* in codice Justelli. — 3) *legati aut testamenti* Luc., Lupus, Hard. — 4) *praebeatur* in m. M. — 5) *perlatum* in m. M. — 6) *Et statutum est ne quid ultra hujusmodi a sacerdotibus praesumatur* add. in cod. Justelli. — 7) *Barcinonensi* in m. M. — 8) *literalium* Luc. — 9) *legeretur* Luc. — 10) *domnum* Luc — 11) *quinquies* Luc. —

Episcopus Barcinonensium civitatis sanctus Nundinarius sortem explevit conditionis humanae; hic episcopo venerabili fratri nostro Irenaeo, quem ipse antea in dioecesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei quod potuit habere paupertas, supremae voluntatis arbitrio in locum suum ut substitueretur optavit, sed defuncti judicium in ejus meritum non vacillat.

Et cum legeret [1]), Probus episcopus e consensu surgens dixit: Illud licuit, hoc non licuit; successores deus dat; auctoritate vestra resistite huic rei per apostolatum vestrum. Hilarus episcopus dixit: Percurre quae coeperas. Paulus notarius recitavit:

Siquidem omnis clerus et plebs ejusdem civitatis et optimi et plurimi provinciales, ut idem ejus [2]) locum observaret, a nobis speraverunt dato consensu. Nos cogitantes defuncti judicium et probantes ejus vitam et eorum nobilitatem atque multitudinem qui petebant, simul et utilitatem ecclesiae memoratae, optimum duximus ut tanto sacerdoti, qui ad divina migraverat, non minoris meriti substitueretur antistes, praesertim cum ecclesia illius municipii [3]) in qua ante fuerat ordinatus semper hujus civitatis ecclesiae fuisse dioecesis constet. Ergo suppliciter precamur apostolatum vestrum, ut humilitatis nostrae decretum [4]) quod juste a nobis videtur factum vestra auctoritate firmetis. Jamdudum sane questi fueramus literis nostris de praesumptione Silvani episcopi, et miramur quod nulla apostolatus vestri responsa suscepimus; nunc haec eadem suggerentes petimus, ut quid super his rebus observandum sit, apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligentiam portitoris aut per longinqui itineris difficultatem humilitatis nostrae ad vos scripta non potuerint ex hoc negotio pervenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare. (Et subscriptio:) Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum jugi aevo divina conservet aeternitas nobis omnibus et ecclesiae suae, domine vere noster [5]) et apostolice papa.

Hilarus episcopus dixit: Alia epistola recitetur. Paulus notarius recitavit:

Epistola Tarraconensium episcoporum ad Hilarum papam, in concilio recitata.

Domino beatissimo et apostolica reverentia a nobis in Christo colendo papae Hilaro Ascanius episcopus et universi episcopi Tarraconensis provinciae. Etsi nulla extaret [6]) necessitas ecclesiasticae disciplinae, expetendum revera nobis fuerat illud privilegium sedis vestrae, quo susceptis regni clavibus post resurrectionem salvatoris, per totum orbem beatissimi Petri singularis praedicatio universorum illuminationi prospexit: cujus vicarii principatus sicut eminet, ita metuendus est ab

---

1) *legeretur* in m. M. — 2) *in ejus* Luc. — 3) *municipium ecclesiae* in m. M. 4) *decretum* deest in Luc. — 5) *venerande* in m. M. — 6) *dictaret* ib.

omnibus et amandus. Proinde nos deum in vobis penitus adorantes cui sine querela servitis, ad fidem recurrimus apostolico ore laudatam, inde responsa quaerentes, unde nihil errore, nihil praesumptione, sed pontificali totum deliberatione praecipitur. Cum haec ita se habeant, est tamen inter nos falsus frater, cujus praesumptionem sicut diutius tacere non licuit, ita et loqui futuri judicii necessitas imperavit. Silvanus quidam episcopus Calagurae in ultima parte nostrae provinciae constitutus, divinationes sibi indebitas usurpando, humilitatem nostram ad hoc usque perduxit, ut contra ejus vanissimam superstitionem sedis vestrae unicum remedium flagitemus. Hic namque jam ante septem aut octo amplius annos, postponens patrum regulas et vestra instituta despiciens, nullis petentibus populis episcopum ordinavit: cujus praeproperum factum existimantes fraterna et pacifica posse admonitione sanari, profecit in pejus. Denique contra vetustatem canonum, contra synodi constituta, alterius fratris nostri presbyterum spiritu tantum praesumptionis accensus in eodem loco, qui illi fuerat destinatus cui invito et repugnanti imposuerat manus et qui nostro jam coetui fuerat aggregatus, episcopum fecit. Hinc factum est, ut de ejus miserrima temeritate ad nos Caesaraugustanae urbis episcopus frater noster referret, cujus diligentia et sollicitudo admodum prospexerat, si in aliquo profuisset, siquidem cunctis in vicinia positis episcopis, ne se schismatico adjungerent, frequentissime contradixit; sed obstinatione damnabili totum, quod erat illicitum, et quod nobis pudor est dicere, non erubuit solus ille committere. Proinde quia his praesumptionibus, quae unitatem dividunt, quae schisma faciunt, velociter debet occurri, quaesumus sedem vestram ut quid super hac parte observare velitis apostolicis affatibus instruamur, quatenus fraternitate collecta prolatis in medium venerandae synodi constitutis contra rebellionis spiritum vestra auctoritate subnixi, quod oporteat de ordinatore et de ordinato fieri, intelligere deo adjuvante possimus. Erit profecto vester triumphus, si apostolatus vestri temporibus, quod sancti Petri cathedra obtinet, catholica audiat ecclesia, si novella zizaniorum semina fuerint extirpata. (Et subscriptio:) Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum jugi aevo divina conservet aeternitas.

Ab universis episcopis et presbyteris acclamatum est: Ut haec emendentur rogamus! dictum est sexies. Ut haec recidantur [1]) rogamus! dictum est septies. Ut disciplina servetur rogamus! dictum est octies. Ut antiquitas servetur rogamus! dictum est quinquies. Ut canones custodiantur rogamus! dictum est septies. Ut in praesumptoribus vindicetur rogamus! dictum est septies. Ordinatio apostolica illibata servetur! dictum est octies. Exaudi Christe! Hilaro vita! dictum est quinquies. Dignus papa, dignus doctor! dictum est octies. Hilarus epi-

---

1) *resecentur* in m. M. —

scopus dixit: Acceptis quae recitata sunt, de omnibus nunc fratres speciales sententias deo vobis inspirante depromite. Maximus episcopus ecclesiae Taurinatis [1]) dixit: In custodiendis omnibus quae ad sacras ordinationes pertinent disciplinis [2]), melius sententiae meae professione denuntio [3]), nihil a me unquam eorum quae prohibita sunt esse faciendum; de reliquis censeo, ut quisquis talia fecerit aut detecta in ecclesiis resecare noluerit, se graves causas in apostolicae sedis judicio redditurum, in quo illi necesse erit subire sententiam. Ingenuus episcopus Ebredunensis dixit: Mihi quoque eadem de omnibus partibus sententia est qua me ipse [4]) constringo, ne quid a me unquam de his quae sunt interdicta tentetur, quia novi statum et professionem meam; de ceteris etiam censeo, ut quisquis statutorum transgressor extiterit, sciat se ecclesiasticae regulae laqueis innodari et reatum apostolicae sedis incurrere. Paulus [5]) episcopus Aquaevivae dixit: Ego quoque simili me lege constringo, et de clericis qui transgressores fuerint pariter censeo, ne iis sine periculo sui quidquam tale tentare liceat quod merito debeat vindicari. Primus episcopus ecclesiae Atellanae dixit: Hoc et ego censeo observandum. Palladius episcopus ecclesiae Salpinatis dixit: Nihil me contra disciplinam ecclesiasticam vel statuta sanctorum canonum facturum esse polliceor. Tiberius episcopus ecclesiae Sabinensis dixit: Profiteor me statuta sedis apostolicae in omnibus custodire, et si in ecclesia mea clericorum aliquem contra praecepta sanctorum canonum deprehendero aut mulierem duxisse aut duas habere [6]) uxores, ab ecclesiastico officio separari.

Ab universis episcopis dictum est: Sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus et observandas esse decernimus. Exaudi Christe! Hilaro vita! dictum est sexies. Quae male admissa sunt per te corrigantur! dictum est octies. Quod non licet non fiat! dictum est octies. Hilarus episcopus ecclesiae urbis Romae synodo praesidens dixit: Quoniam praesentis definitionis formam, quae secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium ecclesiarum notitiam pervenire decernimus, ne cuiquam pro sui possit ignoratione licere quod non licet, edere gesta notariorum sollicitudo curabit.

---

1) *Tauritanis* Luc. semper. — 2) *sacrae ordinationis pertinent disciplinam* in marg. M. — 3) *divincio* Luc., *definio* in marg. M. — 4) *ipsum* in marg. M. — 5) *Paulinus* ibid. — 6) *habuisse* ibid. —

SYNODUS ROMANA PRIMA
SUB SYMMACHO PAPA EPISCOPORUM LXXII [1]).

Post consulatum Paulini viri clarissimi, Kalendis Martii, in basilica beati Petri apostoli, synodo praesidente beatissimo papa Symmacho, Fulgentius [2]) archidiaconus dixit.

I. *De congregata synodo ex praecepto papae Symmachi.*

Beatitudo vestra directis antehac per provincias auctoritatibus frequentem [3]) Italiae sacerdotum synodum convocavit, quorum praesentia in vestris videtur oculis constituta. Nunc beatitudo vestra, quae ad ecclesiasticas indemnitates vel ad pacem totius ecclesiae pertinent sive concordiam dignetur tractabiliter ordinare. Acclamatum est ab omnibus episcopis et presbyteris: Exaudi Christe! Symmacho vita! dictum est decies. Cujus sedem et annos! dictum est novies [4]). Ut facias rogamus! dictum est decies.

II. *Interlocutio Symmachi ut episcopalis ambitus radicitus amputetur.*

Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Concilium dilectionis vestrae neglecta hiemis asperitate sollicitudo nostra pro ecclesiastica indemnitate specialiter congregavit, ut episcopalem ambitum et confusionis incertum vel popularem tumultum, quem per surrectionem diaboli usurpatione aliquorum tempore ordinationis meae constat exortum, communicato pariter tractatu in futurum possimus robuste ac vivaciter amputare. Atque ideo caveamus in posterum, ne subversio disciplinae aut audacia praesumentium gestiat tentare similia, et pari adunatione tractemus, expressis scilicet sententiis sancientes quid circa Romani episcopi ordinationem debeat custodiri. Universi episcopi et presbyteri dixerunt: Ut fiat rogamus! dictum est decies. Ut scandala amputentur rogamus! dictum est novies. Ut ambitus extinguatur rogamus! dictum est duodecies [5]). Exaudi Christe! Symmacho vita! dictum est sexies. Cujus sedem [6]) annos! dictum est quinquies. Ut de praesenti fiat! dictum est decies. Symmachus episcopus dixit: Quoniam fraternitas vestra curam provisionis nostrae suis exhortationibus incitavit, et parilem circa ecclesiae tranquillitatem dei nostri contemplatione animum praestat, sicut praefati sumus, deliberatione in praesenti habita, quid placeat ex omnibus vestris informate sententiis, quae in hoc venerabili concilio per ecclesiastica recitentur officia. Cumque surrexissent et paulo post iterum consedissent, Aemilianus notarius synodi decreta vulgavit.

---

1) Contulit Mansi cum ms. cod. Luc. 125. — 2) *ecclesiae Romanae* add. Luc. — 3) *frequenter* Luc. — 4) *octies* Luc. — 5) *quindecies* in m. M. — 6) *et* add. Luc. —

III. *Ut si quis papa superstite pro Romano pontificatu cuique quolibet modo favorem praestare convincitur, loci sui ordine privetur.*

Propter frequentes ambitus quorumdam et ecclesiae nuditatem vel populi collisionem, quae molesta et iniqua incompetenter episcopatum desiderantium generavit aviditas, ut extinguatur futuris praesumptio tam perniciosa temporibus constituit sancta synodus, ut si presbyter aut diaconus aut clericus papa incolumi et eo inconsulto aut subscriptionem pro Romano pontificatu commodare aut pitacia [1]) promittere aut sacramentum praebere tentaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri vel de hac causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate atque communione privetur. Universa synodus surgens, Privetur [2]), acclamavit. Exaudi Christe! Symmacho vita! dictum est decies. Hic pax cum Symmacho! dictum est quinquies [3]). Cujus sedem et annos! dictum est octies. Pari severitate feriendo eum qui hoc, vivo sicut dictum est pontifice, quolibet modo fuerit ambiisse convictus aut certe tentasse, omnibus pariter hujus culpae reis anathematis poena plectendis, Symmachus episcopus dixit: Ergo universitati placet et ab omnibus recognoscitur vel probatur ista sententia? Universa synodus dixit: Placet, et quod omnibus placet fiat.

IV. *Ut si quis papa morte praeventus non potuerit ante de sui successoris electione decernere is ordinetur antistes quem cunctus clerus aut pars major elegerit.*

Si, quod absit, transitus papae inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non possit ante decernere, si quidem in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus; si autem ut fieri solet studia coeperint esse diversa eorum de quibus certamen emerserit, vincat [4]) sententia plurimorum: sic tamen ut sacerdotio careat qui captus promissione non recto judicio de electione decreverit. Synodus dixit: Placet; dictum est decies.

V. *Ut si quis ambientes vel fautores ambientium conjuratores prodiderit, non solum purgatus videatur esse si fuerit particeps, verum etiam remuneratione dignissimus aestimetur.*

Propter occultas autem fraudes et conjurationum secretas insidias quas hujus sententia districtionis consequitur, si quis ad ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum qui contra hanc synodum de pontificali egerint ambitu et rationabili probatione convicerit, particeps actionis hujusmodi non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione quae non indigna sit sublevetur. Universa synodus surgens acclamavit: Placent omnia [5]). Exaudi Christe! Symmacho vita! dictum est tredecies [6]). Ut ista serventur rogamus! dictum est decies [7]).

---

1) *pittacia committere* in m. M. — 2) *privetur* deest in Luc. — 3) *quindecies* Luc. — 4) *contradicavit* Luc. — 5) *et adjecit* add. Luc. 6) *tricies* in m. M. — 7) *duodecies* in m. M. —

Ut nullus aliter ad episcopatum Romanum deinceps veniat precamur! dictum est decies. Ut decreta nostra confirmes rogamus! dictum est decies [1]. Symmachus episcopus catholicae ecclesiae urbis Romae dixit: Acclamationes vestras synodique judicium praesentia gesta suscipient. Et adjecit: Ea quae ad sopiendos veternosae praesumptionis errores vel infensae rebus ecclesiasticis aegritudinis morbos, quibus universalis afficiebatur ecclesia, deliberatio religioni congrua pacique constituit, firmitatem perpetem [2] sortiantur, ut praestante deo, quem custodem rerum constat esse bonarum, synodalis ordinatio vigeat atque omnes sine personae alicujus distinctione constringat: contra quam si quis sub qualibet occasione venire praesumpserit, indicta [3] superius districtione plectetur. Et subscripserunt episcopi numero LXXIII [4].

SYNODUS ROMANA TERTIA [5]
SUB SYMMACHO PAPA.

Rufo [6] Magno, Fausto Avieno viris clarissimis consulibus sub die decimo Kalendas Novembris sancta [7] synodus apud urbem Romam ex praecepto gloriosissimi regis Theodorici diversis e regionibus congregata in Christi nomine, dixit: Cum ex diversis provinciis ad urbem Romam convenire sacerdotes regia praecepisset auctoritas, ut de his quae venerabili papae Symmacho apostolicae sedis praesuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum concilium judicaret legitime [8], Liguriae, Aemiliae vel Venetiarum episcopis, quos ad praesentiam principis ipse [9] itineris ductus attraxit, consulendi [10] regem incubuit necessitas, qua [11] hos voluisset aetate fractos, debilitate corporis invalidos [12] congregari. Respondit praefatus

---

1) *vicies* in m. M. — 2) *perpetuam* in m. M. — 3) *indita* in m. M. — 4) *LXXII.* Luc. — 5) Hanc synodum Sirmondus *Palmarem* appellat, et ms. Isidorus in sua collectione *syn. quartam.* In duabus collectionibus mss. Dionysii quae asservantur in bibl. coll. Paris. soc. Jesu hoc habetur Initium: *Rufio Magno, Fausto Avieno v. c. cos. sub die Kalendarum Novembrium quarta synodus habita Romae palmaris. Sancta synodus apud urbem etc.* Hujus concilii in bibl. coll. Paris. soc. Jes. exemplaria sunt mss. pervetusta quatuor. Harduin. — Contulit Mansi cum ms. cod. Lucensi 125. — 6) *Rufio* Luc. — 7) *quarto synodus habita Romae palmari. Sancta etc.* Cod. Justelli (cf. not. 5) et Luc. 8) *legitime* deest in codice Justelli et in cod. can. eccl. Rom. edito 1525 et 1609. — 9) *spes* Luc. — 10) Al. sequentia ita legunt: *consulibus regem qua causa hos voluisset debilitate corporis invalidos congregari.* — 11) *causa sedis Romanae auctoritas singularis in ecclesia* add. in m. M. — 12) *causa* add. Luc. —

rex piissimus bonae conversationis affectu, plura ad se de papae Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, et in synodo oportere si vera esset inimicorum ejus objectio judicatione constare. Memorati pontifices quibus allegandi imminebat occasio suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus debuisse synodum convocare, scientes quia ejus sedi primum Petri apostoli meritum vel principatus, deinde secuta [1]) jussionem domini conciliorum venerandorum auctoritas ei [2]) singularem in ecclesiis tradidit potestatem, nec antedictae sedis antistitem minorum [3]) subjacuisse judicio in propositione simili facile forma aliqua testaretur. Sed potentissimus princeps ipsum quoque papam in colligenda synodo voluntatem suam literis demonstrasse significavit: unde a mansuetudine ejus paginae postulatae sunt quas ab eo directas constabat, hasque dari sacerdotibus sine tarditate constituit, et quidquid in eodem negotio actum est, scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus dei prosecutione praeventum est. Et dum in venerabili collectione sermo [4]) de incipiendo haberetur negotio, prout poscebat causae tractatus, sanctus papa Symmachus basilicam Julii, in qua [5]) pontificum erat congregatio, prout habuit cura coelestis, ingressus est, et de evocatione synodali clementissimo regi gratias retulit et rem desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de sacerdotum animis, quae de concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est; auctoritatem ordinis corrigendi, sicut poscebant ecclesiastica statuta, in omnium qui ibidem convenerant episcoporum praesentia se dare [6]) professus est, sperans ut visitator qui contra religionem, contra statuta veterum vel contra regulas majorum a parte cleri vel ab aliquibus laicis fuerat postulatus, ex ordinatione antistitum, sicut decebat sanctum propositum, prima fronte cederet, et omnia quae per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus legaliter ab honorabili concilio redintegrarentur seu redderentur, et tanti loci praesul regulariter [7]) prius statui pristino redderetur, et tunc, non ante [8]), veniret ad causam, et si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet. Digna res visa est maximo [9]) sacerdotum numero, quae mereretur effectum, decernere tamen aliquid synodus sine regia notitia non praesumpsit; sed suggestio justa [10]) per legatorum negligentiam non meruit secundum vota responsum. Jussus est regis [11]) praeceptionibus papa Symmachus ante patrimonii vel ecclesiarum quas amiserat receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere, qui potestatis suae privilegia et quae pro conscientiae, quantum juste aestimamus, emundatione [12]) submiserat nec hac voluit vice resumere. Sed

1) *proinde secura* in m. M. — 2) *ei* deest in Luc. — 3) *inimicorum* in m. M. — 4) *sermo* deest in Luc. — 5) *tunc* add. in m. M. — 6) *a se datam* in m. M. — 7) *legaliter* Luc. — 8) *non ante* deest in Luc. — 9) Adfuerunt episcopi 115 secundum librum pontificalem. 10) *ista* in m. M. — 11) *regiis* in m. M. — 12) *emendatione* Luc. —

dum esset synodus in Jerusalem basilica Sessoriani palatii constituta, aliquibus sacerdotibus visum est, ut libellus, quem accusatores paraverant qui quotidie seditionibus appellabant[1]), susciperetur a synodo: in quo suscepto[2]) duo erant, quae vel veritati inimica essent, vel ipsi quantum ostenditur[3]) ecclesiastico proposito repugnarent. Unum quia dicebant crimina memorati superius Symmachi papae apud regiam constitisse notitiam, quod falsum esse declaravit[4]); non enim quasi novam causam audientiae commisisset, si ejus conscientiam convictam de errore solam sciret[5]) exspectare sententiam. Aliud quod per servos de his quae objiciebant se eum loquebantur posse convincere, addentes ut ipse mancipia traderet, quibus quantum illi asserebant posset in judicatione superari: quae res canonibus et ipsis publicis erat legibus inimica, cum patrum statuta sanxissent, ut quos ad accusationem leges saeculi non admittunt, iis dicendi in cognitione vel accusandi[6]) aliquid deneganda esset licentia. Et dum inter ista quae essent facienda tractabatur, praefatus papa ut causam diceret occurrebat: qui veniens ab irruentibus turbis aemulorum suorum ita tractatus est, ut multis presbyteris, qui cum ipso erant[7]), per caedem ipsam mortis fuisset occasio; quod probant recentium adhuc vestigia vulnerum, nisi illustris vir comes Aligernus[8]) et sublimes viri Gudila et Vedeulfus, majores domus regiae, prospexissent, quos secum unde egressus fuerat ad beati *Petri* apostoli septa convexerat. His ita actis et rebus varia confusione turbatis iterum nos ad justitiam contulimus principalem, scientes divinitate propitia regere dominum quem ad Italiae gubernacula ipse providerat, cujus mansuetudini omnia per relationis seriem, sicut res poscebat, ingessimus, intimantes etiam saepe nominatum papam post caedem cui subjacuerat cum suis, si voluntatem rursus haberet exeundi ad judicium, fuisse commonitum; sed allegasse eum per directos episcopos, nominatis canonibus se cessisse[9]), affectu purgationis suae culmen humilians qui tantis periculis paene fuisset oppressus: dominum regem habere quod vellet jus faciendi, sed[10]) interim justitiae renitentem[11]) statutis canonibus non posse compelli. Ad haec serenissimus rex taliter deo aspirante respondit: in synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda praescribere, nec aliquid ad se praeter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere, committens etiam potestati pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium sive nollent, quod magis putarent utile deliberarent, dummodo venerandi provisione concilii pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur. Quae cum juste offerrentur, dei mandata complentes Italiae suum

---

1) *intendebant* in m. M. — 2) *libello* in m. M. — 3) *conventui* add. in m. M.; *conventui vel* add. Luc. — 4) *percleruit* in m. M. — 5) *conscientia convicta de errore solam se sciret* in m. M. — 6) *assequendi* in m. M. — 7) *terant* in m. M. — 8) *Aligenus* in m. M. — 9) *mandatis canonibus sibi concessisse* in m. M. — 10) *se* Luc. — 11) *renitentes* in m. M. —

dedimus rectorem [1]), agnoscentes nullum nobis laborem alium remansisse, nisi ut dissidentes cum humilitate propositi nostri ad concordiam hortaremur: quia unum tantae rei restabat unde deo placeremus [2]), scilicet ut sancti principis voluntate [3]) invitaremus senatum amplissimum quali oportuit legatione destinata, monentes et instruentes, causas dei ipsius judicio esse committendas, qui valet corpus occidere et animam mittere in gehennam, qui dicit: *Mihi vindictam et ego retribuam* [4]); apud quem conscientia nuda est; cui non absconduntur occulta. Cogitare prudentes viros oportere quanta inconvenienter et praejudicialiter in hujus negotii principio contigissent, et nos viam per quam [5]) ipsi vocabant remissionem, peccatis non aperire sed claudere; qui, quod dicebatur, majori judici servamus, instruentes eos quia per nos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias praevidere sed pastoris [6]), maxime quia in causa praefata multos, qui se dedignabantur agnoscere et deo satisfacere, error involverat; et quia non poterant [7]) plura sub hac occasione ecclesiae membra dispergi, sed magis per mansuetudinem sustineri, sicut boni nos operis Paulus magister instruxerat, dicens sanandos esse plurimos per patientiam et doctrinam [8]). Et quicumque putantur [9]) rei et gravibus peccatis involuti, quamvis nullus est qui delicto careat sicut Joannes testatur apostolus: *Si dicam quia peccatum non habeo mendax sum* [10]): hos tamen magis pressuris hominum sustentari [11]) et perterreri hasque passiones judicio divino suspendi, maxime cum illa quae praemisimus inter alia de auctoritate sedis obstarent, quia quod possessor [12]) ejus quondam beatus Petrus meruit, in nobilitatem possessionis [13]) accessit, et claritatem veterem vobis dat de Christi dote rectoribus, clamans scriptum esse per prophetam ex persona dei: *Numquid non valet manus mea ad consumendum eos qui erraverunt* [14])? Haec eadem saepissime sicut oportuit commonentes, ut ab ista intentione discederent et factum nostrum, quod deus inspiraverat, juxta mandatum principis non discuterent, sed sequerentur sicut decebat ecclesiae filios, nec sub hac intermissione contenderent et crescerent ecclesiae detrimenta; quae res poscebat cum festinatione succurri, et nobis hujus celeritatis et illis obedientiae necessitas imminebat, maxime cum omnem paene plebem cernamus ejus communioni indissociabiliter adhaesisse, cujus vos [15]) non modica cura stimulabat, ne in aliquo laberetur errore. Quibus allegatis cum dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum vel religionum [16])

---

1) *Quae cum juste offertur, dei mandata complentur. Italiae suadere rectorem* in m. M. — 2) *pareremus* in m. M. — 3) *ut ante principis voluntatem* in m. M. — 4) Deut. 32, 35. — 5) *per hanc* Luc. — 6) *sed a pastoribus* Luc. — 7) *oportebat* in m. M. — 8) 2 Tim. 4, 2. 9) *et qui computantur* in m. M. — 10) 1 Joh. 1, 8. — 11) *funestari* in m. M. — 12) *praecessor* ibid. — 13) *possessoris*, al. *successoris* ibid. — 14) Jes. 50, 2. — 15) *nos* in m. M. — 16) *religiosorum* ibid. —

consideratione adstricti, et coelesti inspiratione perpensis omnibus quae in causa erant secretis: ut Symmachus papa sedis apostolicae praesul ab hujusmodi propositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, quia totum causis obsistentibus superius designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum, sit immunis et liber, et Christianae plebi sine aliqua de objectis oblatione [1]) in omnibus ecclesiis suis ad jus sedis suae pertinentibus tradat divina mysteria; quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem propter superius [2]) designatas causas obligari non potuisse cognovimus. Unde secundum principalia praecepta, quae nostrae hoc tribuunt potestati, ei quidquid ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris juris est reformamus, totamque causam dei judicio reservantes universos hortamur, ut sacram communionem, sicut res postulat, ab eo percipiant, et dei et animarum suarum meminerint, quia ipse et amator pacis est et ipse pax est qui monet: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis* [3]); et in quacumque civitate pacem esse confirmandam affirmans, beatos esse dicit pacificos [4]). Haec quicumque ex instructione nostra, quod non aestimamus, vel non admittit [5]) vel retractari posse crediderit, videat, quia in divino judicio contemptus sui rationem est, sicut de deo confidimus, redditurus. De clericis memorati papae qui ab episcopo suo ante tempus aliquod contra regulas discesserunt et schisma fecerunt, hoc fieri decrevimus, ut eos satisfacientes episcopo suo misericordia subsequatur, et officiis ecclesiasticis se gaudeant restitui: quia dominus et redemptor noster oves perditas ab errore laetatur inventas, et super profugum [6]) filium paternam liberalitatem coelestis mediator [7]) accommodat. Quisquis vero clericorum post hanc formam a nobis prolatam [8]) quocumque sacrato deo loco in ecclesia Romana missas celebrare praesumpserit praeter conscientiam papae Symmachi, dum vivit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur. Ista sufficiat nunc cum dei notitia nos sincere protulisse.

---

1) *de abjectis ablatione* in m. M. — 2) *super id* Luc. — 3) Joan. 14, 27. 4) Matth. 5, 9. — 5) *admitti* in m. M. — 6) *prodigum* ibid. — 7) *medicator* ibid. — 8) *probatam* ibid. —

SYNODUS ROMANA QUARTA [1]
SUB SYMMACHO ALIAS PALMARIS APPELLATA.

Exemplar constituti facti a domino Symmacho papa

de abroganda lege Odoacris regis repugnante libertati ecclesiasticae in electione pontificis, et de rebus ecclesiae conservandis.

Flaviano [2]) Avieno viro clarissimo juniore consule sub die octavo [3]) Iduum Novembrium in basilica beati Petri apostoli, residente venerabili viro papa Symmacho una cum venerabilibus viris et episcopis [4]) Laurentio, Maximo, Petro, Laurentio, Aemiliano, Tigridio, Felice, Bassiano, Cresconio, Pacatiano, Benigno, Rufentio, Innocentio, Joanne, Maximo, Stephano, Joanne, Sereno, Eulalio, Proculejano, Fortunato, Laurentio, Eustathio, Martiano, Jocundo, Candido, Fortunato, Felice, Eutychio, Elpidio, Aprile, Innocentio, Mercurio, Hilario, Fortunato, Concordio, Asello, Innocentio, Stephano, Gerontio, Paschasio, Vitale, Memore, Severino, Hilario, Venerioso, Innocentio, Casto, Colonico, Silvano, Maximiliano, Aristone, Severino, Propinquo, Martyrio, Valentino, Sebastiano, Romano, Vindemio, Victore, Dulcitio, Urso, Mercurio, Asello, Servodei, Adeodato, Asterio, Martiniano, Felice, Eusebio, Augusto, Projectitio, Chrysogono, Venantio, Rustico, Sallustio, Probo, Amando, Basilio et Florentio; residentibus etiam presbyteris Projectitio, Martino, Epiphanio, Sebastiano, Servodei, Octaviano, Anastasio, Abundantio, Vincomalo, Paulino, Juliano, Marcello, Agathone, Benedicto, Crescentiano, Paschasio, Juliano, Severo, Paulino, Adeodato, Joanne, Timotheo, Laurentio, Hilario, Adeodato, Marco, Stephano, Venantio, Petro, Chrysogono, Litorio et Chrysogono, Tinulo vel Maximo, Fortunato; adstantibus quoque diaconibus Anastasio, Hormisda, Joanne et Agapeto, Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit:

I. *De praelocutione papae Symmachi, qui synodi statuta collaudans clericorum suorum culpat excessus, quod inter alia etiam propter constitutum illustris memoriae Basilii a sua communione desciverint.*

Bene quidem fraternitas vestra ecclesiasticis legibus obsecuta, sub divini timore judicii quae erant statuenda definivit, et ad justitiae cumulum pervenit [5]), dum sufficienter universa complectitur nec adjectione indiget plenitudo, maxime de clericis quos amor dominationis invasit et jugum disciplinae ec-

---

1) In titulis canonum et decretorum, qui praefixi sunt ms. Dionysianae collectioni haec *synodus tertia Romana* appellatur. Contulit Mansi cum ms. Lucensi 125. — 2) *Flavio* Luc. — 3) *nono* in m. M. — 4) *et episcopis* deest in Luc. — 5) *perduxit* in m. M. —

clesiasticae fecit respuere, quos propterea schisma fecisse apud vos [1]) constitit: quibus misericordiam tamen, quam deus mandat [2]) universis impendi, sicut oportuit, non negastis; si duritia cordis eorum non sibi acquirat poenam, dum contemnit oblata remedia quorum excessus enarrare difficile est. Unum tamen quod occurrit venerando ordini vestro intimare non differo: dixerunt inter alia, scripturam quamdam illustris memoriae Basilium quasi pro ecclesiasticae amore substantiae conscripsisse, in qua nullus Romanae ecclesiae nec interfuit nec subscripsit antistes, per quem potuisset sortiri legitimam firmitatem; ne vero ego inde disputem, sed ut possit [3]) vestrum judicare concilium, requiratur et referatur [4]) in medium, ut lectione agnoscatis cujusmodi possit habere substantiam. Sancta synodus respondit: deferatur in medium, ut cujusmodi sit possit agnosci. Et dum diceret, Hormisda diaconus recitavit:

II. *Exemplar ipsius constituti synodo recensetur.*

Cum in unum apud beatum Petrum apostolum resedissent, sublimis et eminentissimus vir, praefectus praetorio atque patricius, agens etiam vices praecellentissimi regis Odoacris, *Basilius* dixit: Quamquam studii nostri et religionis intersit ut in episcopatus electione concordia principaliter servetur ecclesiae, ne per occasionem seditionis status civilitatis [5]) vocetur in dubium, tamen admonitione beatissimi viri [6]) papae *nostrae* Simplicii, quam ante oculos semper habere debemus, hoc nobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum [7]) strepitum et venerabilis ecclesiae detrimentum, si eum de hac luce transire contigerit, non sine nostra consultatione cujuslibet celebretur [8]) electio.

Et cum legeret, Cresconius episcopus civitatis Tudertinae ecclesiae surgens e consessu dixit: Hic perpendat sancta synodus, uti praetermissis personis religiosis [9]) quibus maxime cura est de tanto pontifice, electionem laici [10]) in suam redegerint potestatem, quod contra canones esse manifestum est.

Item Hormisda diaconus legit: Nam et cum quid [11]) confusionis atque dispendii venerabilis ecclesia sustineret, miramur praetermissis nobis quidquam fuisse tentatum [12]); cum etiam sacerdote nostro superstite nihil sine nobis [13]) debuisset assumi. Quare, si amplitudini vestrae vel sanctitati placet, incolumia omnia quae ad futuri antistitis electionem respiciunt religiosa honoratione [14]) servemus, hanc legem specialiter praeferentes, quam nobis haeredibusque nostris Christianae mentis devotione sancimus: Ne unquam praedium seu rusticum seu urbanum vel ornamenta aut ministeria ecclesiarum quae nunc sunt vel quae

---

1) *nos* in m. M. — 2) Luc. 6, 36. — 3) *unde potest* Luc. et in m. M. 4) *deferatur* in m. M. — 5) *civitatis* in m. M. — 6) *viri* deest in Luc. — 7) *illum* Luc. — 8) *celebraretur* Luc. — 9) *ut praeter missas personas religiosas* Luc. — 10) *electionem laici* deest in Luc. — 11) *Cui nequidquam* in m. M. — 12) *testatum* ibid. — 13) *sine nobis* deest in Luc. — 14) *veneratione* in m. M.

ex quibuslibet titulis ad ecclesiarum jura pervenerint, ab eo qui nunc antistes sub electione communi fuerit ordinandus, et illis qui futuris saeculis sequentur, quocumque titulo atque commento alienentur. Si quis vero aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur, sitque facienti vel consentienti accipientique anathema.

Maximus episcopus Bleranae [1]) ecclesiae dixit: Modo sancta synodus dignetur edicere, si licuit laico homini anathema in ordine ecclesiastico dictare, aut si potuit laicus sacerdoti anathema dicere, et contra canones quod ei non competebat constituere; dicite, vobis quid videtur? de me licuit laico legem dare? Sancta synodus dixit: Non licuit. Et adjecit: Lege sequentia. Hormisda diaconus legit:

Et is qui praedium rusticum vel urbanum juris ecclesiastici fuerit consecutus, noverit se nulla lege vel praescriptione [2]) munitum, sed sive is qui alienaverit, sive is qui consequenter voluntate contraria praedium hujusmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consecutus. Et cum legeret, Stephanus episcopus Venusinae ecclesiae ecclesiae surgens e consessu dixit: Perlegatur. Hormisda diaconus legit:

III. *Sententia ipsius synodi qua praefatum constitutum nullius esse momenti decernitur.*

Quam etiam poenam placuit accipientis haeredes prohaeredesque respicere, in qua re cuilibet clericorum contradicendi libera sit facultas; iniquum est enim et sacrilegii instar, ut quae vel pro salute vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili ecclesiae pauperum causa contulerit aut certe reliquerit, ab his quos haec maxime servare convenerat, in alienitatem [3]) transferantur. Plane quaecumque in gemmis vel auro atque argento nec non et vestibus minus apta usibus vel ornatui videbuntur ecclesiae, quae servari ac diu manere non possunt, sub justa aestimatione vendantur et erogationi religiosae proficiant.

Cumque lecta fuisset, Laurentius episcopus Mediolanensis ecclesiae dixit: Ista scriptura nullum Romanae civitatis potuit obligare pontificem, quia non licuit [4]) laico statuendi in ecclesia praeter papam Romanum habere aliquam potestatem, cui obsequendi [5]) manet necessitas, non auctoritas imperandi, maxime cum nec papa Romanus subscripserit nec alicujus secundum canones metropolitani legatur assensus. Petrus episcopus Ravennatis ecclesiae dixit: Scriptura quae in nostra congregatione vulgata est, nullis eam viribus subsistere [6]) manifestum est, quia nec canonibus convenit et laica [7]) persona concepta

---

1) *Bledanae* in m. M. — 2) *nulla legis praescriptione* in m. M. — 3) *in alterantudine* Luc. — 4) *placuit* in m. M. — 5) *subsequendi* Luc. et in m. M. — 6) *sustineri* in m. M. — 7) *et a laica nunc* Luc. et in m. M. —

videtur, maxime quia in ea nullus praesul sedis apostolicae interfuisse vel propria subscriptione firmasse monstratur. Eulalius episcopus Syracusanae ecclesiae dixit: Scriptura, quae in sacerdotali concilio recitata est, evidentissimis documentis constat invalida: primum quod contra patrum regulas a laicis quamvis religiosis, quibus nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas, facta videtur; deinde quod nullius praesulis apostolicae sedis subscriptione firmata docetur. Quod si cujuslibet provinciae sacerdotes intra terminos suos concilio habito quidquam sine metropolitani suive antistitis auctoritate tentaverint [1]), irritum esse debere patres sancti sanxerunt: quanto magis quod in apostolica sede, non existente praesule, qui praerogativa beati meritis apostoli Petri per universum orbem primatum obtinens sacerdotii, statutis synodalibus consuevit tribuere firmitatem, a laicis, licet consentientibus aliquantis episcopis, qui tamen pontifici, a quo consecrari probantur, praejudicium inferre non potuerunt, praesumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri? Sancta synodus dixit: Liquet secundum prosecutionem venerabilium fratrum nostrorum, Laurentii, Petri, Eulalii, Cresconii, Maximi vel Stephani, nec apud nos incertum habetur hanc ipsam scripturam nullius esse momenti, quam etiam si aliqua posset subsistere ratione, modis omnibus in synodali conventu provida beatitudinis vestrae sententia enervari conveniebat et in irritum deduci, ne in exemplum remaneret praesumendi quibuslibet laicis quamvis religiosis vel potentibus, in quacumque civitate quolibet modo aliquid decernere de ecclesiasticis facultatibus, quarum solis sacerdotibus disponendi indiscusse a deo cura commissa docetur. Symmachus episcopus dixit: Modo, quia deus praesentiam vestram votivam mihi sub qualibet occasione concessit, volo, si placet, rem fieri firmam quam credo ecclesiasticis facultatibus convenire, ut agnoscant omnes quos in me vanus furor excitavit, nihil me magis studere quam ut salvum esse possit quod mihi est a deo sub dispensatione commissum, sed et quibuslibet deum timentibus [2]) gratum esse debeat, et ad ecclesiastici custodiam patrimonii pertinere. Sancta synodus dixit: Scimus provisionem vestram necessariis studere, et ideo in vestra est potestate sequenda disponere. Symmachus episcopus ecclesiae catholicae urbis Romae dixit: Magna quidem venerando et sacerdotali debetur cultura proposito, cui imminet de studio quae recta sunt, non de necessitate, disponere; sed quoniam in aliquibus aliena postulantibus vitiorum mater avaritia repudiatis honestatis repagulis totum putat expedire quod libet, et ita dum praedae inhiat patientia supernae pietatis abutitur, exspectantibus correctionem coelo moderante, judiciis se existimant non teneri, cum clarum sit quod apud certos in occasionem rapiendi pro-

1) *testatum fuerit* Luc. — 2) *quibuslibet successoribus* in m. M. —

cedat divinae mora sententiae. Sed nobis, quos pastoralis cura et ecclesiastica adstringit pro dispensatione credita ratio reddenda substantiae, opus est ut sollicitudinem nostram non solum ad praesentia sed etiam ad secutura saecula porrigamus, ne ad animae nostrae detrimenta contingat, si hi qui possunt statutis debere innocentiam, praesumentes de libertate deliquerint, cum religiosa possint et nostra successoris nostri potestate fulciri, legibus ecclesiasticis servientes.

IV. *Ut nulli apostolicae sedis praesuli possessionem ecclesiae magnam vel parvam in perpetuum liceat alienare vel commutationis obtentu ad cujuslibet jura transvertere.*

His ergo perpensis mansuro cum dei nostri consideratione decreto sancimus; ut nulli apostolicae sedis praesuli a praesenti die, donec disponente domino catholicae fidei manserit doctrina salutaris, liceat praedium rusticum quantaecumque fuerit vel magnitudinis vel exiguitatis sub perpetua alienatione vel commutatione ad cujuslibet jura transferre; nec cujusquam excusentur necessitatis obtentu, quippe cum non sit personale, quod loquimur; nec aliquis clericorum sub hac occasione accepta tueatur; sed nec in usufructuario [1]) jure aliquibus dare liceat nec data retinere, praeter clericos et captivos atque peregrinos, ne malae tractationis ministretur occasio, cum liberalitati illi alia itinera [2]) reserventur.

V. *De domibus ecclesiasticis quae sunt in urbibus commutandis.*

Sane tantum domus in quibuslibet urbibus constitutae, quarum statum necesse est expensa non modica sustentari, acceptis, si offerri contigerit, sub justa existimatione [3]) reditibus et divini timore judicii commutentur [4]).

VI. *Ut non liceat presbyteris urbis Romae titulorum suorum praedia seu quidquid juris eorum fuerit quolibet alienare commento; qui vero hoc agere tentaverit ordinis sui amissione plectatur.*

Pari etiam ecclesiarum per omnes Romanae civitatis titulos, qui sunt presbyteri vel quicumque fuerint, adstringi volumus lege custodes, quia nefas dictu est, obligatione qua se per caritatem Christi connectit summus pontifex, ea hominem secundi in ecclesia ordinis non teneri. Quicumque tamen obligatus [5]), dei et decreti hujus immemor, cujus Romanae civitatis sacerdotes volumus religiosis nexibus devinciri, in constitutum praesens committens quidquam de jure titulorum vel ecclesiae superius praefatae quolibet modo praeter aurum, argentum vel gemnas, vestes quoque, si sunt, vel si accesserint aliqua mobilia ad ornamenta divina minime pertinentia, per-

---

1) *in usu fructu rura* Luc. — 2) *retinere* Luc. — 3) *aestimatione* Luc. — 4) *commodentur* in marg. M., *committentur* Luc. — 5) *oblitus* Luc. —

petuo jure exceptis duntaxat sub praefata conditione domibus alienare tentaverit, donator, alienator ac venditor honoris sui amissione mulctetur.

VII. *Ut qui petierit praedium ecclesiae et acceperit, aut si quis presbyterorum aut diaconorum nec non defensorum danti subscripserit, anathemate feriatur.*

Praeterea qui petierit aut acceperit vel qui presbyterorum aut diaconorum seu defensorum danti subscripserit, quo iratus deus animas percutit, anathemate feriatur; sitque accipienti vel subscribenti de personis superius comprehensis, id est quas anathemate feriri censuimus, instituta poena contubernalium servata, quam praemisimus in alienatore vindicta, nisi forte et alienator sibi dum repetit, et qui acceperit, celeri restitutione prospexerit.

VIII. *Ut si quis anathematis poenam parvi duxerit, etiam documento quo se putat ecclesiae praedium possidere, frustretur; liceatque cuilibet ecclesiasticae personae vocem contradictionis afferre et cum fructibus praeteriti temporis eadem praedia alienata reposcere.*

Quod si timore animae suae cura quisquam remedium oblatum forte neglexerit, supra ea poenarum genera quae superius tenentur adscripta, contra fas si quod conceptum fuerit documentum, universis viribus, quamvis ab initio nullas habuerit, effoetetur [1]; sed etiam liceat quibuscumque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre et ecclesiastica auctoritate fulciri, ita ut cum fructibus possit alienata reposcere: nec aliquo se ante tribunal Christi obstaculo muniat, qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta contra fas sine aliqua pietatis consideratione dispergit. Hujus autem constitutionis legem in apostolica tantum volumus sede servari, in universis ecclesiis per provincias secundum animarum considerationem, quem proposito religionis convenire rectores earum viderint, more servato.

[1] *effecetur* (sic) Luc. —

SYNODUS SANCTI PATRICII
IN HIBERNIA [1]).

Incipit synodus episcoporum, id est Patricii, Auxilii et Iserinini.

Gratias agimus deo patri et filio et spiritui sancto. Presbyteris et diaconibus et omni clero Patricius, Auxilius et Iserninus episcopi salutem. Satius nobis negligentes praemonere, quam culpare quae facta sunt, Salomone dicente: *Melius est arguere quam irasci* [2]). Exempla definitionis nostrae inferius conscripta sunt et sic inchoant:

I. *De captivo in quaestionem.*

Si quis in quaestionem captivis quaesierit in plebe, suo jure sine permissione meruit excommunicari.

II. *De lectoribus.*

Lectores denique cognoscant, ... unusquisque ecclesiam in qua psallat.

III. *De clerico vago.*

Clericus vagus non sit in plebe.

IV. *De collectis.*

Si quis permissionem acceperit et collectum sit pretium, non plus exigat quam quod necessitas poscit.

V. *De eodem.*

Si quid supra manserit, ponat super altare pontificis ut detur alii indigenti.

VI. *De clerico sine tunica, sine Romana tonsura et uxorem habente non velato capite ambulante.*

Quicumque clericus ab hostiario usque ad sacerdotem sine tunica visus fuerit atque turpitudinem ventris et nuditatem non tegat, et si non more Romano capilli ejus tonsi sint, et uxor ejus si non velato capite ambulaverit, pariter a laicis contemnentur et ab ecclesia separentur.

---

1) Ex ms. collegii corporis Christi Cantabrig. O. 20. Extat hujus synodi vetustissimum exemplar ms. in bibliotheca S. Benedicti Cantabrigiae, pluries autem malesanum. Desunt canonum tituli in editione Wilkins.
2) Sir. 20, 2.

VII. *De clerico ad matutinas et vesperas non occurrente.*

Quicumque clericus [1]) negligentiae causa ad collectas mane vel vespere non occurrerit, alienus habeatur nisi forte jugo servitutis sit detentus.

VIII. *De clerico fidejussore pro gentili.*

Clericus si pro gentili homine fidei jussor fuerit in quacumque quantitate. et si contigerit, quod mirum [2]) non est [3]), per astutiam aliquam gentilis ille clericum [4]) fallat, rebus *suis* clericus ille solvat debitum; nam si armis compugnaverit cum illo, merito extra ecclesiam computetur.

IX. *Ut monachus et virgo insimul non versentur.*

Monachus et virgo, unus ab hinc et alia ab aliunde, in uno hospitio non commaneant, nec in uno curru a villa in villam discurrant, nec assidue invicem confabulationem exerceant.

X. *De negligenti in psallendo et de comam nutriendo.*

Si quis [5]) inceptum boni operis ostenderit in psallendo et nunc intermisit, et comam habeat, ab ecclesia excludendus nisi statui priori se restituerit.

XI. *De susceptore clerici excommunicati.*

Quicumque clericus ab aliquo excommunicatus fuerit et alius eum susceperit, ambo coaequali poenitentia utantur.

XII. *Ut non accipiatur eleemosyna excommunicati.*

Quicumque Christianus excommunicatus fuerit, nec ejus eleemosyna recipiatur.

XIII. *Ut non accipiatur eleemosyna gentium in ecclesiam.*

Eleemosynam a gentibus offerendam in ecclesiam recipi non licet.

XIV. *De Christiano occisore, fornicatore vel aruspice consulente.*

Christianus qui occiderit aut fornicationem fecerit aut more gentilium ad aruspicem meaverit, per singula crimina annum poenitentiae agat, impleto cum testibus veniat anno poenitentiae, et postea resolvetur a sacerdote.

XV. *De Christiano furtum faciente.*

Et qui furtum fecerit, dimidium, poeniteat viginti diebus cum pane, et si fieri potest, rapta repraesentet; sic in ecclesiam revertetur [6]).

XVI. *De Christiano credente lamiam in speculo.*

Christianus qui crediderit esse lamiam in speculo quae interpretatur striga, anathematizandus quicumque super animam

---

1) In Spelm. addita hic fuit vox *ussus*, et in margine *usus*, pro qua Salmasius legere maluit *injusta*, i. e. qui non habet justam negligentiae causam. Walkerus noster eam potius delendam existimat. — 2) Spelm. legere voluit *monstrari*. — 3) *potest* Spelm. — *mirum videri non potest* Salmas. — 4) *clerico* Spelm. — 5) *quis* deest in Spelm. — 6) *renuetur* Spelm.; Salm. vult *recipietur*; Mansi *reducitur*.

famam istam imposuerit, nec ante in ecclesiam recipiendus quam ut idem criminis quod fecit sua iterum voce revocet [1]), et sic poenitentiam cum omni diligentia agat.

XVII. *De virgine deo devota postea nubente.*

Virgo quae voverit deo permanere [2]) casta et postea nupserit carnalem sponsum, excommunicationis sit donec convertatur; si conversa fuerit et dimiserit adulterum [3]), poenitentiam agat et postea non in una domo nec in una villa habitent.

XVIII. *Ut excommunicatus non introeat ecclesiam ante poenitentiam.*

Si quis excommunionis [4]) fuerit, nec nocte pascharum in ecclesiam [5]) introeat donec poenitentiam recipiat.

XIX. *De muliere conjugata adultero nubente.*

Mulier Christiana quae acceperit virum honestis nuptiis et postmodum discesserit a primo et junxerit se adultero [6]), quae haec fecit excommunionis sit.

XX. *De fraudatore debiti.*

Christianus qui fraudat debitum cujuslibet ritu gentilium, excommunionis sit donec solvat debitum.

XXI. *De Christiano provocante in judicium extra ecclesiam.*

Christianus cui deliquerit aliquis, et provocat eum in judicium [7]) et non in ecclesiam ut ibi examinetur causa, qui sic fecerit, alienus sit.

XXII. *De patre consentiente filiae nuptae in amore illicito.*

Si quis tradiderit filiam suam viro honestis nuptiis, et amaverit alium, et consentit filiae suae et acceperit dotem, ambo ab ecclesia exclaudantur.

XXIII. *Ut presbyter non offerat in ecclesia non consecrata.*

Si quis presbyterorum ecclesiam aedificaverit, non offerat antequam adducat suum pontificem ut eam consecret, quia sic decet.

XXIV. *De advena plebem ingrediente.*

Si quis advena ingressus fuerit plebem, non ante baptizet neque offerat neque consecret nec ecclesiam aedificet, donec [8]) permissionem accipiat ab episcopo; nam qui a gentibus sperat permissionem, alienus sit.

XXV. *De religiosorum donis pontifice in ecclesia habitante.*

Si quae a religiosis hominibus donata fuerint, diebus illis quibus pontifex in singulis habitaverit ecclesiis, pontificalia dona, sicut mos antiquus, ordinare [9]), ad episcopum pertinebunt sive ad usum necessarium sive egentibus distribuendum, prout ipse episcopus moderabit.

---

1) *revocat* M. — 2) *permanet* Spelm. — 3) *adulterium* Spelm. — 4) *excommunis* in m. M. — 5) *non* add. Spelm. — 6) *adulterio* M. 7) *inductum* M. — 8) *nec* in t., *quam* in m. M. — 9) Forte: *ordinavit* Harduin. —

XXVI. *De eodem.*

Si quis vero clericus contra venerit et dona invadere fuerit deprehensus, ut turpis lucri cupidus ab ecclesia sequestretur.

XXVII. *De clerico episcopi novo ingressore.*

Clericus episcopi in plebe quislibet novus ingressor baptizare et offerre illum non licet nec aliquid agere: qui si sic non faciat, excommunionis sit.

XXVIII. *De clerico excommunicato.*

Si quis clericorum excommunionis fuerit, solus non in eadem domo cum fratribus orationem faciat, nec offerre nec consecrare licet, donec se faciat emendatum: qui si sic non fecerit, dupliciter vindicetur.

XXIX. *De fratre baptismum suscepturo.*

Si quis fratrum accipere gratiam dei voluerit, non ante baptizetur quam quadragesimum [1]) agat.

XXX. *Ut episcopus in aliena parochia non ordinet.*

Episcopus quislibet, qui de sua in alteram progreditur parochiam, nec ordinare praesumat, nisi permissionem acceperit ab eo qui in suo principatu est; die dominica offerat tantum susceptione et obsequi hic contentus sit.

XXXI. *De clerico conducente clericidam.*

Si quis conduxerit e duobus clericis quos discordare convenit per discordiam aliquam prolatum uni e duobus hostem ad interficiendum, homicidam congruum est nominari, qui clericus ab omnibus rectis habetur alienus.

XXXII. *De clerico volente redimere captivum.*

Si quis clericorum voluerit juvare captivo, cum suo pretio illi subveniat, nam si per furtum illum juvare voluerit [2]), blasphemantur multi clerici per unum latronem; qui sic fecerit, excommunionis sit.

XXXIII. *De clerico Britanno in Hiberniam sine epistola veniente.*

Clericus qui de Britannis ad nos venit sine epistola, et si habitet in plebe, non licitum ministrare.

XXXIV. *De diacono sine literis in aliam parochiam transeunte.*

Diaconus nobiscum similiter qui inconsulto suo abbate sine literis in aliam parochiam absentat, nec cibum ministrare debet, et a suo presbytero quem contempsit per poenitentiam vindicetur, et monachus inconsulto abbate vagulus debet vindicari.

---

1) *ut quadragintesimum* Spelm. — 2) *inviolaverit* Spelm., *involaverit* Salm. —

SYNODUS ALIA SANCTI PATRICII [1].

I. *De habitatione cum fratribus peccatoribus.*

De eo quod mandastis de habitatione [2] cum fratribus peccatoribus audite apostolum dicentem: *Cum hujusmodi ne cibum quidem sumere* [3]; non ergo [4] escas sumas cum eo. Ceterum si bos sis et trituras, hoc est si doctor es et doces, non obturatur tibi os et dignus es mercede tua, sed oleum peccatoris non impinguet caput tuum, sed corripe adhuc et argue.

II. *De oblationibus eorum.*

Contentus tegmento et alimento tuo cetera dona iniquorum reproba, qui non sumit lucerna nisi quo alitur.

III. *De poenitentia post ruinas.*

Statuitur ut abbas videat cui attribuetur potestas alligandi et solvendi, sed aptior est juxta scripturae exempla veniam [5]. Si vero cum fletu et lamentatione et lugubri cum veste sub custodia poenitentia brevis quam longa et remissa cum temperamentis.

IV. *De excommunicato repellendo.*

Audi dominum dicentem: *Si tibi non audierit, sit tibi velut gentilis et publicanus* [6]. Non maledices, sed repelles excommunicatum a communione et mensa et missa [7] et pace, et si haereticus est, post unam correptionem devita.

V. *De suspectis causis.*

Audi dominum dicentem: *Sinite utraque crescere usque ad messem* [8], hoc est donec veniet *qui manifestabit consilia cordium* [9], ne judicium ante diem judicii facias; vide Judam ad mensam domini et latronem in paradiso.

VI. *De vindictis ecclesiae.*

Audi item dominum dicentem: *Qui effuderit sanguinem innocentem, sanguis ipsius effundetur* [10], sed ab eo qui portat gladium, dictator autem [11] vindictae innocens habetur; de ceteris autem per legem evangelicam ab eo loco in quo ait: *Et eum qui aufert aliquid a te, ne repetas* [12], sed libenter si ipse quid referat, humiliter recipias.

---

1) Quae synodus alia s. Patricii dicitur, non tam synodus videtur quam responsio ad quaesita aliqua (*quod mandastis*). Corruptissima sunt pleraque omnia quae nonnisi melioris codicis ope possunt emendari. Descripsit hanc synodum Sirmondus ex Andegavensi bibliotheca et in Angliam transmisit; ex apographo Sirmondi emendatiorem eam dedit Harduinus cujus etiam exhibemus notas. Titulus est in ms.: *De Synodo Patricii capitula XXXI. De diversis causis.* Hard. — 2) *cohabitatione* Hard. — 3) 1 Cor. 5, 11. — 4) *ejus* Spelm. — 5) Spelm. vult *venia; sed aptius est . . . veniam sumere cum fletu* Salm. — 6) Matth. 18, 17. — 7) Forte redundat haec vox; *et missa*. Hard. — 8) Matth. 13, 30. — 9) 1 Cor. 4, 5. — 10) Gen. 9, 6. — 11) *dictatur aut* Spelm. — 12) Luc. 6, 29. 30. —

VII. *De baptismatis incertis.*

Statuunt ne rebaptizati [sint] qui symboli traditionem a quocumque acceperunt, quia non inficit semen seminantis iniquitas; sin vero, non est rebaptizare, sed baptizare. Non absolvendos autem lapsos a fide credamus, nisi per impositionem manus accipiantur [1]).

VIII. *De reis autem abstractis ab ecclesia.*

Non ad reorum defensionem facta est ecclesia, sed judicibus persuadendum est, ne [2]) spirituali morte eos occiderent qui ad sinum matris ecclesiae confugiunt.

X [3]). *De lapsis post gradum.*

Audi canonica instituta: Qui cum gradu cecidit, sine gradu surgat; contentus nomine tantum amittat ministerium, nisi qui tantum [4]) a conspectu domini peccans non recessit.

XI. *De separatione sexuum post lapsum.*

Consideret unusquisque in conscientia sua, si amor et desiderium cessavit peccati, quia corpus mortuum non inficit corpus alterius mortui; sin vero, separentur.

XII. *De oblatione pro defunctis.*

Audi apostolum dicentem: *Est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis* [5]); et dominus: *Nolite donare sanctum canibus* [6]). Qui enim in vita sua sacrificium non merebatur accipere, quomodo post mortem illi poterit adjuvare?

XIII. *De sacrificio.*

In nocte paschae fas [7]) est ferre foras; non foras fertur, sed fidelibus defertur. Quid aliud significat quod in una domo sumitur agnus, quam quod sub uno fidei culmine creditur et communicatur Christus?

XIV. *De abstinentia votiva vel legali a cibis.*

Statutum [8]) ut ... Christi adventum sponsi nullas ratas leges inveniat jejunii. Quid autem inter Novatianum et Christianum interest, nisi quod Novatianus indesinenter, Christianus vero per tempus abstineat, ut locus et tempus et persona per omnia observetur?

XV. *De relinquenda vel docenda patria.*

Docenda patria prius per exemplum domini, et derelinquenda postea si non proficiat juxta exemplum apostoli. Sed qui potest proficere, licet periclitatur, ubique doceat et se ostendat; qui vero non potest, taceat et abscondat; alius quippe a Jesu in domum suam mittitur, alius sequi jubetur.

XVI. *De falsis episcopis.*

Qui non secundum apostolum electus est ab altero episcopo, est damnandus et deinde ad reliquam plebem declinandus et degradandus.

---

1) *accipi episcopi* in m. M. — 2) *ut* Spelm. — 3) Cap. IX. desideratur. — 4) *tamen* ms. Hard. — 5) 1 Joh. 5, 16. — 6) Matth. 7, 6. — 7) *si fas* Spelm. — 8) *statuunt* Mansi. —

XVII. *De praeposito monachorum.*

Monachi sunt qui solitarii sine terrenis opibus habitant sub potestate episcopi vel abbatis. Non sunt autem monachi sed vactro periti, hoc est contemptores [1]) solliciti ad vitam perfectam in aetate perfecta. Hec est a viginti annis [2]) debet unusquisque constringi non attestando sed voto perficiendo, ut est illud: *Unusquisque sicut proposuit corde suo faciat* [3]), et ut: *Vota mea reddam in conspectu domini* [4]) et reliqua; quo voto vivitur, situs locorum coartat, si superabundantia in omnibus devitetur in vita, quia in frigore et nuditate, in fame et siti, in vigiliis et jejuniis vocati sunt.

XVIII. *De tribus seminibus evangeliorum.*

Centesimum episcopi et doctores qui omnibus omnia sunt, sexagesimum clerici et viduae qui continentes sunt, tricesimum laici qui fideles sunt, qui perfecte trinitatem credunt; his amplius non est in messe domini, monachos vero et virgines cum centesimis jungimus.

XIX. *Qua aetate baptizandi sunt.*

Octavo die catechumeni sunt, postea solemnitatibus domini baptizantur, id est pascha et pentecoste et epiphania.

XX. *De parochiis.*

Cum monachis non est dicendum quorum malum est inauditum, qui unitatem vero plebis non incongrue suscepimus.

XXI. *De retinendis vel dimittendis monachis.*

Unusquisque fructum suum in ecclesia in qua imbutus est perfruatur, nisi causa majoris profectus ad alterius ferre permisso abbatis cogat; si vero extiterit causa utilior, cum benedictione dicatur: *Ecce agnus dei*, non quae sua sunt singuli quaerentes, sed quae Jesu Christi: vocationis autem causam [5]) non permittant subditos discutere.

XXII. *De sumenda eucharistia post lapsum.*

Post examinationem carnis [6]) sumenda est, maxime autem in nocte paschae, in qua qui non communicat fidelis non est. Ideo brevia sunt et stricta apud eos spatia, ne anima fidelis intereat tanto tempore jejuna medicinae, domino dicente: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis* [7]).

XXIII. *De juramento.*

Non jurare omnino [8]), de hoc consequente [9]) lectionis series docet non adjurandam esse creaturam aliam nisi creatorem, ut prophetis mos est: *Vivit dominus* [10]) *et vivit anima*

---

1) Locus corruptus. *sed voto irretiti hoc est contentores* conj. Laetius; (*non sunt autem monachi sed bactro — perita hoc est contemptores*) *solliciti* conj. Cotelerius. — 2) Laetius ita esse legendum putat: *in aetate perfecta hoc est a virginis annis.* — 3) 2 Cor. 9, 7. — 4) Psalm. 116, 18. 5) *causa* vel *causae* in m. M. — 6) *carceris* Spelm. — 7) Joh. 6, 53. 8) Matth. 5, 34. — 9) *consequenter* vel *consequentis* Salmas. — 10) Jer. 5, 2. —

mea, et vivit dominus cui assisto hodie. Finis autem contradictionis [1]) est in [2]) domino; omni enim quod amat homo, hoc et juratur.

XXIV. *De contentione duorum absque testibus.*

Statuunt ut per quatuor sancta evangelia antequam communicet testatur quid probatur et deinde sub judice fama relinquatur.

XXV. *De toro fratris defuncti.*

Audi decreta synodi: Superstes frater torum defuncti fratris non ascendat, domino dicente: *Erunt duo in carne una* [3]), ergo uxor fratris tui soror tua est.

XXVI. *De meretrice conjuge.*

Audi dominum dicentem: *Qui adhaeret meretrici, unum corpus efficitur* [4]); item: *Adultera lapidetur* [5]), id est huic vitio moriatur, ut desinat crescere quae non desinit moechari. Item, si adulterata fuerit mulier, numquid revertitur ad virum suum priorem? Item: *Non licet viro dimittere uxorem, nisi ob causam fornicationis* [6]), ac si dicat [7]) ob hanc causam, unde si ducat alteram velut post mortem prioris, non vetant.

XXVII. *De voluntate virginis vel patris in conjugio.*

Quod vult pater faciat virgo, *quia caput mulieris vir* [8]); sed requirenda est a patre voluntas virginis, dum deus reliquit hominem in manu consilii sui.

XXVIII. *De primis vel secundis votis.*

Eadem ratione observanda sunt prima vota et prima conjugia, ut secundis prima non sint irrita, nisi fuerint adulterata.

XXIX. *De consanguinitate in conjugio.*

Intelligite quid lex loquitur, non minus nec plus: quod autem observatur apud nos, ut quatuor genera dividantur, nec vidisse dicunt nec legisse.

XXX. *De vindicandis adsuetis.*

Nunquam vetitum licet, verum observandae sunt leges jubilaei, hoc est quinquaginta anni, ut non infirmetur incerta vice ratio temporis, et ideo omnis negotiatio subscriptione Romanorum confirmanda est.

XXXI. *De gentilibus qui ante baptismum credunt quam poenitentiam habeant.*

Remittuntur quidem omnium peccata in baptismo, sed qui cum fideli conscientia infidelis temporarius [9]) vixit, ut fidelis peccator judicandus est.

---

[1]) *adjuramentum* add. in m. M. — [2]) *nisi* Spelm. — [3]) Eph. 5, 31. — [4]) 1 Cor. 6, 16. — [5]) Levit. 20, 10. — [6]) Gen. 2, 24. — [7]) *liceat* Hard. — [8]) Eph. 5, 23. — [9]) *infidelitatis tempore* Salmas. —

CONCILIUM HERUDFORDENSE[1].

Anno tertio [regis Egfridi] Theodorus cogit concilium episcoporum una cum iis, qui canonica patrum statuta et diligerent et nossent, magistris ecclesiae pluribus: quibus pariter congregatis diligenter ea quae unitati pacis ecclesiasticae congruerent, eo quo pontificem decebat animo, coepit observanda docere, cujus synodicae actionis hujusmodi textus est:

In nomine domini dei et salvatoris nostri Jesu Christi, regnante in perpetuum ac gubernante suam ecclesiam eodem domino nostro[2]) Jesu Christo, placuit convenire nos juxta morem canonum venerabilium tractaturos de necessariis ecclesiae negotiis. Convenimus autem die vigesimo quarto mensis Septembris, indictione prima, in loco qui dicitur Herudford: ego quidem Theodorus, quamvis indignus, ab apostolica sede destinatus Dorovernensis ecclesiae episcopus, et consacerdos ac frater noster reverendissimus Bisi orientalium Anglorum episcopus, quibus etiam frater et consacerdos noster Vilfridus Nordanhumbrorum gentis episcopus per proprios legatarios adfuit; adfuerunt et fratres et consacerdotes nostri Putta episcopus castelli Cantuariorum quod dicitur Rofescestir[3]), Leutherius episcopus occidentalium Saxonum, Vinfridus episcopus provinciae Merciorum. Cumque in unum convenientes juxta ordinem quique suum resedissemus, Rogo, inquam, dilectissimi fratres, propter timorem et amorem redemptoris nostri, ut in commune omnes pro nostra fide tractemus, ut quaeque decreta ac definita sunt a sanctis et probabilibus patribus, incorrupte ab omnibus nobis serventur. Haec et alia quam plura quae ad caritatem pertinebant unitatemque ecclesiae conservandam prosecutus sum, cumque explessem praelocutionem, interrogavi unumquemque eorum per ordinem, si consentirent ea quae a patribus canonice sunt antiquitus decreta custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes dixerunt: Optime omnibus placet, quaeque definierunt sanctorum canones patrum nos quoque omnes alacri animo libentissime servare. Quibus statim protuli eumdem librum canonum, et ex eodem libro decem capitula, quae per loca notaveram quia maxime nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi, et ut haec diligentius ab omnibus susciperentur rogavi.

---

1) Ex Bedae hist. IV., 5. collat. cum ms. Cotton. Vespas. — Titulus est ap. M.: *In quo eo quae a patribus transmarinis canonice sunt antiquitus decreta custodienda hic ab Anglis decernuntur, decem vero praecipue.* Capitulorum tituli non sunt in ed. Wilkins, sed in ed. M. ad marginem appositi. — 2) *nostro* deest in Cotton. — 3) *Hrofesceaster* Cotton.; *Rothschester* (sic) M. —

I. *De pascha.*

Primum capitulum ut sanctum diem paschae in commune omnes servemus dominica post quartam decimam lunam mensis primi.

II. *De episcopis.*

Secundum ut nullus episcoporum parochiam alterius invadat, sed contentus sit gubernatione creditae sibi plebis.

III. *De monasteriis.*

Tertium ut quaeque monasteria deo consecrata sunt, nulli episcoporum liceat ea in aliquo inquietare nec quidquam de eorum rebus violenter abstrahere.

IV. *De monachis episcopis.*

Quartum ut ipsi monachi [1]) non migrent de loco ad locum, hoc est de monasterio ad monasterium, nisi per demissionem proprii abbatis, sed in ea permaneant obedientia quam tempore suae conversionis promiserunt.

V. *De clericis.*

Quintum ut nullus clericorum relinquens proprium episcopum passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis literis sui praesulis suscipiatur: quod si semel susceptus noluerit invitatus redire, et susceptor et is qui susceptus est excommunicationi subjacebit.

VI. *De episcopis et clericis peregrinis.*

Sextum ut episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu episcopi, in cujus parochia esse cognoscitur, agere.

VII. *Synodi bis in anno.*

Septimum ut bis in anno synodus congregetur, sed quia diversae causae impediunt, placuit omnibus in commune, ut Kalendis Augustis in loco qui appellatur Clofeshoo [2]) semel in anno congregemur.

VIII. *Episcoporum locus.*

Octavum ut nullus episcoporum se praeferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus et ordinem consecrationis suae.

IX. *Episcoporum numerus.*

Nonum capitulum in commune tractatum est, ut plures episcopi crescente numero fidelium augerentur, sed de hac re ad praesens siluimus.

X. *De conjugio.*

Decimum pro conjugiis, ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium; nullus incestum faciat, nullus conjugem propriam nisi ut sanctum evangelium docet fornicationis causa relinquat: quod si quisquam propriam expulerit conjugem legi-

---

1) *ut episcopi monachi* M. — 2) *Clofeshooh* M. —

timo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur, sed ita praemaneat aut propriae reconcilietur conjugi.

His itaque capitulis in commune tractatis ac definitis, ut nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur contentionis scandalum aut alia prae aliis divulgarentur, placuit ut quaeque definita sunt unusquisque nostrum manus propriae subscriptione confirmaret: quam sententiam definitionis nostrae Titillo notario scribendam dictavi. Actum in mense et indictione supra scriptis.

Quisquis igitur contra hanc sententiam juxta decreta canonum, nostra etiam consensione ac subscriptione manus nostrae confirmatam, quoquomodo venire eamque infringere tentaverit, noverit se ab omni officio sacerdotali et nostra societate separatum. Divina nos gratia in unitate sanctae suae ecclesiae viventes custodiat incolumes.

CONCILIUM BERGHAMSTEDENSE [1].

Haec sunt judicia Withraedi regis Cantuariorum.

Mitissimi Cantuariae regis Withraedi regnantis anno quinto regni, indictione nona, sexto die Augusti in loco qui vocatur Berghamstede congregatum fuit optimorum procerum concilium. Ibi erant Birhtwaldus Britanniae archiepiscopus, et ante nominatus rex, Roffensis etiam episcopus, idem Gybmundus vocabatur, et ibi erant praesentes omnes ecclesiastici ordinis dignitates unanimiter cum populo sibi subjecto. Ibi optimates illi omnium assensu haec fecerunt judicia et justis Cantuariorum institutis adjunxerunt, prouti hic infra sequitur atque dicitur.

I.

Ecclesia fruatur immunitate et tributis, et pro rege preces fiant, et ille non coacte sed sponte honoretur.

II.

Patrocinium ecclesiasticum sit quinquaginta solidi, uti et regis.

III.

Adulteri ad vitam probam per poenitentiam ducantur vel a coetu ecclesiastico separentur.

IV.

Alienigenae, si fornicationem suam emendare nolint, ex terra cum possessionibus et peccatis suis exterminentur, sicuti qui indigenae sunt ecclesiasticam communionem cum scandalo perdant.

---

1) Ex textu Roffensi i. e. e codice Saxonico ab Ernulfo Roffensi episcopo (flor. c. 1116) composito. —

V.

Si accideret, ut praepositus paganus post concilium hoc illicito concubitu sperneret praeceptum regis et episcopi et libri judicialis, domino suo compenset centum solidos juxta jus vetus.

VI.

Si sit colonus, quinquaginta solidos compenset, et nihilominus fornicationem cum poenitentia deserat.

VII.

Si sacerdos injustum concubitum permiserit vel baptisma infirmi distulerit vel adeo ebrius sit ut nequeat munus obire, ministerium ejus cesset ad arbitrium episcopi.

VIII.

Si tonsuratus irregulariter vagetur, semel ei hospitium concedatur, et hoc non fiat nisi licentiam habeat ut diutius sustentetur.

IX.

Si quis mancipium suum ad altare manumiserit, liber esto apud plebem; manumissor possideat haereditatem ipsius et aestimationem capitis et pacem talis mancipii, ubicumque fuerit extra fines regni.

X.

Si servus ex mandato domini opus servile praestiterit a vespera diei solis post occasum ejus usque ad occasum vesperae diei lunae, octoginta solidis illud dominus compenset.

XI.

Si servus hoc faciat proprio motu, eo die sex [solidos] ipse domino pendat aut cutem suam.

XII.

Si liber homo autem id fecerit tempore vetito, sit reus collistrigii, et qui eum detulit, habeat mulctae et aestimationis capitis dimidium.

XIII.

Si maritus absque uxoris scitu diabolis immolet, omnibus fortunis suis plectitor et collistrigio; si ambo diabolis immolent, sint collistrigii et omnium possessionum rei.

XIV.

Si servus diabolis offerat, sex solidos compenset vel cutem suam.

XV.

Si quis servis suis in jejunio carnem det, tam liberis quam servis collistrigium redimat.

XVI.

Si servus ederit carnem sua sponte, eligat sex solidos, vel cutem suam poenae loco.

XVII.

Episcopi et regis verbum sit inviolabile absque juramento.

XVIII.

Monasterii praefectus professionem faciat in presbyteri professione. Presbyter se purget sui ipsius assertione in sacro

suo vestitu coram altari, ita inquiens: Veritatem dico in Christo, non mentior. Eodem modo diaconus se purget.

XIX.

Clericus quatuor compurgatoribus sui similibus se purget, et una manu ad altare, altera ad juramentum praestandum applicata.

XX.

Comes se ipsum purget juramento in altari, uti regis thanus.

XXI.

Colonus quatuor sociis suis se purget ad altare, et omnia haec juramenta sunt inviolabilia.

XXII.

Ecclesiasticum cognoscendi jus autem est, cum quis episcopi vel regis servum accusat, ad manum praepositi eum ducat; praepositus illum aut purget aut tradat ad caedendum.

XXIII.

Si dei servitio serviens in conventu accusetur, dominus ipsius eum uno juramento purget, si sacra eucharistia utatur; si sacra eucharistia non utatur, habeat in juramento alium fidejussorem bonum, vel solvat vel tradat se flagellandum.

XXIV.

Si plebeji servus servum clerici accuset vel servus clerici servum plebeji accuset, dominus ipsius eum proprio suo juramento purget.

XXV.

Si quis laicum occidat in furto, jaceat absque solutione aestimationis capitis.

XXVI.

Si quis hominem liberum manu furtum tenentem comprehenderit, tunc rex e tribus unum eligat, vel illum interficiat vel trans mare vendat vel solutionem aestimationis capitis habeat. Qui eum ceperit et comprehenderit, dimidium aestimationis capitis habeat; si illum quis occiderit, septuaginta solidis ipsum compenset.

XXVII.

Si servus furatus sit [et] redimatur septuaginta solidis, vel trans mare vendatur, utrum horum regi placuerit. Si quis illum occiderit, domino ejus dimidium solvat.

XXVIII.

Si peregrinus vel advena devius vagetur et tunc nec vociferaverit nec cornu insonuerit, pro fure comprobandus est, et vel occidendus vel redimendus.

CONSTITUTIO

quomodo damna et injuriae sacris ordinibus illata sunt compensanda [1]).

I.

Septuplicia sunt dona spiritus sancti, et septem gradus sunt ecclesiasticorum ordinum et sacrarum functionum. Septem etiam vicibus dei ministri deum quotidie laudare debent in ecclesiis et pro universo populo Christiano diligenter intercedere. Et ad omnes dei amicos quam maxime pertinet, ut ecclesiam dei diligant et honorent, et dei ministros pace ac concordia tueantur. Et si quis illis damnum intulerit verbo vel facto, septuplici compensatione diligenter compenset, pro ratione facti et pro ratione ordinis, si dei misericordiam promereri velit.

II.

Sanctuarium etenim et ordines sacri et sancta dei domus ex timore dei sedulo honorari debent. Et ad compensationem ordinis violati, si vita damnum patiatur, praeter justam capitis aestimationem primus gradus compensetur una libra, et cum pia satisfactione veniam ille exoret sedulo.

III.

Et ad compensationem ordinis violati, si vita damnum patiatur, praeter justam capitis aestimationem secundus gradus duabus libris compensetur cum ecclesiastica confessione.

IV.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, praeter justam capitis aestimationem tribus libris tertius gradus compensetur cum ecclesiastica confessione.

V.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, praeter justam aestimationem capitis quarto gradui quatuor librae solvantur.

VI.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, praeter justam capitis aestimationem quintus gradus quinque libris compensetur cum ecclesiastica confessione.

VII.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, praeter justam capitis aestimationem sextus gradus sex libris compensetur cum ecclesiastica confessione.

VIII.

Et ad compensationem ordinis violati, si plena pacis violatio fieret, praeter justam capitis aestimationem septi-

---

[1]) Haec capitula in textu Roffensi legibus regis Withraedi subjunguntur nulli vel auctori vel aetati assignata. —

mus gradus septem libris compensetur cum ecclesiastica confessione.

IX.

Et ad compensationem ordinis violati, si pax semifracta fuerit, compensatio fiat sedulo pro ratione ejus quod factum est. Juré judicandum est juxta factum, et moderandum juxta dignitatem coram deo et coram saeculo.

X.

Et compensationis violati ordinis pars una episcopo, secunda altari et tertia societati tradatur.

INDEX.

B. *Concilia provincialia.*

III. *Concilia Hispaniae.*

IV. *Concilia Galliae.*

V. *Concilia Romana.*

VI. *Concilia Angliae et Hiberniae.*

INDEX CONCILIORUM ALPHABETICUS.